Theologia Fundamentalis

AUCTORE

A. C. COTTER, S.J.

WESTON COLLEGE
WESTON, MASS.

1940

Imprimi potest:

JAMES H. DOLAN, S.J.
Praep. Prov. Nov. Angl.
Boston, September 2, 1939

Imprimatur:

WILLIAM CARDINAL O'CONNELL
Archbishop of Boston
Boston, January 4, 1940

PRINTED BY
THE HEFFERNAN PRESS
WORCESTER, MASSACHUSETTS

SOCIETATI IESU
MATRI DILECTAE
FAUTRICI ADIUTRICI STUDIORUM
PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE
AD
QUARTUM CENTENNARIUM
APPROBATAE FORMULAE INSTITUTI
HOC OPUS
PROVINCIA NOVAE ANGLIAE
D.D.

BREVIS CONSPECTUS RERUM[1]

[1]Hic index continet solas res necessarias pro Theologia fundamentali; omittuntur ea quae in libro addita sunt utilitatis causa.

INDEX THESIUM

LECTORI

1. Liber hic non intenditur studio privato, sed sicut ortus est ex *usu scholae,* ita eidem usui inservire censendus est. Unde doctrina est communis vel communior Theologorum, materia non nimis ampla, stilus facilis ac perspicuus.

Tria tamen quaeso advertas:

a. Methodus libri respicit *paedagogiam.* Liber enim non est scriptus pro theologis formatis, sed formandis.

b. *Nova* quodammodo sunt tria: dispositio materiae seu concatenatio partium et thesium, distinctio inter Apologeticam scientificam et practicam, distinctio inter responsiones apologeticas et dogmaticas. Harum bonitas vel etiam necessitas in decursu libri probantur.

c. Solito longior est pars quae agit de *S. Scriptura.* Cum enim S. Scriptura sit "anima Theologiae" (Leo XIII), oportet ut theologus ab initio acquirat solida principia quibus eius usus regitur in Theologia.

2. Sicut liber ortus est in adiunctis concretis *Americae,* ita eisdem multa accommodata sunt. In specie, cum non omnes libri aut omnia periodica praesto sint omnibus sive magistris sive discipulis, abundare volui *referentiis.* Harum finis est partim probare, partim illustrare et augere verba textus. Praeterea elegi methodum quam secutus est Bainvel (De Magisterio p. vii), scil. non tam fontes primarios veteresque auctores attuli quam *recentiores;* hi enim magis placent iuvenibus hodiernis, atque ex eis generatim facile erit accedere ad illos. Tandem ubicunque licuit, citavi libros *anglicos,* qui magis accessi sunt.

3. Non omnibus fortasse placebit methodus stricte *scholastica.* Sed ex diuturno usu mihi persuasi non esse meliorem qua attingatur id quod Ecclesia desiderat in alumnis Theologiae, scil. claritas conceptuum, firmitas et soliditas doctrinae, bonitas methodi. Quae methodus cum appellet ad solum intellectum, etiam id commodi habet ut removeantur emotiones seu sentimenta quae solent colorare vel obscurare iudicium disputantium.

Ex altera parte, methodus scholastica non est necessario de-

ductiva aut syllogistica. Adhibendae sunt potius, praesertim in Apologetica, methodi propriae criticae textualis, literariae, historicae. Quae non procedunt a priori, sed a posteriori, i.e. a factis concretis.

4. Superest ut gratias agam iis qui me iuverunt in hoc libro componendo et vulgando.

A. C. COTTER, S.J.

Weston College
Weston, Mass.
Febr. 22, 1940

Abbreviationes

BN—Brillant-Nédoncelle, Apologétique (1937)
CE—Catholic Encyclopedia
CIC—Codex iuris canonici
D—Denzinger-Umberg, Enchiridion (1937)
DA—Dictionnaire apologétique (d'Alès)
DThC—Dictionnaire de Théologie catholique
EB—Enchiridion biblicum (1927)
EcclR—Ecclesiastical Review
EphL—Ephemerides Theologicae Lovanienses
HE—Histoire de l'Eglise (Fliche et Martin)
IB—Institutiones Biblicae (1937)
JTS—Journal of Theological Studies
LThK—Lexikon für Theologie und Kirche (Buchberger)
RA—Revue apologétique
RB—Revue Biblique
RJ—Rouet de Journel, Enchiridion Patristicum (1922)
StZ—Stimmen der Zeit
Suppl—Dictionnaire de la Bible. Supplément (1928-1938)
VD—Verbum Domini
ZkTh—Zeitschrift für katholische Theologie
ZNW—Zeitschrift für Neutestamentliche Wissenschaft

INTRODUCTIO GENERALIS
IN
THEOLOGIAM UNIVERSAM

LITERATURA:

a. *Definitio et divisio*: Bainvel, Mag. p. 150-3; Bilz p. 7-95; DieckmannR p. 2-22; Dorsch I p. 1-39; Dublanchy, in DThC s.v. Dogmatique; FelderA I p. 1-12; d'Herbigny, La Théologie du révélé; Hervé I p. 1-16; Hurter I p. 1-11; van Laak, De Theologia Generatim p. 1-31; idem, Rep. p. 1-18; Müller p. 6-39; Muncunill I p. 3-28; Pesch I n. 1-7, 20-9; Pohle, in CE s.v. Theology p. 580-8; Tanquerey I p. 1-22.

b. *Historia Theologiae*: Bilz p. 95-117; Dorsch I p. 50-79; Dublanchy l.c. col. 1547-1573; Grabmann, Geschichte der kath. Theologie; Muncunill I p. 28-31; Pesch I n. 32-64; Pohle l.c. p. 588-596.

c. *Practica*: d'Herbigny l.c.; Hurter I p. 7-8; van Laak l.c. p. 32-7; Tanquerey I p. 8-12, 21-22.

A. DEFINITIO

Vi vocis, Theologia est *scientia de Deo* (θεός + λόγος). Duplex autem est talis scientia: a) ea quae acquiri potest ope luminis naturalis, et quae proinde vocatur "Theologia naturalis" (vel, post Leibnitz, Theodicaea); b) ea quae fundatur in revelatione supernaturali, et quae proinde vocatur "Theologia supernaturalis". Si vox "Theologia" adhibetur sine addito, haec significatur, non illa.

Agimus de Theologia *supernaturali,* quae breviter definiri potest:

SCIENTIA FIDEI

Explicatur:

a. Obiectum *materiale* Theologiae est *fides.*

In genere vox 'fides' sumi potest subiective vel obiective. Subiective fides est assensus mentis praestitus propter auctoritatem loquentis seu testis; obiective fides est id quod credi potest vel creditur ob auctoritatem loquentis. In definitione Theologiae data, vox 'fides' sumitur *obiective.*—Porro fides hic sumitur non humana, sed *divina,* scil. ut id quod credi potest vel creditur ob auctoritatem Dei loquentis.

Id autem quod Deus loquitur seu verbum Dei, est revelatio. Ergo obiectum materiale Theologiae est revelatio, i.e. veritates a Deo *revelatae.*

Nota 1. Fides (obiectiva) potest esse praeternaturalis vel supernaturalis. Fides christiana est supernaturalis a) quia quaedam res revelatae sunt mysteria stricte dicta; est autem tota supernaturalis b) propter modum quo data est (scil. per Incarnationem) et c) propter finem ob quem data est (scil. propter visionem beatificam). Hinc obiectum materiale Theologiae christianae est *fides supernaturalis.*

Nota 2. Veritates a Deo revelatae de facto respiciunt primarie Deum. Hinc obiectum *primarium* seu "obiectum attributionis" Theologiae est *Deus ipse,* atque Theologia iure definitur "scientia de Deo". Sic definitio realis Theologiae coincidit cum nominali.

b. Obiectum *formale* Theologiae est *demonstrabilitas* revelationis vel rei conexae cum revelatione.

Cum ex obiecto formali pendeat num et quo sensu Theologia supernaturalis dici possit "scientia", et cum hac de re disputetur, prius iuvat considerare varias divisiones Theologiae.

B. Divisiones

I. Theologia fundamentalis

1. *Definitio et divisio*

Finis Theologiae fundamentalis est demonstrare *dogma catholicum* quod sic enuntiatur a Concilio Vaticano: "Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata credenda proponuntur" (D 1792).[1]

Etenim a) quamvis homo possit sine revelatione degere vitam naturaliter honestam, post datam revelationem "sine fide impossibile est placere Deo" (Hebr 11, 6). Post revelationem autem a Christo datam haec fides debet esse *divina et catholica;* atque erit talis si creduntur ea omnia quae ab Ecclesia Catholica proponuntur tamquam divinitus revelata ac proinde credenda. Haec est fides quam quaerit et promittit baptizandus.[2] b) Revelatio christiana quam Ecclesia proponit credendam, de facto continetur in *Scriptura et Traditione.*

Ex his etiam patet Theologiam fundamentalem complecti duos tractatus, qui differunt fine ac methodo.

---

[1]Dorsch I p. 107-8; Lercher I p. 1-2.

[2]Qu. Quid petis ab Ecclesia Dei? Resp. Fidem. Qu. Fides quid tibi praestat? Resp. Vitam aeternam.

a. **Apologetica**

Finis Apologeticae est probare, ex lumine naturali, credenda esse ea omnia quae a magisterio Ecclesiae proponuntur tamquam divinitus revelata et credenda, i.e. magisterium Ecclesiae Catholicae esse nobis *regulam fidei.*

Apologetica igitur agit de "praeambulis fidei", in quibus logice (non psychologice) nititur fides divina et catholica; atque ostendit Catholicos bene loqui cum fidem suam sic breviter profitentur: "Credo quidquid Ecclesia mihi proponit credendum".[3]

Nota 1. Sensu proprio, Apologeticae *scientificae* non est probare a) exsistentiam Dei eiusque attributa, b) relationem mundi ad Deum, c) exsistentiam religionis naturalis etc. Iure enim supponitur has theses probatas esse in philosophia. Apologetica *practica* autem eas includat oportet, praesertim in nostra aetate skeptica.

Nota 2. Etymologice, Apologetica non differt ab *Apologia.* Utraque significat defensionem (ἀπό + λόγος). Speciatim in usu ecclesiastico, utraque vox significabat defensionem religionis christianae contra varios eius adversarios. In usu hodierno autem fit distinctio: Apologetica vocatur prima pars Theologiae fundamentalis; Apologia autem est defensio quarumlibet veritatum religionis christianae (qualem habes v.g. in M.Hill, The Catholic's Ready Answer; Conway, Question Box). Et cum adversarii nunc hanc veritatem adgrediantur, nunc illam, ipsa Apologia variari debet cum adversariis. Finis Apologeticae autem idem manet.

b. **Fontes revelationis**

Finis huius partis est probare duos esse fontes unde magisterium hauriat ea quae proponit fidelibus tamquam divinitus revelata ac proinde credenda, scil. *S. Scripturam* et *Traditionem,* seu (uti loquitur Conc. Vat.) "verbum Dei scriptum et traditum".

Nota. Theologia fundamentalis igitur comparari potest hodiernae disciplinae philosophicae quae dicitur Critica vel *Epistemologia,* et quae ponitur in initio philosophiae. Epistemologia enim duo quaerit: a) quae sit norma veritatis, et indicat evidentiam obiectivam; b) qui sint fontes veritatis, et indicat quinque. Similiter Theologia fundamentalis duo quaerit: a) quae sit norma seu regula fidei, et indicat magisterium Ecclesiae; b) qui sint fontes fidei, et indicat duo.

2. *Scientiae auxiliares* Theologiae fundamentalis sunt a) sana philosophia, b) historia, ac praesertim Introductio in N. T. et historia Ecclesiae Catholicae.

3. Theologia fundamentalis, speciatim Apologetica, est *per se bona.*

a. Id quidem negatur a multis theologis Protestantibus; v.g. a

---

[3] DieckmannR p. 29; Duplessy I p. xi-xv.

Schleiermacher, Ritschl, Karl Barth.[4] Speciatim nominandus est H. Dodwell, Jr., qui anno 1742 edidit librum "Christianity not founded on argument".—Idem negatur a Graecis 'orthodoxis'.[5] —Olim etiam Catholici quidam negabant probari posse vel debere praeambula fidei: Averroistae latini, Cartesiani (v.g. Pascal), von Hügel etc.

b. Sed a) idem Deus dedit nobis intellectum et revelationem; ergo tantum abest ut possit esse contradictio inter ea, ut intellectus et revelatio se potius iuvare debeant.[6] b) Christus ipse, Apostoli, apologetae et missionarii omnium aetatum argumentis usi sunt ut probarent praeambula fidei.[7] c) Nisi praeambula fidei probari possent, irrationabilis esset fides nostra, et aequo iure crederemus Olympum Homeri. Atque de facto R. Otto (in "Das Heilige") ad hanc conclusionem pervenit: Religio est essentialiter irrationalis.

Opinio Protestantium autem nititur falsis praesuppositis, seu deducitur ex principiis falsis.[8] Atque multi ex eis agnoscunt infirmitatem suae positionis, cum difficile eis sit respondere obiectionibus rationalistarum.

c. Dicitur autem 'per se', quia possunt dari et dantur malae probationes vel defensiones fidei catholicae; v.g. eae quas proposuerunt de Bonald, Bautain, Brunetière.[9]

II. Theologia proprie dicta

Haec differt a Theologia fundamentali quatenus iam tria supponit: a) Deum dedisse revelationem (publicam), b) magisterium Ecclesiae esse regulam fidei, c) duos esse fontes revelationis (publicae). Singulae eius divisiones autem differunt munere ac methodo.

1. Theologia positiva

1. Huius munus duplex est: a) eruere ex fontibus revelationis veritates revelatas *particulares,* i.e. ostendere hanc vel illam veritatem esse divinitus revelatam et credendam proponi (vel proponi posse) a magisterio; b) texere *historiam* et revelationis et proposi-

[4] Goebel p. 5-6, 22; Rabeau, in BN p. 5-8; Marquardt p. 12-14.
[5] Rabeau, in BN p. 13.
[6] D 1796-7, 1799.
[7] d'Herbigny, Théol. du rév. p. 87-9.
[8] Schultes p. 710.
[9] Rabeau, in BN p. 19.

tionis per Ecclesiam, i.e. ostendere quando haec vel illa veritas revelata sit, quando proposita sit a magisterio ad credendum etc.[10]

Theologia positiva semper viguit in Ecclesia Catholica; exculta est praesertim a Patribus ac postea a Theologis saec. 17-18.

2. *Scientiae auxiliares* Theologiae positivae dividi possunt secundum duos fontes revelationis.

a. Quoad *S. Scripturam*: a) Introductio in S. Scripturam; b) exegesis seu interpretatio librorum sacrorum; c) Theologia biblica (scientia recens), quae colligit et systematizat ea quae exegesis invenit.[11]

b. Quoad *Traditionem*: a) Ea quae referunt ad magisterium Ecclesiae, scil. historia Conciliorum, dogmatum, haeresium; b) ea quae referunt ad Patres, scil. Patrologia et Patristica; c) historia Theologiae.[12]

2. Theologia speculativa

1. Haec disciplina supponit quidem Theologiam positivam, sed ulterius progreditur. Eius scopus enim est *intellegere* (quantum possumus in hac vita) veritates revelatas. Ad hunc scopum revelationi applicat principia rationis, ut sic harmonice coniungat fidem et rationem.

Quae coniunctio tripliciter fieri potest: a) Explicita fiunt ea quae in revelatione continentur implicite (obscure, confuse, indeterminate). b) Ex veritate revelata tamquam una praemissa deducitur, ope alterius praemissae naturaliter notae, conclusio theologica. c) Sub principiis rationalibus subsumuntur veritates cum revelatae tum naturaliter notae, ut tandem perveniatur ad systema theologicum.[13]

Et cum scientia sit primarie systema, theologia speculativa primarie significat tale *systema* veritatum.

2. Theologia speculativa semper viguit in Ecclesia Catholica. S. Paulus, scribens sub inspiratione divina, iam coepit eam colere; hinc loquuntur de "Theologia S. Pauli". Magis scientifice eam excoluerunt Patres inde ab Origene, atque S. Augustinus, summum ingenium speculativum, statuit principium eius methodicum: *"Fides*

---

[10] DThC s.v. Dogmatique col. 1531-2.

[11] DThC s.v. Dogmatique col. 1533-5.

[12] Scientiae omnes quae agunt de Traditione, hodie trahuntur ad Historiam ecclesiasticam. Ita v.g. Fliche et Martin, Histoire de l'Eglise (inde a 1934).

[13] D 1796 ("e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo"). Cf. Beumer, in ZkTh 1939 p. 360-5.

quaerens intellectum". Cf. S. Thomas, Summa I qu. 1 a. 8: "Utrum haec doctrina (i.e. Theologia) sit *argumentativa*".

3. *Scientia auxiliaris* Theologiae speculativae qua talis est sana philosophia, i.e. bonum systema principiorum naturaliter notorum.[14]

4. Etiam Theologia speculativa est *per se bona*.

a. Id negatur ab iisdem qui reiciunt Theologiam fundamentalem.—Graeci 'orthodoxi' putant Theologiam speculativam sapere rationalismum.—Humanistae (v.g. Erasmus, von Hutten), Wicleff (D 609), Lutherus, Melanchthon, Cartesiani, Jansenistae, synodus Pistoriensis (D 1576, 1579) dixerunt solam Theologiam positivam esse legitimam. Idem hodie tenet Charlier, Essai sur le problème théologique (1938).[15]

b. Sed Theologiam speculativam esse legitimam, iisdem argumentis probatur quae adduximus pro bonitate Theologiae fundamentalis. Atque ipsum magisterium Ecclesiae hanc coniunctionem fidei et rationis approbavit non tantum usu, sed etiam explicitis verbis. Neque eam exclusit a mysteriis stricte dictis; non quod umquam pervenire possimus ad plenam horum intellegentiam, sed quod acquirere possumus "aliquam, Deo dante, intellegentiam eamque fructuosissimam" (D 1796; 2120).

c. Dicimus autem 'per se'. Nam fieri potest ut conclusiones vel systemata theologica sint falsa; pendent enim non tantum ex revelatione, sed etiam ex ratione.

Dices 1. *S. Paulus* tamen reprobat usum philosophiae in rebus fidei: "Videte ne quis vos decipiat per philosophiam" (Col. 2, 8).

R. *Dist.* reprobat usum philosophiae cuiuslibet *N.* philosophiae quae est "vana fallacia" (μενὴ ἀπάτη) *C.* Patet ex contextu et ex aliis locis: Col 2, 18; 2, 22-3; 1 Tim 6, 20.

Dices 2. Multi *Patres* reprehenderunt usum rationis in rebus fidei.

R. *Dist.* malum usum *C.* rectum *N.* Rectum usum rationis in rebus fidei Patres potius commendant et ipsi adhibent.

Dices 3. *Magisterium Ecclesiae* cavet ne ea quae sunt fidei, occupentur et perturbentur per philosophiam (cf. D 1799).

R. *Dist.* per philosophiam falsam *C.* aliter *N.*

Urg. Theologus qui utitur philosophia, est sicut caupo qui *miscet aquam vino*.

R. "Illi qui utuntur philosophicis documentis in sacra doctrina, non miscent aquam vino, sed convertunt aquam in vinum" (S. Thomas, In Boethium, De Trin. qu. 2 a. 3 ad 5).

5. Quomodo Theologia speculativa *practice* iungenda sit positivae, cf. van Laak, Rep. p. 12-13.

---

[14] d'Herbigny, Théol. du rév. p. 29-36.

[15] Grisar, Luther I p. 22, 84-6, 135-8; CE s.v. Erasmus; Grabmann p. 186; Farrar p. 317-9; Neyron, in RA July 1935 p. 6; Cappuyns, in Rech. de Théol. 1939 p. 13-15.

3. Theologia scholastica

1. Haec nihil aliud est nisi specialis forma Theologiae speculativae, atque orta est ex evolutione historica.

Cum enim aetate Patrum (saec. 2-7) opera Aristotelis essent valde corrupta et minus nota (saltem in occidente), Patres qui coluerunt Theologiam speculativam, alios philosophos secuti sunt, praesertim *Platonem*. Ita v.g. S. Augustinus.[16] Medio aevo autem, cum meliores fierent versiones latinae operum *Aristotelis*, Theologi eius philosophiam praeferre coeperunt. Licet enim neque haec careret erroribus, tamen eius principia suprema videbantur melius congruere cum deposito fidei quam principia Platonis. Eius methodus logica autem facile excelluit soliditate et evidentia.

Theologi medii aevi igitur, praesertim duce S. Thoma, in genere adoptaverunt *philosophiam Aristotelis*, eam mundaverunt mendis ac compleverunt, eam tandem adhibuerunt ad illustrandum depositum fidei. Sic historice orta est Theologia scholastica tamquam coniunctio harmonica revelationis divinae et philosophiae Aristotelis.

2. Quatenus Theologia scholastica differt a speculativa in genere, munus eius *quintuplex* est: a) clare proponere thesim et statum quaestionis; b) clare definire et dividere terminos disputationis; c) demonstrare thesim sive ope revelationis sive etiam ope luminis naturalis; d) respondere obiectionibus. Tandem e) Scholastici sibi etiam conscii sunt qualis "nota theologica" assignanda sit singulis propositionibus et toti thesi. His enim methodus scholastica differt ab aliis methodis.

Finis supremus Theologiae scholasticae autem est coniungere revelationem et naturaliter nota in *unam scientiam*. Cuius exemplum praeclarum habes in Summa theologica S. Thomae.[17]

3. *Scientia auxiliaris* Theologiae scholasticae est philosophia scholastica. Quae quidem fundamentaliter est philosophia Aristotelis, sed emendata, completa, adaptata usui scholae.

Tria notari possunt:

a. Pars principalis philosophiae qua scientiae est *Ontologia* seu Metaphysica generalis, quae tradit ipsa principia prima.

b. Scholastici medii aevi minus colebant *"scientias positivas"* (uti hodie loquimur) quam systematicas; hinc eorum usus per-

---

[16] DThC s.v. Platonisme; LThK s.v. Platonismus.

[17] Brevem conspectum talis scientiae apud Dorsch I p. 38; CE XIV p. 669.

petuus syllogismi deductivi. Neo-Scholasticis incumbit esse familiares etiam cum methodis scientiarum positivarum (inductione, argumento cumulativo, statisticis etc.), quae necessariae sunt non tantum pro philosophia ipsa, sed etiam pro Theologia fundamentali et positiva.

Cavendum tamen est ne Theologia scholastica obruatur scientiis positivis (uti factum est saec. 17-18). "Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda; id tamen sic fiat ut nihil scholastica detrimenti capiat; iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicunque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despicere videantur" (Pascendi).[18]

c. Dantur variae *"scholae"* etiam inter Scholasticos: Thomistae, Scotistae, Augustiniani etc. Cuius diversitatis tres assignari possunt rationes: a) Non omnia principia Ontologiae omnibus aeque evidentia sunt; vel melius: aliqui statuunt principia summa quae non ab omnibus agnoscuntur ut summa; b) non omnes aeque urgent eundem aspectum doctrinae catholicae; c) alii magis utuntur methodo analytica, alii synthetica.

4. Theologia scholastica est *per se bona*.

a. Id olim negaverunt Humanistae et Protestantes, postea Cartesiani et Jansenistae. Speciatim saec. 19, viri quidam Catholici, reiecta philosophia scholastica, alia eaque opposita principia prima amplexi sunt: de Lammenais, Ubaghs, Hermes, Günther, Rosmini, Bautain etc. Quorum intentio sane laudanda est; nam defensionem et expositionem revelationis christianae accommodare volebant mentalitati suae aetatis. Sed mala principia malaeque methodi eos duxerunt in varios errores.[19]

b. Sed a) magisterium Ecclesiae saepe approbavit Theologiam scholasticam, saltem in genere. Ita Romani Pontifices ii omnes qui peculiariter laudaverunt S. Thomam, ducem Scholasticorum. Pius IX et Pius X eam praeclare defenderunt contra recentes obiectiones.[20] Tandem mens magisterii patet ex Constitutione apostolica "Deus scientiarum Dominus", in qua clericis praescribitur studium Theologiae positivae et scholasticae. b) Ii qui reliquerunt

[18] CE s.v. Thomism p. 699; DThC s.v. Dogmatique col. 1538, 1540; Boyer, in Gregorianum 1936 p. 161-175; Scholastik 1939 p. 567-9.

[19] van Laak, Rep. p. 598; DThC s.v. Dogmatique col. 1533.

[20] D 1576, 1579, 1652, 1713; encycl. 'Pascendi'.

Theologiam scholasticam, in varios errores lapsi et ab Ecclesia damnati sunt.[21]

Nota. Hinc in regula 11 'ad sentiendum cum Ecclesia', S. Ignatius monet ut *laudemus* "doctrinam positivam et scholasticam."

Dices 1. Anno 1233, Gregorius IX damnavit usum philosophiae (Aristotelis) in Theologia (D 442-3).

R. *Dist.* usum rectum *N.* malum *C.*[22]

Dices 2. Scholastici neglexerunt Theologiam positivam, quae est fundamentum omnis Theologiae, et congesserunt quaestiones *subtiles* nullius utilitatis.

R. *Dist.* aliqui Scholastici *Tr.* omnes, etiam ii qui habentur ut duces *N.* Hoc vitio laboraverunt opera quaedam theologica saec. 15; sed propter vitia paucorum non tota disciplina damnanda est.[23]

Dices 3. Theologia scholastica est aridus *intellectualismus.*

R. Tria responderi possunt: a) Theologia scholastica qua talis est scientia; hinc appellare debet primarie ad intellectum, non ad emotiones. b) Nihil volitum nisi cognitum, et appetitus ut sit rationalis, regi debet ratione; quamvis igitur Theologia scholastica non appellet totum hominem, tamen obtinet primatum. c) Studium scholasticum non est unica occupatio eorum qui incumbunt Theologiae.[24]

Dices 4. Theologia scholastica non iam placet *mentalitati hodiernae,* praesertim iuvenum; nam eius methodus est nimis rigida; insistit in notionibus et formulis rigidis; utitur forma syllogistica arguendi.

R. Multa ad haec responderi possunt: a) Obiectio non est nova; etiam Humanistis saec. 15-16 magis placebant poetae pagani quam S. Thomas. b) Obiectio nimis probat. Nam si valeret, eodem iure diceres: grammatica e scholis removenda est quia pueris non placet; musica non iam debet esse rhythmica, sed jazz vel swing; ars delineationis curanda non est quia surrealistae eam neglegunt; de abnegatione sui non est loquendum, quia hic sermo durus videtur auribus modernis. c) Si obiectio idem vult ac propositio 13 Syllabi (D 1713), iam diu damnata est ab Ecclesia. d) Iuvenibus qui se praeparant ad sacerdotium, praescribitur Theologia scholastica, et quidem secundum methodum scholasticam (CIC can. 1366, 2). "Et quamvis huic Scholasticae non exclusive opera impendenda sit, ea tamen neglecta secure ad alia studia non accedes" (Dorsch I p. 37). e) "Ad substantiam theologiae scholasticae minime quaedam determinata forma externa pertinet. Bene multi auctores optimae notae liberiore forma speculativam theologiam excoluerunt" (Lercher II p. xx). Laicis igitur qui non favent methodo rigidae scholasticae, praesto sunt libri conditi sacharo ac palato iucundi.[25]

---

[21] Pesch I n. 28.

[22] de Wulf, Hist. I p. 248-250; de Groot p. 848; Schultes p. 721.

[23] Dorsch II p. 649; Grabmann p. 92-4.

[24] DThC s.v. Dogmatique col. 1523, 1529; ib. s.v. Dogme col. 1591-6; Schröteler, in Theol.-prakt. Qu. 1939 p. 310-314.

[25] Coppens, in EphL 1937 p. 465.

4. Theologia dogmatica et moralis

Haec divisio Theologiae non semper eodem sensu sumebatur aut hodie sumitur. Generatim tamen hodie Theologia dogmatica et Theologia moralis habentur ut duae partes integrantes Theologiae scholasticae. Atque Theologia dogmatica theoretice agit de tota doctrina catholica, ita ut includat omnes divisiones Theologiae proprie dictae (positivam, speculativam, scholasticam); Theologia moralis autem, supposita dogmatica, agit de iis partibus doctrinae catholicae quae influunt vitam practicam Catholicorum, i.e. quae non tantum cognosci, sed etiam practice applicari debent. Breviter Theologia moralis dici potest pars practica Theologiae.

Ad Theologiam moralem revocari possunt aliae disciplinae theologicae: a) *Ius canonicum,* quod tradit leges ab Ecclesia latas; b) *Theologia ascetica,* quae agit de consiliis evangelicis aliisque mediis perfectionis christianae; c) *Theologia mystica,* quae agit de contemplatione aliisque viis extraordinariis perfectionis christianae; d) *Theologia pastoralis,* quae spectat curam et regimen animarum.[26]

Nota. Quoad casuisticam, cf. Lehmkuhl, in CE s.v. Theology p. 607-9; DA IV col. 1640-1656; DThC II col. 1859-1877; Pribilla, in StZ Jan. 1938 p. 205-216.

5. Theologia catholica

Etiam Judaei, Mahometani, Protestantes excoluerunt et excolunt Theologiam. Theologus catholicus ab eis differt non tantum quatenus ipse profitetur fidem catholicam, neque tantum quatenus exponit hanc fidem, sed praecipue quatenus excolit suam scientiam sub ductu et vigilantia magisterii Ecclesiae Catholicae tamquam normae *positivae.*

Necessitatem sequendi hoc magisterium ut normam positivam, probat Theologia fundamentalis.

DUO QUAESITA

1. *Estne Theologia scientia?*

Olim hac de re multum disputabatur.

Ratio disputationis autem erat definitio scientiae quam tradiderat Aristoteles. Secundum eum, principia materialia et formalia

[26] CE s.v. Theology p. 601-622; J. W. O'Brien, in EcclR 1938 I p. 29-41.

scientiae debent esse non tantum certa, sed etiam *intrinsece evidentia.* Atqui, licet principia formalia Theologiae sint evidentia, id dici nequit de omnibus eius principiis materialibus seu praemissis; multa enim sunt *mysteria* stricte dicta, quae neque sunt neque esse possunt nobis evidentia. Hinc nominalistae, Vasquez etc. olim negaverunt Theologiam esse scientiam. Id a fortiori negant moderni rationalistae, quibus nihil est certum nisi sit intrinsece evidens.

Hodie tamen inter Catholicos fere convenit definitionem Aristotelis esse nimis arctam, atque ad veram scientiam (licet analogicam) sufficere ut principia sint *certa,* licet haec non sint evidentia ex ratione interna. Porro, in usu hodie communi, scientia iam habetur cum investigatio veritatis instituitur secundum *methodum critice stabilitam.*[27]

Unde:

a. *Theologia fundamentalis* est scientia quatenus sequitur methodum scientificam ad stabilienda a) tria facta historica, scil. factum revelationis christianae, institutionem Ecclesiae per Christum, identitatem huius Ecclesiae cum Ecclesia Catholica, atque b) exsistentiam duorum fontium revelationis. Vix autem dici potest systema, neque multum utitur syllogismo deductivo.

Nota. Disputatur num Theologia fundamentalis recte dicatur 'Theologia'. Lis videtur esse de voce. Aliqui loquuntur de 'Propaedeutica'. Inter omnes autem convenit Apologeticam non esse Theologiam proprie dictam; Pius X eam vocat 'philosophiam' (D 2120).

b. *Theologia positiva* est scientia quatenus procedit secundum regulas critice stabilitas; scientifice enim quaerit quae sint res revelatae, num et quando propositae sint a magisterio etc.

c. *Theologia speculativa* ac praesertim *scholastica* est scientia, non tantum quatenus eius principia formalia sunt evidentia, sed etiam quatenus eius principia materialia vel sunt evidentia vel saltem certissima (scil. ob auctoritatem Dei revelantis).

2. *Quomodo Theologia se habeat ad fidem?*

Breviter per tria respondemus:

1. Theologia fundamentalis non est fides obiectiva aut subiectiva, sed probatio scientifica *praeambulorum fidei.*

---

[27] DieckmannR p. 10-12; van Laak, Rep. p. 7; Lercher II p. xii, xvi; Bonnefoy, in EphL 1937 p. 421-446, 600-631; ib. 1938 p. 491-516.

2. Theologia proprie dicta (positiva, speculativa, scholastica) non est fides *obiectiva*. Etenim a) obiectum materiale fidei sunt solae veritates formaliter a Deo revelatae; obiectum materiale Theologiae autem includit etiam alia, scil. conexa cum revelatione. b) Obiectum formale seu motivum fidei est sola auctoritas Dei revelantis; obiectum formale Theologiae autem est demonstrabilitas. c) Fides mutari aut augeri nequit; Theologia autem progredi potest ac debet.

3. Theologia proprie dicta non est fides *subiectiva*. Etenim a) fides est simplex assensus; Theologia autem est complexus ratiociniorum vel conclusionum ex veritatibus fidei. b) Fides est necessaria ad salutem, Theologia non. c) Certitudo fidei est summa, cum quoad infallibilitatem motivi tum quoad assensum; certitudo Theologiae est minor, cum divinis misceat humana.

At sicut Theologia, ita fides subiectiva progredi potest in explicita cognitione revelationis et in applicatione fidei ad vitam.

Theologiae Fundamentalis

TRACTATUS PRIOR

APOLOGETICA

Introductio

LITERATURA:

a. *Definitio et divisio:* Aiken, in CE s.v. Apologetics; Brunsmann-Preuss I p. 1-10; Coppens, in EphL 1937 p. 447-466; DA s.v. Apologétique col. 225-251; DieckmannR p. 23-37; DThC s.v. Apologétique col. 1511-1533; Falcon p. 15-30; FelderA I p. 12-18; Garrigou-Lagrange p. 11-29; Goebel p. 1-8; de Groot p. 1-10; Hervé I p. 17-20; Müller p. 39-43; Ottiger I p. 1-15; Straubinger, in Theol. Qu. 1940 p. 14-25; Tanquerey I p. 42-48.

b. *Methodus:* BillotE I p. 48-55; Brunsmann-Preuss I p. 10-23; DieckmannR p. 37-53; Dorsch I p. 39-50; Falcon p. 31-42; Garrigou-Lagrange p. 30-51; Goebel p. 8-13; de Groot p. 10-22; Ottiger I p. 15-24; Schiffini p. 19-38; Schultes p. 6-17.

c. *Historia:* Aiken, in CE s.v. Apologetics p. 620-3; Brunsmann-Preuss I p. 24-47: DA s.v. Apologétique col. 190-225; DieckmannR p. 53-81; Dorsch I p. 79-109; DThC s.v. Apologétique col. 1533-1580; FelderA I p. 18-23; Goebel p. 13-26; de Groot p. 22-32; van Laak, De Theol. Gen. p. 38-96; Ottiger I p. 24-34; Schultes p. 18-24; Straubinger p. 16-33; Tanquerey I p. 49-64.

A. MUNUS APOLOGETICAE

1. Uti dictum est supra (p. 3), finis Apologeticae est ostendere necessitatem *fidei divinae et catholicae*. Subiective, fides divina et catholica est actus (vel habitus) quo a) ob auctoritatem Dei revelantis credimus quidquid Deus revelavit, idque b) qua membra Ecclesiae Catholicae. Obiective, fides divina et catholica est revelatio proposita a magisterio Ecclesiae qua revelatio ac proinde credenda.

Ut fides haec subiectiva sit *rationabilis,* triplex factum ante eam constare debet: a) factum revelationis (uti hodie dicitur), i.e. Deum aliquid revelasse et velle ut nos id credamus ob suam auctoritatem; b) institutionem Ecclesiae, i.e. Deum instituisse Ecclesiam ut societatem necessariam atque in ea posuisse magisterium semper vivum tamquam regulam huius fidei; c) factum Ecclesiae Catholicae, i.e. Ecclesiam Catholicam semper fuisse et nunc esse identicam cum Ecclesia a Christo instituta.

Apologeticae scientificae est *demonstrare* triplex hoc factum.

2. Triplici facto probando respondent tres partes principales Apologeticae hodiernae. Scil.

a. *Factum revelationis*

"Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in

prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio" (Hebr 1, 1). Distinguit igitur S. Paulus inter revelationes datas in V. T. et "novissimam", qua Deus nobis locutus est per Christum, Filium suum.

Mos est hodie restringere Apologeticam scientificam ad novissimam hanc revelationem, in qua tamen confirmantur et complentur revelationes antea datae. Unde probabimus factum revelationis probando *Christum mundo dedisse revelationem.*[28]

b. *Institutio Ecclesiae*

Quid nobis probandum sit in hac parte, his verbis Conc. Vat. continetur: "Ut officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit" (D 1793). Probandum igitur est Christum non tantum instituisse *Ecclesiam* omnibus ad salutem necessariam, sed etiam in ea posuisse *magisterium* vivum tamquam *regulam fidei.*

c. *Factum Ecclesiae Catholicae*

In hac parte nobis probandum est Ecclesiam *Catholicam* semper fuisse et hodie esse eandem quam Christus instituit.

3. Fontes probationis

a. Sequentes vestigia auctorum hodiernorum, duo priora facta probabimus ex *dictis et gestis Christi ipsius.*

Scil. probabimus imprimis Christum fuisse personam vere historicam (non mythum aut aliquid simile) qui vixit in Palaestina ante fere 1900 annos. Ex eius dictis et gestis dein tria probabimus: a) Christum fuisse verum *Deum,* eiusque doctrinam esse *revelationem* (publicam); b) eum instituisse *Ecclesiam* tamquam societatem omnibus necessariam; c) eum in hac Ecclesia posuisse *magisterium* semper vivum tamquam regulam fidei verae (EB n. 101). His enim stabilitis, tria sequuntur: a) unusquisque rationabiliter potest, immo debet, credere revelationem a Christo allatam; b) unusquisque pertinere debet ad Ecclesiam Christi; c) unusquisque credere debet ea quae ei proponuntur credenda a magisterio vivo huius Ecclesiae.

b. Ex historia probabimus hanc Ecclesiam adhuc mansisse et esse Ecclesiam *Catholicam* eamque solam. Inde sequitur magisterium huius Ecclesiae esse regulam fidei divinae et catholicae.

---

[28]De revelatione primitiva et mosaica, cf. Dorsch I p. 495-520.

4. Habet quidem haec probatio *tres difficultates,* quae tamen non sunt insuperabiles. Scil.

a. Christus vixit ante 19 saecula, atque eius dicta et gesta pertinent ad historiam *remotae antiquitatis.* Quid igitur Christus dixerit et egerit, eruendum est ex documentis historicis fide dignis. Inter quae primum locum occupant libri N.T., praesertim 4 evangelia, Actus Apostolorum, epistolae S. Pauli.

Iamvero rationalistae moderni perfracte negant hos esse fide dignos.

Antequam igitur incipiamus probare factum revelationis et institutionis Ecclesiae, prius probanda est *credibilitas* seu valor historicus horum librorum. Quo stabilito tandem videndum erit quid Christus dixerit et egerit.

Dices: Ait S. Augustinus: "Ego evangelio non crederem nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas" (Contra ep. fund. 5). Ergo probare factum Ecclesiae ex evangeliis, est circulus vitiosus.

R. *Dist. ant.* non crederem fide divina *Tr.* humana *N.* Cf. Pesch VIII n. 248; BillotE I p. 26, 51-55.

b. Alia difficultas movetur circa probationem *divinitatis Christi.* Aliqui auctores enim contenti sunt probare Christum fuisse legatum divinum vel Messiam.

Merito tamen, uti videtur, in Apologetica hodierna probatur Christum fuisse Deum. Imprimis enim a) haec probatio possibilis est. Christus ipse probare debuit et probavit suam divinitatem Judaeis incredulis; post eum S. Ioannes non dubitavit adgredi eandem probationem, uti patet ex 20, 31; eum secutus est S. Chrysostomus (ὅτι ἐστὶ θεός ὁ Χριστός); Leo XIII urget ut haec probatio fiat (EB n. 101), atque damnata est propositio modernistarum: "Divinitas Iesu Christi ex evangeliis non probatur" (D 2027). Dein b) magis conveniens est haec probatio; uti enim videbimus, fortiora sunt argumenta pro divinitate quam pro mera legatione divina Christi. Tandem c) uti bene arguit Ottiger (I p. 17), tractatus apologeticus de Ecclesia solido fundamento carere videtur nisi supponatur fundatorem Ecclesiae fuisse Deum.

Dices: Divinitas Christi est mysterium. Atqui mysteria nequeunt demonstrari lumine naturali.

R. *C. M. Dist. min.* a priori seu ex evidentia interna *C.* a posteriori et ex evidentia externa seu testimonio *N.*

Urg. Saltem nimis cito proponitur "incredulo convertendo incomprehensibile Hominis-Dei mysterium" (Tanquerey I p. 220).

R. Haec potius tangunt Apologeticam practicam.

Dubitat autem P. Ottiger (ib.) num Apologeticae sit probare Christum fuisse *Filium Dei;* timet enim ne difficultates metaphysicae iam nunc urgeri possint et solvendae sint. Lagrange (J p. clviii) autem putat Judaeos haec non potuisse intellegere, ac proinde Christum ea non docuisse.

Quae rationes si valerent, etiam valerent contra probationem divinitatis Christi; utrimque enim agitur de *mysterio* stricte dicto; atqui Ottiger et Lagrange concedunt divinitatem Christi probari posse ex evangeliis. Dein, uti videbimus et iam patet ex J 20, 31, eadem fere sunt argumenta quibus probatur Christum fuisse Deum et Filium Dei.

Concedimus autem hanc probationem non esse necessariam ad scopum Apologeticae scientificae.

c. Tertia difficultas respicit tractatum de Ecclesia. Difficile enim est separare partem *apologeticam* a dogmatica. Unde fit ut etiam ii auctores qui sibi proposuerunt scribere tractatum pure apologeticum, theses vel partes dogmaticas ita ei admisceant ut lector saepe dubius haereat de scopo singularum. Quae difficultas crescit in praxi hodierna, qua tota doctrina catholica de Ecclesia ponitur in primo anno Theologiae.[29]

Ne autem confusio oriatur in mentibus tironum, servanda est *unitas* stricta Apologeticae scientificae. Quae est unitas *finis*. Unde eas solas theses in hac parte ponemus quae necessariae (vel saltem valde utiles) sunt ad probandum duplex factum Ecclesiae et conclusionem ultimam Apologeticae. Alias theses relinquimus tractatui dogmatico; atque hoc sensu libenter concedimus tractatum nostrum de Ecclesia esse incompletum.

Nota. a) d'Herbigny (De Eccl. I p. 10) putat hanc divisionem materiae nec possibilem nec utilem. Sed spero fore ut possibilitas talis divisionis eluceat ex eius actualitate; ratio autem ob quam d'Herbigny censet suam methodum utiliorem, potius ad Apologeticam practicam pertinere videtur. b) Quodsi quaeras ubi logice ponendus sit tractatus dogmaticus de Ecclesia, respondet Billot (Eccl. I p. 18) eum esse "continuationem et necessarium complementum" tractatus de Verbo Incarnato. Idem sentit van Laak (Rep. p. 19). Dieckmann (Eccl. I p. 2) Ecclesiam habet magnum quoddam "sacramentum."

5. Non est putandum argumentum ex dictis et gestis Christi esse unicum quo probetur duplex factum apologeticum. Revera praesto sunt multa *alia* argumenta, sive certa sive saltem probabilia.

---

[29]Lercher I p. 266.

Quorum praecipua deducuntur ex natura et historia Ecclesiae Catholicae ipsius.

Cum igitur in variis adiunctis[30] alia haec argumenta utilia vel utiliora esse possint, ea etiam evolvemus.

6. In omnibus argumentis autem semper duo supponuntur, scil. possibilitas et cognoscibilitas revelationis, seu ipsa *possibilitas* Apologeticae. Si quis enim negat revelationem fieri posse aut eam ut revelationem cognosci posse, removet fundamentum omnis Apologeticae. Ac revera, rationalistae hodierni impossibilitatem utramque supponunt tamquam "dogma scientiae vel historiae".

Probabimus igitur Apologeticam esse possibilem.

7. Ab initio Apologeticae etiam clare exponendi sunt *4 conceptus catholici,* qui continentur in scopo eius: revelatio, fides, mysterium, dogma. Sicut enim ipsa thesis probanda (scil. D 1792), ita etiam eius termini sumendi sunt sensu quo Ecclesia Catholica eos intellegit; secus non probaretur id quod est probandum.

8. Tandem ab Apologetica scientifica, quae est pars Theologiae fundamentalis, caute distinguenda est *Apologetica practica,* quae est scientia et ars ducendi adultos non-Catholicos ad fidem divinam et catholicam.

Unde haec erit series (unilinearis) partium Apologeticae:

1. Notiones praeviae
2. Possibilitas Apologeticae
3. Credibilitas librorum N.T.
4. Exsistentia Iesu Nazareni
5. Divinitas Iesu Nazareni
6. Institutio Ecclesiae
7. Ecclesia Catholica
8. Regula fidei
9. Alia argumenta apologetica
10. Apologetica practica

B. Methodus apologetica

"Procedere apologetice" dici potest vel de Apologetica vel de Apologia. Si dicitur de Apologia, significat defendere rem catholicam vel quolibet modo vel mero lumine rationis. Sed nos loquimur de methodo propria Apologeticae scientificae.

---

[30]cf. Apologeticam practicam.

1. Methodus haec differt a methodo dogmatica et a methodo philosophica. Breviter comparemus has tres methodos.

a. *Methodus philosophica*

Haec simpliciter procedit *lumine mere naturali.* Scil. ex 5 fontibus cognitionis naturalis hauriuntur omnes et singulae partes thesis: duo termini (S et P), nota thesis, principia materialia et formalia argumentorum, conclusiones seu theses ipsae, solutiones obiectionum. Ex iisdem fontibus hauriuntur complexus thesium (tractatus) ac tandem ipsum systema seu synthesis (philosophia qua scientia).

Philosophia neque arguit ex fide neque ad fidem. Revelatio divina ei non est nisi *norma negativa,* cui scil. contradici non debet.

b. *Methodus dogmatica*

Hanc methodum sequitur Theologia proprie dicta, quae supponit non tantum sanam philosophiam et ea omnia quae probantur in Theologia fundamentali, sed etiam procedit sub ductu magisterii qua custodis et interpretis authentici revelationis (publicae).

Theologia proprie dicta igitur arguit *ex fide,* ita ut revelatio et praedicatio magisterii ei sint norma positiva et interna.

c. *Methodus apologetica*

Haec, supposita sana philosophia, sumit ex doctrina catholica quasdam veritates *ut probandas,* sed eas probat *lumine mere naturali.*

Magis particulariter: Apologetica intendit probare aliquam propositionem. Quaenam sit haec propositio et quo sensu sit intellegenda, habet a magisterio Ecclesiae (v.g. D 1792); aliis verbis, Apologetica duo sumit ex praedicatione magisterii: a) ipsam thesim ut probandam, et b) conceptus (definitiones) qui in hac thesi involvuntur. At a) media seu argumenta apta ad probandam hanc thesim (v.g. vis probativa miraculorum), b) praemissae argumentorum, c) solutiones obiectionum—constare debent lumine naturali.

Apologetica igitur arguit *ad fidem,* sed non ex fide, atque revelatio ei est norma positiva quidem, sed externa.

Tria notanda:

a. Methodus apologetica supponit fidem catholicam in *magistro* (qui scire debet quid sit probandum), sed per se non in discipulo. Aliam methodum secuti sunt ii qui olim scripserunt tractatum "De vera religione".

b. Schultes (p. 12), Goebel (p. 3) etc. putant etiam *media*

probationis apologeticae sumenda esse ab Ecclesia. Distinguamus. Verum quidem est Ecclesiam varia media proponere ut efficacia (v.g. vim probativam miraculorum et prophetiarum) et alia reicere ut inefficacia (v.g. methodum immanentiae); concedi etiam potest non esse necesse ut argumenta apta primo inveniantur lumine naturali. At dubium non est quin valor apologeticus mediorum probandus sit lumine naturali nisi velimus incurrere circulum vitiosum.

c. Apologetica scientifica per se non supponit S. Scripturam esse *inspiratam* (contra Schultes p. 8-12). Uti enim videbimus, inspiratio biblica tota nititur auctoritate Ecclesiae.

In decursu Apologeticae tamen adhibebimus exempla (v.g. ex S. Scriptura), quorum veritas generatim non constat nisi dogmatice. Haec apologetice sumi possunt ut illustrationes, neque probatio in eorum veritate fundatur.

2. Apologetica non est proprie systema (arbor Porphyriana), sed *series thesium* quae logice conducunt ad *unam* veritatem, scil. D 1792. Successio thesium praecipuarum facile eruitur ex conspectu dato p. 18.

Unde duo sequuntur:

a. Methodus apologetica gradatim *transit* in dogmaticam. Sic postquam probatum est Iesum fuisse Deum ac proinde eius doctrinam revelationem, iure ex ea arguitur tamquam ex revelatione. Quia autem argumentum et methodus non fiunt plene dogmatica nisi post probatam auctoritatem magisterii Ecclesiae, Apologetica retinet unitatem strictam.

b. Si quis petit probationem vel solutionem *apologeticam*, vel si congrediendum sit cum adversariis, statim quaeratur: Quot ex his thesibus admittuntur ut verae? Sic Protestantes 'orthodoxi' admittunt fere omnes.

3. In Theologia fundamentali *iungenda* (neque tamen confundenda) est ab initio methodus apologetica cum dogmatica. Plurimae enim theses quas complectitur Apologetica hodierna, etiam proponuntur a magisterio. Quae igitur tractari possunt apologetice et dogmatice. Atque oportet ut theologus sciat non tantum argumenta apologetica pro fundamentis fidei catholicae, sed etiam dogmatica.

Dices: Probare praeambula fidei dogmatice, est circulus vitiosus; nam supponit probatum id quod est probandum.

R. *N.* Cognitio vulgaris praeambulorum fidei (quam habet quivis Catholicus) debet utique praecedere fidei ipsi et argumento dogmatico; sed

etiam sufficit. Supposita dein fide, regredi possumus et quaerere quid fides doceat de praeambulis fidei. Sic habetur quidem circulus sed legitimus, scil. a cognitione vulgari praeambulorum—per fidem—ad eorundem cognitionem scientificam.

Unde in decursu Apologeticae breviter indicabimus a) notam dogmaticam cuiusvis thesis, b) argumenta dogmatica (saltem summatim), c) corollaria vel scholia quaedam dogmatica. Sic etiam patebunt fontes adeundi si forte praeambula fidei tractanda sint dogmatice.[31]

Neque tamen argumenta dogmatica aequo aut potiore iure ponuntur in Apologetica, sed locum principalem (re et specie) obtinere debent *apologetica*. Secus aegre vitatur confusio idearum. A fortiori autem fas non est ponere in Apologetica tractatus completos eorum quae occurrunt (v.g. de revelatione, de fide divina, Introductionem in S. Scripturam).

C. Necessitas Apologeticae

Apologetica scientifica non est necessaria ad credendum. Nam a) actus fidei verae potest esse rationabilis etsi nitatur argumentis imperfectis et tantum relative validis; immo gratia supplere potest quodvis argumentum naturale. b) Etiam certitudo vulgaris potest esse formalis.

Nihilominus:

a. Apologetica necessaria est *Ecclesiae* ipsi, quae probare ac defendere debet missionem suam argumentis formaliter certis.

b. Apologetica necessaria etiam est *theologis*, quibus erit munus docendi alios veritatem Ecclesiae Catholicae. Hos enim monet S. Petrus ut sint "parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe" (1 Petr 3, 15); et S. Thomas docet: "Superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis et magis explicite credere" (II II qu. 2 a. 6).

c. Hodie etiam *laicis* Apologetica valde utilis est. Idque ob duplicem rationem: a) Contra naturalismum et saecularismum ubique grassantem etiam laici muniri debent argumentis absolute validis; b) non-Catholici maiore fere favore excipiunt responsa laicorum ad suas difficultates quam theologorum.[32]

---

[31] Dorsch I p. 50; Goebel p. 6-8; Lercher I p. viii.

[32] FelderA I p. 16-18; Schultes p. 15-17; Tanquerey I p. 14, 22; Falcon p. 51; Lercher I p. iii.

APOLOGETICAE

PARS PRIMA

Notiones Praeviae

In ipso fine Apologeticae involvuntur 3 termini, qui saepissime occurrunt in literatura polemica neque tamen ab omnibus eodem sensu sumuntur, scil. revelatio, mysterium, fides. Cum his arcte conectitur quartus terminus, scil. dogma; non tantum enim finis Apologeticae est probare dogma, scil. D 1792, sed proponere dogmata reputatur quasi proprium Ecclesiae Catholicae.

In hac prima parte Apologeticae non procedemus polemice (i.e. refutando definitiones non-Catholicorum), sed positive statuimus qui sit *sensus ecclesiasticus* horum terminorum, i.e. quo sensu Ecclesia Catholica hos terminos hodie intellegat. Definitiones dandae autem non praeiudicant rebus ipsis, ac proinde ab omnibus accipi possunt; harum rerum possibilitas et actualitas (i.e. valor obiectivus definitionum) enim postea probanda erit.

I. Revelatio

A. Definitio

Etymologice revelatio dicitur esse 'remotio veli' (re-velare—to un-veil). Sed distinguendus est sensus activus et obiectivus. In usu generali hominum, revelatio active sumpta est actus quo aliquis alteri manifestat rem ignotam; obiective sumpta est res quae nunc primo manifestatur.

At in usu generali et technico Ecclesiae Catholicae revelatio active sumpta est Locutio Dei, obiective sumpta est Verbum Dei.

Breviter explicemus definitionem hanc:

1. Revelatio imprimis dicitur 'locutio'. Loqui autem nihil aliud est quam "conceptum mentis alteri manifestare" (S. Thomas I qu. 107 a. 1), scil. *directe*—non ita ut prius manifestetur aliquid aliud ex quo alter possit inferre conceptum mentis. Unde locutio active sumpta est actus quo quis alteri directe manifestat conceptum

suum (obiectivum); conceptus sic manifestatus autem dicitur 'verbum'.[1]

Nota. a) Per 'conceptum' hic intellegitur *enuntiabile, pressius copula* (est—non est); includitur etiam propositio hypothetica, mandatum etc. b) Locutio potest fieri oraliter vel scripto.

2. In usu ecclesiastico, vox 'revelatio' semper significat locutionem *divinam,* i.e. actum quo Deus aliquid directe manifestat. Unde obiective est verbum Dei (non hominis).

3. In eadem definitione autem duo alia elementa supponuntur vel implicite continentur:

a. Revelatio est actio Dei *praeternaturalis.* Scil. ordo rerum, praesertim natura humana cum suis facultatibus et suo fine naturali, non exigit ut Deus nobis directe loquatur. Etiam postquam Deus creavit mundum et hominem, non tenebatur nobis directe loqui. Hinc si nobis loquitur, eius actio est *indebita* seu praeter naturam.

b. Ut nos cognoscamus revelationem ut divinam et obligationem credendi, Deus non tantum loquitur nobis, sed simul manifestat a) *se* loqui et b) se *velle* ut credamus ob suam auctoritatem. Ob hanc rationem, revelatio active spectata a multis theologis (v.g. Wilmers, van Laak, Dieckmann) definitur: LOCUTIO DEI ATTESTANS (vel attestantis); obiective autem est VERBUM DEI ATTESTATUM.

Nota. In hac definitione, locutio attestans opponitur 'docenti'. Qui *docet,* non tantum manifestat rem ipsam, sed etiam dat eius rationem internam (sicut magister geometriae vel philosophiae), ita ut discipulus acquirat 'scientiam'. Qui autem *testatur,* manifestat quidem aliquid, sed postulat ut audientes ei credant, sive rem intellegunt sive non. (Utique etiam is qui docet, aliquomodo testatur, et is qui testatur, aliquomodo docet. Sed nunc 'docere' et 'testari' sic sumuntur ut sibi opponantur; postea ubi agetur de magisterio Ecclesiae, 'docere' includet 'testari').[2]

4. *Adaequate* igitur revelatio active sumpta definiri potest: "Actio qua Deus praeter rerum naturam directe et auctoritative aliquid manifestat"; obiective: "res (veritas, sensum) praeter rerum ordinem a Deo directe et auctoritative manifestata".[3]

Probatur haec definitio:

Vocem 'revelatio' sic sumi in Ecclesia Catholica, constat praesertim ex *Concilio Vaticano.* Etenim a) revelationem esse locu-

---

[1]Müller p. 89-93.

[2]S. Thomas, De veritate qu. 11 a. 1; Müller p. 93-4.

[3]Revelatio differt a scientia infusa, a lumine prophetico, a lumine gloriae. Cf. Pesch III n. 207; V n. 14-18; DieckmannR p. 143-4; Oudenrijn p. 164-6; Garrigou-Lagrange p. 69-70.

tionem Dei et verbum Dei, clare dicitur in D 1785 et 1792 ("Deus loquens", "locutus est", "verbum Dei"). b) Revelationem Dei esse actionem Dei praeternaturalem, etiam patet ex D 1785 ("alia eaque supernaturali via"). c) Tandem revelationem esse locutionem attestantem, sequitur ex D 1789 et 1792; nam revelationi respondet, ex parte nostra, fides; atqui fides, in sensu Ecclesiae, supponit testem sensu stricto, qui scil. postulat assensum ob suam auctoritatem.[4]

Haec sunt 4 elementa revelationis, prout vox adhibetur in Ecclesia. Neque addenda sunt alia elementa. Etenim neque id quod revelatur, neque persona cui fit revelatio, neque modus quo fit, neque finis ob quem fit—intrant in definitionem generalem. Utique si Deus dat revelationem, debet manifestare aliquid alicui aliquomodo. Per se autem Deus manifestare potest res quaslibet (notas vel ignotas, profanas vel religiosas), atque revelationem dare potest angelo vel homini, uni vel multis vel omnibus, verbo orali vel scripto etc.

Attamen a) in Apologetica loquimur de revelatione danda vel data *hominibus;* ad talem enim refert D 1792. b) Loquimur de revelatione rerum *religiosarum;* nam Apologetica unice quaerit num Deus talia revelaverit, et propter Dei sapientiam revelatio restringenda esse videtur ad talia, saltem si postuletur ut omnes homines assentiant.

Nullo modo autem requiritur ut revelatio sit de rebus *novis* seu antea ignotis. Licet igitur secundum etymon vocis et in usu ordinario revelatio sit manifestatio rei ignotae, non sic sumitur in Ecclesia.[5]

Nota (dogm.). Nihilominus in revelatione christiana multa *nova* continentur. Praeterea etiam cum Deus revelat aliquid naturaliter notum (v.g. suam omnipotentiam), semper habetur aliquid novum, scil. a) cognitio mentis divinae de eadem re, b) novum motivum admittendi rem, c) tandem novus potest esse modus vel finis cognitionis.

B. Divisiones

1. Ex usu theologorum, revelatio dicitur *immediata* vel *mediata* prout Deus alicui loquitur sine vel cum interventu alterius personae. Is per quem Deus loquitur aliis, generatim vocatur 'propheta' seu legatus divinus.

---

[4] Alia argumenta habes apud Pesch VIII n. 231-4.

[5] Falcon p. 60; The Month, Nov. 1929 p. 464; Lusseau p. 59-60; Billot. Insp. p. 56-8

Nota. Etiam revelatio quae homini fit per angelum (v.g. cum Gabriel annuntiavit Mariae Incarnationem), dicitur immediata.

2. Ex usu theologorum revelatio dicitur *privata* vel *publica* prout a Deo intenditur pro uno (vel paucis) vel omnibus. Sic probabimus revelationem christianam esse maxime publicam, quia a Deo intenditur pro omnibus omnino hominibus.[6]

3. Revelatio *praeternaturalis* et *supernaturalis*

Uti diximus, omnis revelatio est praeternaturalis. Potest autem esse vel mere praeternaturalis vel supernaturalis. Si dicitur supernaturalis, definitioni genericae additur aliquid quod est proprium solius Dei ac proinde *prorsus indebitum* naturae creatae, ad quod scil. natura creata nullam potentiam (vires aut exigentias) habet praeter oboedientialem. Tale additamentum haberi potest in modo quo fit revelatio, in fine ob quem fit, in re quae revelatur. Revelatio mere praeternaturalis excludit tale additamentum.

Nota (dogm.). a) De facto, tota revelatio christiana est supernaturalis propter *modum* et *finem*. Modus enim quo facta est, est Incarnatio, et eius finis est visio beatifica; atqui utraque est humanae naturae prorsus indebita. b) Quoad obiectum autem fit distinctio. Revelatio christiana enim continet mysteria et veritates naturaliter cognoscibiles. Hinc dicitur supernaturalis *quoad substantiam* quatenus continet mysteria; et dicitur supernaturalis *quoad modum* quatenus aliae veritates revelatae sunt modo supernaturali, scil. per Verbum Incarnatum.[7]

4. Theologi etiam distinguunt a) revelationem *primitivam*, quae data est primis parentibus (cum ante tum post peccatum originale) et patriarchis, b) revelationem *mosaicam*, quae data est Moysi pro solo populo Israel, c) revelationem *christianam*, quae data est a Christo pro mundo universo.

5. Religio quatenus fundatur in revelatione, dicitur *positiva*.

Revelatio naturalis

1. Haec non est locutio Dei, sed manifestatio Dei *indirecta*, i.e. quae requirit ratiocinium ex parte nostra.

Scil. Deus nobis manifestat suas perfectiones, nostra officia et finem per facultates nostras naturales. Ex consideratione enim huius mundi visibilis, conscientiae nostrae moralis, cursus historiae etc. intellectus noster *infert* a) exsistentiam Dei eiusque varia attributa, praesertim eius dominium supremum et providentiam (cf.

---

[6]Quoad revelationes privatas, de quibus vix loquimur, cf. Pesch VIII n. 241-250; A. Sandreau, Divine Communications; Finlay, Divine Faith p. 55-74; Michael, in ZkTh 1901 p. 385-400.

[7]Cf. supra p. 2; DieckmannR p. 144-6.

Theol. nat.), b) obligationem amandi et colendi Deum (cf. Ethic.), c) gloriam Dei et beatitudinem propriam ut finem ultimum nostrum (cf. Cosmol.).

Complexus harum veritatum vocatur "religio naturalis" (Rom 1, 20).

2. Haec revelatio neque est praeternaturalis neque supernaturalis, sed *debetur* homini. Nam a) repugnat sapientiae et bonitati Dei creare hominem et tamen nolle se ei manifestare hoc modo; b) haec revelatio non excedit potentias et exigentias naturales hominis.

3. Hinc revelatio naturalis active spectata coincidit cum actione creativa, qua scil. Deus hominem ita creavit (et conservat) ut homo lumine mere naturali possit haec cognoscere; obiective spectata sunt veritates religionis naturalis.

II. Mysterium

A. Definitio

Sensu vulgari, mysterium est res seu veritas abscondita, praesertim si excedit nostras facultates, ita ut eam aut nullo modo aut non sine magno labore cognoscere possimus.[8] In usu Ecclesiae Catholicae autem mysteria divina (de quibus solis est sermo), sunt "veritates in Deo absconditae quae, nisi revelatae divinitus, innotescere non possunt" (D 1795).

Nota. Non dicimus 'in usu Scripturae'; in ea enim vox 'mysterium' non semper fert eundem sensum.[9]

B. Divisiones

Mysteria divina dupliciter dividuntur: a) stricte et late dicta, b) absoluta et relativa.

1. *Mysterium stricte dictum* (simpliciter) est veritas ita in Deo abscondita ut non solum non possit a nobis inveniri absque revelatione, sed neque plene intellegi post revelationem. Hanc definitionem esse bonam, patet ex Conc. Vat., quod asserit dari veritates revelatas quae "e naturalibus principiis intellegi et demonstrari"

---

[8]Quoad alias significationes antiquas et hodiernas, cf. Baierl I 1 p. 91-2.

[9]Cf. Zorell s.v. μυστήριον; DThC s.v. Mystère col. 2586. Quoad usum vocis apud S. Paulum, cf. Prat, Theol. II p. 383-5. Quoad usum vocis apud S. Thomam, cf. Hoffmann, in Divus Thomas 1939 p. 30-60; quoad usum anteriorem, cf. Lubac, in Rech. de Science rel. 1939 p. 281-8.

nequeant (D 1816), et quae semper manebunt "quadam quasi caligine obvoluta, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino" (D 1796).[10]

A theologis igitur mysterium stricte dictum definitur breviter: Veritas in Deo abscondita cum quoad *exsistentiam* tum quoad *essentiam.*

Explicatur haec definitio theologorum:

a. Omnis veritas a nobis exprimitur per iudicium. Iudicium autem constat 3 elementis: S, P, copula (est—non est). Forma iudicii est copula; S et P se habent ut materia iudicii.

Iamvero ut plene intellegamus veritatem, duo intellegenda sunt: scil. significatio S et P, et copula. De copula autem duo quaeri possunt: a) an sit, b) cur sit. Ut igitur copula plene intellegatur, intellegenda est non tantum 'exsistentia' (factum, an sit), sed etiam 'essentia' seu ratio interna (cur ita debeat esse, 'probabilitas antecedens', uti hodie dicunt).

b. Si applicamus haec ad mysteria stricte dicta, duo dicenda sunt: a) S et P possunt esse naturaliter nota, atque possunt esse propria vel analoga. Rem exemplo illustrat S. Augustinus: "Credimus Iesum Christum natum de Virgine, quae Maria vocabatur. Quid autem sit 'virgo', quid sit 'nasci', quid sit 'nomen proprium'—non credimus, sed prorsus novimus" (De Trin. VIII 8).[11] b) Quoad copulam: Ante revelationem mysterii stricte dicti nequit cognosci eius exsistentia ('an sit') neque eius essentia ('cur sit'). Post revelationem cognoscimus quidem eius *exsistentiam* eamque credimus ob auctoritatem Dei loquentis, sed non plene intellegimus eius *essentiam.* Unde etiam post revelationem mysteria stricte dicta nequeunt probari rationibus internis—sive directe sive indirecte—sive certo sive probabiliter.[12]

Nota (dogm.). Mysteria stricte dicta sunt SS. Trinitas, Incarnatio, visio beatifica—et ea quae dicunt ordinem intrinsecum ad haec (v.g. peccatum originale, redemptio, gratia supernaturalis).[13]

---

[10] Cf. D 1669-1673 (contra Frohschammer) et 1786.

[11] Divina omnia quidem concipimus analoge, sed non ideo omnia divina sunt mysteria.—Revelatio non mutat cognitionem nostram Dei ex analoga in propriam; unde sicut omnis cognitio Dei ante revelationem et fidem est analoga, ita etiam postea. Cf. Pesch II n. 94; Müller p. 94; DieckmannR p. 143; van Laak, Rep. p. 28.

[12] D 1915; Dorsch I p. 302; DieckmannR p. 195; Garrigou-Lagrange p. 79.

[13] D 1669; Pesch IV n. 55; II n. 82-5; Otten III p. 174-5.

2. *Mysterium late dictum* (secundum quid) est veritas in Deo abscondita cuius exsistentiam cognoscere non possumus absque revelatione, sed cuius possibilitatem et convenientiam sat facile percipimus post revelationem (v.g. ultimum iudicium, resurrectio mortuorum). Unde haec mysteria, quod factum attinet, a nobis ante revelationem inveniri non possunt; pendent enim a libera voluntate Dei. Post revelationem autem cognoscimus non tantum factum, sed a) etiam possibilitas interdum probari potest; b) convenientia saltem suaderi potest.[14]

3. Mysterium divinum dicitur *relativum* vel *absolutum*, prout tantum nobis absconditum est vel omni intellectui creato, etiam angelico.[15]

III. Fides

1. In genere

Non tantum apud vulgus vox 'fides' multipliciter sumitur, cum sensu ordinario tum religioso,[16] sed etiam in S. Scriptura.[17] Saltem una significatio autem eaque valde communis est haec: a) subiective, fides est assensus mentis praestitus ob auctoritatem testis sensu stricto; potest esse actus vel habitus; b) obiective, fides est id (i.e. propositio) cui mens assentire potest ob auctoritatem talis testis. Hoc sensu nunc intellegimus vocem 'fides'.

Quae fides nititur evidentia extrinseca.

2. Fides divina

Ubi testis est merus homo, fides quam ei praestamus dicitur humana. Sed in usu Ecclesiae, fides fere semper sumitur ut *divina,* atque respondet revelationi seu locutioni divinae. Unde fides subiective sumpta est assensus mentis praestitus ob auctoritatem Dei loquentis. Fides obiective sumpta est id cui mens ita assentire potest seu verbum Dei.

Hanc definitionem exprimere usum Ecclesiae Catholicae, constat a) ex Conc. Trid. (D 798) et Vat. (D 1789), b) ex communi

---

[14] Cf. quae Suarez habet de resurrectione Christi (De myst. Christi qu. 53 a. 1 s. 8; Grandmaison III p. 156) vel de conceptu virgineo (ib. qu. 28 a. 3 s. 1). Quoad resurrectionem mortuorum Pesch dicit: "stricte probari non potest, suaderi potest" (IX n. 686).

[15] D 1673.

[16] Cf. Dict. lat. s.v. fides; Standard Dict. s.v. Faith, Belief, Trust.

[17] Cf. Pesch VIII n. 121; Zorell s.v. πίστις; Prat, Theol. II p. 233-242, 448-455.

doctrina Patrum et Theologorum, c) ex iuramento antimodernistico (D 2145).[18]

Fides divina subiective sumpta dicitur naturalis vel supernaturalis prout elicitur sine vel cum gratia elevante. Fides divina obiective sumpta est vel mere praeternaturalis vel supernaturalis.[19]

3. Origo fidei divinae (subiective sumptae)

a. *Praeambula fidei* dicuntur "veritates quarum certa notitia ante fidem praerequiritur" (Pesch VIII n. 281). Includunt igitur non tantum veritates de Deo naturaliter notas, sed etiam argumenta quibus constat factum revelationis. Haec ultima ab aliis vocantur "motiva credibilitatis".

b. Ut fides sit rationabilis, praecedere debet iudicium credibilitatis. Quod tamen realiter distinguitur ab assensu fidei. In iudicio credibilitatis enim mere iudicamus adesse motiva sufficientia ad credendum; qui autem credit, assentit ipsi rei. Unde potest aliquis admittere credibilitatem rei et tamen eam non credere.

c. Obligatio credendi

Auctoritas testis est illa eius qualitas ob quam ei rationabiliter credere possumus; quae qualitas coalescit ex eius scientia et veracitate. Irrationabile est credere ei cui deest vel scientia vel veracitas vel utraque. Ab hac auctoritate differt *auctoritas iurisdictionis,* cui debetur submissio voluntatis et oboedientia. Illa gignit credibilitatem, haec credenditatem seu obligationem credendi.

Quaecunque igitur Deus revelavit, sunt credibilia; nam Deus qui "nec falli nec fallere potest" (D 1789), gaudet summa auctoritate testis. Et quaecunque Deus auctoritative loquitur, credenda sunt; nam si Deus, dominus omnium, vult ut praestemus assensum, sane oboedire tenemur.

4. *Scientia et fides*

Scholastici caute distinguunt inter fidem (subiectivam) et scientiam. Illa enim nititur in evidentia extrinseca, haec in intrinseca.

Ulterius autem quaerunt utrum eadem veritas possit sciri et credi. S. Thomas saepius docet: "Idem sciri et credi nequit" (v.g. II II qu. 1 a. 5). Inde autem oritur difficultas. Nam dogmata catholica

---

[18] Pesch VIII n. 125-7.

[19] Cf. supra p. 2, 25; Lange, De Gratia p. 212-220; Billot, Virt. p. 64-89; Stolz, Glaubensregel etc.

credi possunt ac debent; ergo, secundum S. Thomam, non possunt sciri neque demonstrari.

Duae sunt solutiones quae minus placent. a) Aliqui distinguunt *obiecta.* Sic ipse S. Thomas distinxit inter mysteria stricte dicta, quae per se creduntur, et alia quae per accidens creduntur.[20] Non placet, quia Ecclesia nobis proponit utraque aeque credenda. b) Alii distinguunt *evidentiam* rei et dicunt: Veritas quae est perfecte evidens, credi nequit; veritas autem quae non est perfecte evidens neque cogit mentem ad assensum, credi potest.[21] Non placet, quia non apparet cur Deus non possit (saltem potentia absoluta) revelare rem perfecte evidentem aut cur non possimus eam credere etiam ob eius auctoritatem.

Praeferimus distinguere diversos *respectus* et *actus.* Scil. id quod iam scitur, nequit credi fide divina sub eodem respectu *Tr.* vel *C.* sub diverso respectu *N.* vel *subd.* in eodem actu *Tr.* in diversis actibus *N.* Prima distinctio, post S. Gregorium, desumitur ex J 20, 28, ubi Thomas Ap. oculis suis vidit Iesum redivivum ac propterea credidit eum esse Deum. Subdistinctio autem patet ex eo quod saltem in diversis actibus abstrahere possumus sive ab evidentia rei sive ab auctoritate Dei revelantis.[22]

IV. Dogma

A. Definitio

In usu Ecclesiae, dogma est propositio vel de fide (divina) *definita* vel de fide *divina et catholica.* Hinc revelatio et dogma inadaequate distinguuntur; nam omne dogma enuntiat doctrinam revelatam, sed non omnis doctrina revelata vocatur eo ipso dogma; ut doctrina revelata fiat dogma, magisterium Ecclesiae eam explicite proponere debet ad credendum "sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio" (D 1792).[23]

---

[20] Similiter Garrigou-Lagrange p. 237.

[21] Ita Billot (Virt. p. 200-221, 244-256; Eccl. I p. 32-3).

[22] Quoad hanc quaestionem, cf. Suarez, De myst. Chr. qu. 53 a. 1 s. 8; idem, De Fide, Disp. 3, s. 9; Pesch II n. 40-4; VIII n. 399-409; Wilmers, Lehrb. I p. 72-3; Schultes p. 154-5; Muncunill II p. 149; van Laak, Rev. in abstr. p. 12; Vacant II p. 197-203; Mazzella, Virt. p. 198-209; Kösters, in LThK IV col. 603.

[23] DieckmannE II p. 143.

Nota. Sensu latiore, dogma dicitur quaelibet propositio formaliter revelata, sive qua talis credenda proponitur a magisterio sive non. Propositio de fide ecclesiastica autem non debet vocari dogma (contra Suarez et Lugo.).[24]

B. Divisiones

Omnia dogmata, etiam sensu latiore, sunt eiusdem veritatis et valoris; continent enim verbum Dei. Nihilominus variae distinctiones fieri possunt.

a. Dogmata *generalia* vel fundamentalia sunt ea ex quibus alia logice pendent (v.g. Christus est Deus). Dogmata *particularia* sunt ea quae logice pendent ex fundamentalibus.

Nota. Alia (ac reicienda) est distinctio quam Protestantes ponunt inter 'fundamentalia' et 'non-fundamentalia'.[25]

b. Dogmata *explicita* sunt dogmata sensu stricto; dogmata *implicita* sunt ea quae nondum explicite proponuntur credenda.

C. Termini affines

a. *Depositum fidei* est summa veritatum quas Christus revelavit, ad quarum propagationem officialem instituit magisterium in Ecclesia sua, et quibus omnes Catholici firmissime assentire debent (explicite vel saltem implicite).

b. *Articulus fidei* est dogma fundamentale quod ab omnibus Catholicis explicite credendum est (necessitate medii vel praecepti).

c. *Veritas catholica* vel *doctrina catholica* sunt termini sat ambigui. Generatim significant propositionem de fide ex iugi magisterio vel theologice certam; sed saepe extenduntur ad omnia quae sunt certa et communiter tenentur in Ecclesia.[26]

d. *Factum dogmaticum* (sensu technico) est factum non-revelatum quod extrinsece, sed intime conexum est cum revelatione (v.g. Concilium Tridentinum fuit oecumenicum).

V. Notae et Censurae

Utilitatis causa, hic breviter adicimus *notas theologicas* quibus designari solet valor dogmaticus propositionum, et *censuras theologicas* (non canonicas) quibus notari solent propositiones eis oppositae (i.e. stricte seu immediate contradictoriae).[27]

---

[24] Bainvel, Mag. p. 13; DThC s.v. Dogme col. 1575-8.

[25] CE s.v. Fundamental Articles; DThC I col. 2027-8; IV col. 2131; Zapelena p. 168; de Groot p. 154; Walker p. 34-8.

[26] DThC s.v. Dogme col. 1579.

[27] Pesch I n. 554-9; Zapelena p. 341-2.

Nota. Terminologia hac in re non est uniformis; sequimur usum hodiernum communiorem. Vox 'fides' autem, ubi occurrit, sumitur obiective.

I. Notae theologicae

1. *De fide divina* est propositio formaliter revelata (explicite vel implicite).

a. *De fide divina et catholica* seu *de fide catholica* est propositio quae non tantum formaliter revelata est, sed etiam proponitur a magisterio ad credendum. Quae iterum duplex esse potest, uti patet ex D 1792: a) de fide *definita* est propositio formaliter revelata quam magisterium proponit in solemni definitione; b) de fide *ex iugi magisterio* est propositio formaliter revelata quae non est quidem definita, sed proponitur ut revelata et credenda per magisterium ordinarium et universale.

b. *De fide divina tantum* est propositio formaliter revelata, quam tamen magisterium nondum distincte proponit ad credendum.

c. *De fide ex clara Scriptura* est propositio quae clare continetur in S. Scriptura, sed non distincte proponitur a magisterio ad credendum.

2. *De fide ecclesiastica* est propositio non-revelata, quae tamen a magisterio omnibus tenenda proponitur, quia sine ea revelatio ipsa salva esse non possit. Dicitur etiam 'de fide mediate divina'.

3. *Proxima fidei* (divinae) est propositio formaliter revelata, sed de cuius propositione per magisterium non clare constat. Est propositio '*definibilis*' (sed nondum definita), seu quae habetur ut revelata unanimi fere consensu.

4. *Theologice certa* est propositio virtualiter revelata, i.e. propositio deducta ex praemissa formaliter revelata ope alterius praemissae naturaliter certae.

Nota. Talis non est conclusio "syllogismi expositorii". Maior syllogismi expositorii enim est mera summatio et nititur inductione completa (v.g. omnes Apostoli erant Galilaei; atqui Petrus erat Apostolus; ergo). Unde Maior supponit conclusionem notam et implicite contentam. In syllogismo stricto autem Maior debetur abstractioni, neque conclusio in ea continetur nisi virtualiter.

5. *Certa et communis* est propositio aliquomodo conexa cum revelatione, pro qua habetur consensus Patrum vel Theologorum.

II. Censurae theologicae

1. *Haeretica* est propositio opposita propositioni de fide divina et catholica.[28]

2. *Error in fide* est propositio opposita propositioni de fide ecclesiastica.

3. *Haeresi proxima* est propositio opposita propositioni proximae fidei.—*Haeresim sapiens* vel *suspectae haeresis* est propositio quae videtur supponere haeresim (v.g. si Lutheranus dicit: Fides iustificat) vel ducere ad eam.[29]

4. *Erronea* dicitur propositio opposita propositioni theologice certae.

5. *Temeraria* est propositio opposita propositioni certae et communi.

---

[28] CIC can. 1325, 2.
[29] CIC can. 1324.

APOLOGETICAE

PARS SECUNDA

Possibilitas Apologeticae

Quid in hac parte probandum sit, cf. supra p. 18.

Communius theologi incipiunt a consideratione revelationis quasi in abstracto; scil. non supponunt aliquid iam esse revelatum, neque agunt de ulla revelatione particulari. Unde haec pars Apologeticae saepe inscribitur "Apologetica in abstracto". Vel dicitur "pars philosophica Apologeticae", quia arguit quasi a priori, i.e. ex nudis conceptibus qui involvuntur in revelatione ut sic.

Nota. Neuter titulus placet. Non prior, quia saepe insistendum erit res considerandas esse in concreto. Non alter, quia Apologeticae methodus multum differt a philosophica (supra p. 19).

Hanc secundam partem Apologeticae tribus articulis absolvemus:

1. Possibilitas revelationis
2. Necessitas revelationis
3. Cognoscibilitas revelationis

ARTICULUS 1

POSSIBILITAS REVELATIONIS

THESIS 1

Ostendi nequit revelationem divinam, sive immediatam sive mediatam, impossibilem esse.

Cf. S. Thomas, Contra gent. I cap. 4 et 6.

Baierl I 1 p. 1-83; Brunsmann-Preuss II p. 5-30; DieckmannR p. 156-188; Dorsch I p. 316-324; Falcon p. 76-82, 89-93; FelderA I p. 27-40; Garrigou-Lagrange p. 158-167; Goebel p. 37-42; Hervé I p. 58-62; van Laak, Rev. p. 9-18; idem, Rep. p. 23-27; Langan p. 6-12; Lercher I p. 29-42; Mazzella, Rel. p. 54-66; Muller p. 78-96; Muncunill I p. 43-62; van Noort, Rev. p. 18-31; Ottiger I p. 37-84; Pesch I n. 150-159; Romeis p. 8-12, 18-20; Tanquerey I p. 129-134; Wilmers p. 56-60, 75-9; idem, Lehrb. I p. 102-110.

Thesis haec non est prorsus necessaria ad scopum Apologeticae. Potest aliquis probare Christum esse Deum et doctrinam eius esse revelationem, ac dein arguere: Ab esse valet illatio ad posse. Iuvat tamen thesim ponere ut pateant *obiectiones adversariorum.* Hinc nobis etiam sufficit ponere eam negative ("ostendi non potest").

1. *Revelatio divina* quid sit in sensu Ecclesiae, cf. supra p. 22-4. Tria notanda:

a. Quoad *obiectum* revelationis: Per se nullam restrictionem ponimus quoad res revelandas. Argumenta afferenda aeque valent de rebus religiosis ac profanis, de veritatibus iam notis ac novis, de mysteriis ac de rebus naturaliter cognoscibilibus. At a) primarie respicimus res *religiosas;* religio catholica enim primarie tales continet. b) Includimus non tantum veritates theoreticas vel historicas, sed etiam praecepta, ritus etc. c) Cum in thesi 2 explicite agamus de mysteriis (scil. propter obiectiones speciales), nunc ab eis abstrahimus; non enim necessarium est ut res revelata sit mysterium.

b. Agimus de revelatione danda *hominibus* (non angelis), et quidem de revelatione *publica,* quatenus scil. Deus vult ut plurimi (vel *omnes*) eam audiant et accipiant.

c. Quamvis tota revelatio christiana sit supernaturalis (cf. supra p. 2, 25), nobis nunc sufficit (contra Bachelet) defendere possibilitatem revelationis *praeternaturalis* (generice dictae).[1] Hinc si

---

[1]DieckmannR p. 20, 144-146; DA I col. 235.

quis obicit contra modum particularem revelationis, obiectio per se transmitti potest; sunt enim vel esse possunt alii modi revelationis.

2. *Impossibilitas*

Possibile est id quod esse vel fieri potest; possibilitas est habilitas seu aptitudo ad exsistendum. Impossibile est id quod esse vel fieri non potest; impossibilitas est inhabilitas seu ineptitudo ad exsistendum.

Duplex est divisio utriusque conceptus:

a. Res dicitur *interne* (metaphysice) possibilis, si eius notae sunt sociabiles, i.e. si non est contradictio inter eas. Res dicitur *externe* possibilis, si datur causa efficiens quae eam producere potest. Externa possibilitas utique supponit internam. Inde patet quid sit impossibilitas interna vel externa.

b. Ubi agitur de agente vel patiente *rationali,* possibilitas seu potentia externa (sicut etiam impossibilitas seu impotentia externa) est physica vel moralis.

Physice impossibile est id ad quod agens vel patiens non habet potentiam physicam (v.g. oculi non possunt intellegere). *Moraliter* impossibile dicitur id quod physice quidem fieri potest, sed tantum cum maxima difficultate (v.g. vitare omnia menda in typographia, vel describere circulum perfectum sine circino). Si difficultas haec numquam superatur, impossibilitas dicitur *moralis stricte dicta;* si non superatur nisi rarissime, impossibilitas est *moralis late dicta.*[2]

Nota. a) Physica impotentia dicitur "ab extrinseco" si oritur ex defectu condicionis sine qua non (v.g. oculus videre nequit ubi deest lux); dicitur "ab intrinseco" si oritur ex natura rei. b) Impotentia moralis oritur ex *limitatione* et *multiplicitate* nostrarum facultatum. Quia enim nostrae facultates sunt finitae, fatigari possunt; et quia sunt multae, se invicem impedire possunt.

c. Possibilitas *adaequata* complectitur possibilitatem a) internam et externam, b) physicam et moralem.

Thesis est philosophice (i.e. ex lumine naturali) *certa.* Dogmatice est *de fide definita.* Nam Conc. Vat. definivit a) factum revelationis *immediatae* ("placuisse" D 1785; cf. D 2072-6) et *mediatae* ("usque ad nos pervenerunt" D 1787), b) possibilitatem *physicam* ("fieri non posse" D 1807) et *moralem* ex parte hominis ("non expedire" D 1807, "independentem" D 1810).

---

[2] DieckmannR p. 156-9, 179-181.

ADVERSARII

1. Contra revelationem *in genere*

a. Adversarii praecipui sunt *deistae,* qui non admittunt nisi religionem naturalem. Religionem positivam seu revelatam dicunt impossibilem vel incognoscibilem vel saltem superfluam ad salutem. Hinc deistae a) respuunt dogmata, quae proponantur ab auctoritate externa; b) ubi agitur de nova veritate religiosa, primo investigant "probabilitatem internam"; c) negant miracula atque quaevis opera praeternaturalia; his enim maxime probatur factum revelationis.

Nota. Deistae etiam vocabantur "naturalistae" et "freethinkers". Patria deismi autem est Anglia, ubi propagatus est saec. 17 et 18 (Herbert of Cherbury, John Locke, John Toland, Matthew Tindal etc.). Eum philosophice stabilire conati sunt David Hume et Immanuel Kant. Eius origo historica autem haec erat: Protestantismus reiecerat auctoritatem Ecclesiae, sed voluit retinere auctoritatem Scripturae. Cum autem Scriptura sit obscura, ortae sunt plurimae rixae (theologicae, philosophicae, politicae), ita ut multi inciperent dubitare de omni religione. Unde quaerebant criterium verae religionis, neque aliud invenerunt nisi *evidentiam internam.* Hoc criterium autem per se applicari non potest nisi religioni naturali.[3]

b. *Rationalismus* est ulterior evolutio deismi. Cum enim deistae potius usi essent argumentis philosophicis, rationalistae saec. 19 conati sunt probare argumentis *historicis* nullam revelationem esse umquam factam. In quibus argumentis tamen supposuerunt tria principia philosophica, ex quibus logice sequitur impossibilitas revelationis et miraculorum, scil. nihil est historicum nisi a) sit *analogum* pure humanis, b) possit explicari per causas *naturales,* c) se lente et continenter *evolvat* ex causis naturalibus. *Critici biblici* (Bible critics, higher critics) eadem principia supponunt in interpretatione S. Scripturae, praesertim N. T.[4]

Nota. Patria rationalismi est Germania. Sed extra Ecclesiam Catholicam fere omnes universitates mundi infectae sunt rationalismo.

c. *Modernistae* (v.g. Loisy) putaverunt veritatem divinam necessario *deformari* per revelationem (ex absoluta fieri relativam etc.).

2. Contra revelationem *mediatam*

Protestantes veteres, reiecto magisterio Ecclesiae tamquam regula

---

[3]CE s.v. Deism; LThK s.v. Deismus; Lechler, Geschichte des englischen Deismus.

[4]Fillion, Les étapes du rationalisme.

fidei, docebant solam Scripturam esse vel continere revelationem, et ad eam intellegendam pie legentibus dari specialem illustrationem Spiritus s. Post Schleiermacher, multi sic arguunt: Revelatio est experientia personalis; atqui haec aliis communicari nequit.[5]

Prima pars probatur

Revelatio immediata tria tantum elementa in suo conceptu continet: a) *Deum* auctoritative loquentem, b) *hominem* cui Deus loquitur auctoritative, c) *rem* (veritatem) revelandam.

Ergo impossibilitas (physica vel moralis) revelationis immediatae ostendi deberet sive ex parte Dei sive ex parte hominis sive ex parte rei revelandae.

Atqui impossibilitas nequit ostendi ex his.

Ergo nullo modo ostendi potest.

Prob. min.

1. *Ex parte Dei*

a. Possibilitas *physica*: Quod homo potest, Deus potest. Atqui homo potest alteri a) directe manifestare suam mentem, et simul b) ei manifestare se (non alium) loqui, ac c) postulare ut sibi credatur et oboediatur. Ergo Deus idem potest.—Immo Deus haec omnia potest multo facilius et melius; nam potest directe agere in intellectum et voluntatem hominis, augere eius vires, eum illuminare et roborare.

Dices 1. Cognitio divina est *simplex apprehensio, unica, infinita.* Atqui hanc Deus nulli creaturae communicare potest.

R. *C.M. Dist. min.* subiective spectatam *Tr.* vel *C.* obiective spectatam *subd.* prout est in Deo *C.* modo nobis accommodato *N.* Sicut is qui ipse tenet propositionem universalem, alteri manifestare potest particularem sub ea contentam—et sicut Deus creare potest entia quae sint imitationes particulares essentiae suae simplicissimae et infinitae—ita Deus nobis communicare potest veritates quasdam particulares quae continentur in simplici apprehensione divina. Saltem nequit ostendi repugnantia.

Urg. Cognitio divina est *simplicissima.* Ergo si Deus aliquid revelaret, aut totam suam cognitionem revelaret aut nihil. Atqui Deus nulli creaturae revelare potest totam suam cognitionem. Ergo nihil revelare potest.

R. *C. ant. N. prim. cons.* Datur tertium, scil. veritas partialis contenta sub cognitione Dei simplicissima.

Urg. Quidquid recipitur, *per modum recipientis* recipitur. Ergo si Deus nobis daret revelationem, cognitio divina fieret humana.

R. *C. ant. Dist. cons.* fieret humana quoad id quod Deus nobis manifestaret *N.* quoad modum quo in mente nostra recipitur *C.*[6]

---

[5] Falcon p. 90.

[6] Dorsch I p. 323; Goebel p. 41.

Urg. Saltem veritas, quae est absoluta in Deo, fieret *relativa* in homine.
R. *Dist.* i.e. mutaretur in errorem *N.* accommodaretur menti humanae *C.*[7]
Dices 2. Revelatio necessario *falsificaret* rem revelandam. Nam cognitio prout est in Deo, nihil sensibile continet; atqui omnis nostra cognitio aliquid sensibile continet; abstrahitur enim ex cognitione sensuum.
R. *N. ass. Ad prob. Tr. M. Dist. min.* quoad id quod enuntiatur *N.* quoad modum quo enuntiamus res *Tr.* Sicut magister potest se accommodare discipulo et tamen docere veritatem—ita Deus potest se accommodare nostro modo imperfecto cognitionis et tamen manifestare veritatem.[8]

b. Possibilitas *moralis*

Nota. Impotentia moralis, de qua supra p. 36, oritur ex natura finita et composita hominis; eius facultates enim fatigari et ab invicem impediri possunt. Uti patet, hoc sensu impotentia moralis nequit esse in Deo. Sensu *analogo* autem, Deo moraliter impossibile dicitur id quod repugnat, non eius omnipotentiae, sed aliis attributis; v.g. sapientiae.[9]

Attributa Dei quae obstare dicuntur revelationi, sunt tria: Dei bonitas, sapientia, immutabilitas.

Atqui a) nihil obstat ex parte *bonitatis* divinae. E contra, cum Deus sit pater et provisor mundi, convenit ut filiis suis manifestet suam voluntatem etiam directe; et cum Deus sit magister supremus, convenit ut discipulos suos doceat res quas ipsi vix invenirent vel retinerent. b) Nihil obstat ex parte *sapientiae* Dei. Cur enim Deus non potest habere rationem manifestandi nobis aliquid directe (v.g. ut nos iuvet in degenda vita vere rationali)? c) Nihil obstat ex parte *immutabilitatis* Dei. Nam Deus potuit ab aeterno decernere et ordinem naturalem et revelationem praeternaturalem.

Dices 1. Finis revelationis esset *corrigere* ordinem naturalem. Atqui id repugnat sapientiae divinae, quae creavit hunc ordinem.
R. *N.M.* Possunt dari alii fines Deo digni. Cf. thes. 3.
Urg. Si homo ab initio habuit omnia ad finem suum necessaria, *superflua* est quaelibet revelatio. Atqui verum est antecedens; secus natura humana esset manca.[10]
R. *N.M.* a) Non statim id quod non est absolute necessarium, superfluum dicendum est; et homo, utpote ens finitum, perfici potest. b) Potest esse ut revelatio sit homini moraliter necessaria. c) Tandem potest Deus hominem evehere ad finem et ordinem supernaturalem; quo in casu, revelatio esset ei absolute necessaria. Cf. thes. 3.
Dices 2. Si Deus daret revelationem, *mutaretur.* Nam eo ipso quod creavit mundum, manifestavit se velle revelationem naturalem; quodsi nunc daret revelationem praeternaturalem, id non iam vellet.
R. *N. ass. eiusque probationem.* Similis obiectio urgetur contra miraculum, creationem etc.[11]

---

[7]DThC s.v. Dogme col. 1579-1582.
[8]Dorsch I p. 320; Lercher I p. 42; Billot, Trad. p. 89-115.
[9]Cf. distinctionem inter Dei potentiam absolutam et ordinatam.
[10]Hoc erat unum ex argumentis praecipuis deistarum.
[11]Cotter, Cosmologia p. 346.

2. *Ex parte hominis*

a. Possibilitas *physica*: Haec implicite continetur in priore probatione. Si enim Deus homini loqui potest, homo Deum loquentem audire potest.

Obiciunt Strauss, Pfleiderer etc. In revelatione homo esset ***pure passivus.*** Atqui id repugnat cognitioni humanae.

R. *N.M.* Is qui audit Deum loquentem, non est magis passivus quam is qui audit alium hominem loquentem; uterque debet attendere, intellegere, assentire—qui sunt actus vitales.

Urg. Deus est summe activus. Atqui summae activitati ex parte Dei respondet pura passivitas ex parte hominis.

R. 1. Si hoc argumentum valeret, sequeretur occasionalismus.

R. 2. *Dist. ant.* quatenus Deus est actus purus et causa prima in omnibus actionibus creaturarum *C.* quatenus Deus supprimat vires et actiones creaturarum *N.*[12]

b. Possibilitas *moralis*: Haec hodie negatur ob duplicem rationem: a) quia homo numquam certus fieri possit ***Deum*** esse locutum; b) quia mentalitas hodierna respuat quamlibet locutionem *auctoritativam,* scil. ita ut homo implicite credere et oboedire debeat; id enim dicunt esse *homine indignum.*

Atqui a) quomodo homo certus fieri possit Deum esse locutum, videbimus in thesi 5. b) Homine non est indignum credere et oboedire auctoritati externae. Etenim non tantum pueri fere omnia discunt fide, qui sine ea ne incipere quidem possent; sed etiam adultis convenit instrui. Nam nemo omnia scit; id quod valet non tantum quoad facta particularia, sed etiam quoad veritates generales ac praesertim profundiores; dein etiam adultos decet discere a sapientioribus, et in multis rebus omnes sumus rudes;[18] tandem discere a Deo eo magis decet hominem quo sapientior est hic magister et quo certior veritas revelata. Neque oboedientia est virtus propria tantum puerorum, sed etiam adulti oboedire debent legibus reipublicae, civitatis etc.; neque differre licet oboedientiam donec ratio legis plene intellegatur; sine hac oboedientia oriretur chaos socialis. Deus autem gaudet auctoritate maiore quam respublica vel civitas.

Dices 1. Revelatio, utpote factum praeternaturale, redderet omnem *historiam* impossibilem; historia enim nihil admittere potest nisi successionem naturalem eventuum.

R. *N. totum.* Primum munus historiae est admittere facta pro quibus habetur sufficiens evidentia; secus inducitur skepticismus historicus. Deinde historia admittere debet multos eventus quorum causae naturales ignor-

---

[12]Pesch I n. 157; Müller p. 95.

[18]S. Thomas, Contra gent. I c. 4.

antur; quo iure igitur negantur eventus qui fortasse postulant causam praeternaturalem? Tandem negare a priori possibilitatem eventus praeternaturalis, derogat dominio supremo Dei. Ergo principia rationalistarum (supra p. 37) recte dicuntur *praeiudicia*.[14]

Dices 2. Revelatio novorum praeceptorum restringeret *libertatem* humanam; ergo esset odiosa.

R. *Dist. ant.* libertatem physicam (psychologicam) *Tr.* vel. *N.* moralem *subd.* ita ut simul nos adiuvet in vita vere rationali C. aliter *N.*[15]

Urg. Revelatio restringeret libertatem *scientiae*.

R. a) Multae scientiae nullam vel vix ullam relationem habent cum rebus religiosis. b) Cum verbum Dei sit necessario verum, revelatio non impedit nisi errorem; atqui nulla scientia habet ius ad errorem. c) Revelatio non impedit quin homo scientifice investiget res revelatas.

3. *Ex parte rei revelandae*

Res revelanda aut est mysterium aut non. De revelatione mysteriorum agemus in thesi 2. Aliae res autem sunt etiam naturaliter notae vel cognoscibiles; hinc nulla potest esse difficultas in earum manifestatione praeternaturali.—Speciatim valde *conveniens* est ut Deus nobis revelet veritates religiosas. Hae enim gravissimae sunt, et tamen ob varias causas obscurari atque erroribus fere supprimi possunt (cf. thes. 3).

Nota. Haec pars thesis etiam confirmari potest ex persuasione *generis humani*.[16]

Schol. (dogm.) *Modi revelationis immediatae*

Ne thesis nimis videatur haerere in aere, consideremus tres modos quibus Deus *de facto* dedit revelationem:

a. Modus specialis et stricte supernaturalis est *Incarnatio*. In Incarnatione enim Verbum divinum hypostatice unitum est naturae humanae, cui talis unio nullo modo debebatur. Actiones autem sunt suppositorum. Unde locutio Christi erat vera locutio Dei.[17]

b. Alter modus specialis est *inspiratio biblica*. In hac enim Deus nobis aliquid directe manifestat—non quidem loquendo, sed scribendo (per hagiographum). "Deus nobis litteras misit", dicunt Patres.

c. *Prophetis V. T.* Deus locutus est sicut nos loquimur aliis. Nos quidem, cum aliis loquimur, adhibemus signa externa (voces, gestus etc.) et media externa (aera, aethera, telephonium etc.). Signis externis producimus motus in medio, et eorum ope impres-

---

[14]Pinard I p. 352-404; II p. 88, 184-220; Marston, Bible Evidence p. 50-64.

[15]Christus dicit: "Veritas liberabit vos".

[16]van Laak, Rev. p. 12-13; DieckmannR p. 174.

[17]Errat autem Karl Barth, qui putat Incarnationem esse unicum modum revelationis.

siones in aliorum organis externis (oculis, auribus etc.). Has impressiones sequitur species expressa in sensibus audientis, actio phantasiae, tandem intellectio.

Etiam Deus, cum vult loqui ad hominem, potest id facere per signa externa.[18] Sed potest etiam immediate excitare in sensibus externis speciem impressam.[19] Vel potest immediate agere in phantasiam hominis, scil. aut infundendo nova phantasmata aut aliter disponendo ea quae homo iam habet. Tandem potest Deus immediate agere in intellectum humanum, ei infundendo species intellegibiles impressas. Unde theologi distinguunt tres modos revelationis accidentaliter diversos: *sensibilem, imaginariam, intellectualem.*

Quem modum Deus de facto elegerit in singulis casibus V. T., saepe difficile est dictu. Secundum S. Thomam, communior erat revelatio *imaginaria,* et quidem ea quae fit nova dispositione phantasmatum iam habitorum.[20]

Secunda pars probatur

1. *Possibilitas physica*

Supposita possibilitate (saltem negativa) revelationis immediatae, revelatio mediata ideo tantum dici posset impossibilis vel a) quia propheta necessario *confunderet* res sibi revelatas cum ideis propriis, vel b) quia non posset efficaciter *moveri* ad revelationem acceptam aliis tradendam, vel c) quia factum revelationis originariae non iam posset aliis *certo constare.* Nullum aliud elementum intrat in definitionem revelationis mediatae qua talis.

Atqui nulla ex his rationibus valet.

Ergo revelatio mediata nequit dici impossibilis.

Prob. min.

a. Providentiae Dei non possunt deesse viae quibus impediatur *confusio* in mente prophetae. Sic potest Deus movere prophetam ut revelationem acceptam statim scribat; aut potest eligere prophetam qui vel naturaliter vel propter educationem aptus est distinguere inter ideas suas et alias etc.

Nota (dogm.) De facto, Christus promisit Apostolis eorumque successoribus *assistentiam Spiritus s. et suam* ne revelatio semel data corrumperetur (J 14, 26; Mt 28, 20).

---

[18] v.g. verba scripta in pariete: Dan 5, 5.
[19] v.g. 4 Reg 6, 11-23.
[20] Oudenrijn p. 171-183; DieckmannR p. 170-2.

Dices: Omnis veritas quam homo per aliquod tempus habet in mente, necessario (i.e. necessitate psychologica) *miscetur* aliis rebus et sic corrumpitur.

R. 1. Hoc non est principium, sed gratuita assertio. Si ita esset, nemo scientias naturales aut etiam mathematicam mente retinere et alios docere posset.

R. 2. *Dist.* id fit naturaliter *Tr.* ne Deus quidem impedire potest talem confusionem *N.*

Urg. Omnis veritas corrumpitur per transmissionem seu traditionem; "fama crescit eundo".

R. eodem modo.

b. Sapientiae divinae non possunt deesse viae quibus propheta *moveatur* efficaciter ut aliis annuntiet revelationem acceptam. Nonne homo hominem movere potest etiam contra eius voluntatem?

Nota (dogm.) Cf. quomodo Deus moverit Jonam prophetam contra eius voluntatem, vel quomodo Spiritus s. moverit Apostolos timidos.

c. Si deistae (v.g. A. Collins, S. Reimarus) urgent factum revelationis non iam posse *constare,* respondemus:

Rex humanus legatum suum iis notis insignire potest quibus subditi certo cognoscant eum loqui nomine regis. Cur ergo sapientiae Dei deessent *signa* quibus hominibus certo constet missio divina prophetae? Cf. thes. 5.

2. *Possibilitas moralis*

a. Non negamus melius esse, ob varias rationes, si Deus daret suam revelationem unicuique immediate. At sicut Deus non tenetur dare revelationem ullam, ita liber est quoad modum. Neque dici potest revelationem mediatam esse minus convenientem.

Dices 1. Revelatio mediata non iam esset divina, sed *humana;* nam is qui mihi loquitur non esset Deus, sed homo. (Hac obiectione moventur praesertim homines hodierni).

R. *Dist.* non esset immediate divina *C.* mediate *N.* Vel aliter: esset pure humana *N.* divino-humana *C.* Neque propheta est merus homo, sed legatus Dei.[m]

Urg. Revelatio requirit in accipiente "lumen propheticum"; atqui homo homini tale lumen dare nequit.

R. *Dist. M.* requirit lumen peculiare ad intellegendam significationem revelationis aut ad admittendum factum revelationis *N.* requirit motiva credibilitatis et credenditatis *C.*

Urg. Saltem certitudo revelationis mediatae esset *minor.*

R. *Dist.* ita ut non iam sufficere possit ad rationabiliter credendum *N.* aliter *Tr.*

---

[m]Bene rem explicat S. Paulus. Cum Lycaonici ei et Barnabae sacrificare vellent tamquam diis, exclamavit: "Et nos mortales sumus, similes vobis homines" (Act 14, 14). At idem Paulus laudat Thessalonicenses: "Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei" (1 Thess 2, 13).

Dices 2. Nemo se ingerere debet inter Deum et hominem. (Hac obiectione moventur praesertim Protestantes).

R. Propheta verus se non ingerit inter Deum et hominem nisi propter mandatum divinum.

Dices 3. Saltem si salus nostra pendet a revelatione, Deus viam *tutiorem* eligere debet. Atqui via tutior est revelatio immediata. Ita J. J. Rousseau.

R. a) Deus eligere debet viam sufficienter tutam; et ubi via ordinaria deficit, potest eligere extraordinariam. b) Revelatio privata obnoxia est illusionibus;[22] hinc non est semper tutior. c) Entia non sunt multiplicanda sine necessitate.

b. Immo magis conveniens est ut religio prius reveletur paucis et per hos transmittatur ad ceteros. Idque a) *ex parte Dei.* Licet enim Deus ipse solus omnia facere possit, generatim operatur per causas secundas (i.e. creaturas).[23] Praeterea, revelatione mediata multa attributa Dei clarius manifestantur: potentia, sapientia, providentia etc. b) *Ex parte hominum*: Si enim revelatio daretur unicuique privatim, credentes nihil essent nisi multitudo vaga, cum tamen homo sit naturaliter socialis, non tantum in rebus terrenis, sed etiam religiosis. Dein revelatio mediata praebet occasionem ad exercendas multas virtutes—in legato: caritatem, zelum apostolicum, constantiam, patientiam etc.; in aliis: humilitatem, oboedientiam etc.[24]

Schol. Practice etiam consideranda sunt praeiudicia Protestantium contra Ecclesiam Catholicam ut magistram revelationis: a) Omnis revelatio publica continetur in S. Scriptura; b) etiam in rebus religiosis viget iudicium privatum; hinc reicienda est quaevis auctoritas externa, praesertim ea quae se dicit infallibilem; c) Ecclesia Catholica aberravit ab evangelio, neque iam est vera Ecclesia Christi.—Similiter consideranda est mentalitas hodierna: Ecclesia Catholica est obsoleta, alienigena, aenigmatica, tyrannica.

Haec praeiudicia generatim non exprimuntur, sed sub obiectionibus latent (conscie vel inconscie). Ea nunc transmitti possunt, sed oportet ut *Apologetica practica* ea trahat in lucem.

---

[22] Falcon p. 92-3.

[23] S. Thomas, Contra gent. III c. 154.

[24] Lege Deut 5, 22-31 ubi Yahwe laudat Israelitas quia revelationem mediatam (per Moysen) praetulerant privatae. Cf. Suarez, De Fide, Disp. 4 s. 1 n. 4; Ottiger I p. 83-4; Muller p. 87; DieckmannR p. 176.

Thesis 2

Ostendi nequit mysteria divina stricte dicta non exsistere aut, si exsistant, revelari non posse.

Cf. S. Thomas, Contra gent. I c. 3 et 5; idem I qu. 32 a. 1; Suarez, De Fide, Disp. 4 s. 2-3.

Baierl I 1 p. 83-123; Brunsmann-Preuss II p. 31-42; CE s.v. Mystery; DieckmannR p. 188-212; Dorsch I p. 299-314, 324-9; Falcon p. 82-9; FelderA I p. 40-4; Garrigou-Lagrange p. 70-86, 168-215; Goebel p. 43-7; van Laak, Rev. p. 18-25; idem, Rep. p. 27-31; Langan p. 12-15; Lercher I p. 42-61; Muncunill I p. 53-60; van Noort, Rev. p. 21-31; Ottiger I p. 69-80; Pesch I n. 160-8; Tanquerey I p. 134-141; Wilmers p. 71-5, 79-81.

Suppositis iis quae dicta sunt initio thesis 1 (p. 35), haec thesis ponitur ob duplicem rationem: a) quia magisterium Ecclesiae nobis de facto proponit varia mysteria credenda; b) quia probatio nostra fit per divinitatem Christi, quae involvit duo mysteria, scil. Trinitatis et Incarnationis.

Mysterium quid sit, cf. supra p. 26-28.

Duo notanda:

a. Agimus de mysteriis *stricte dictis*. Talia enim dari aut revelari nobis posse, adversarii praecipue negant.—Dari mysteria divina late dicta, vix negatur et evidens est; multa enim ex eis quae pendent a libera voluntate Dei, a nobis inveniri nequeunt (v.g. dies ultimi iudicii).

b. Apologetice non est necessarium ut distinguamus inter mysteria absoluta et relativa. Cum enim adversarii vix admittant exsistentiam angelorum, cum eis disputare sufficit de mysterio *relativo*.

Thesis habet duas partes:

1. Ostendi nequit mysteria divina non dari.
2. Ostendi nequit ea revelari non posse.

Duo notanda quoad probationem:

a. Cum fere omnibus theologis procedimus *negative*, i.e. ostendimus adversarios non posse proferre ulla argumenta valida contra exsistentiam aut revelationem mysteriorum. Addemus autem argumenta positiva suasiva.[1]

---

[1]DieckmannR p. 206-210; Falcon p. 83-5; Pesch I n. 164-5; Ottiger I p. 53-4.

b. Cum ex prima parte non sequatur positive mysteria exsistere, secunda pars ponenda est *hypothetice*, i.e. si exsistant.

ADVERSARII

1. Iam medio aevo, *Raymundus Lullus* conatus erat demonstrare mysteria divina "per rationes necessarias" seu a priori.[2]

2. *Deistae* (saec. 17-18) generatim non negaverunt exsistentiam mysteriorum, sed negaverunt ea nobis revelari posse. Si admiserunt revelationem, postulaverunt ut res revelatae sint "intrinsece probabiles" seu "conformes rationi humanae". Ita praesertim J. Toland ("Christianity not mysterious") et M. Tindal ("Christianity as old as Creation").

3. *Rationalistae* negant exsistentiam mysteriorum. Putant enim ingenium humanum ex se pervenire posse ad cognitionem perfectam rerum omnium; mysteria religionis christianae vel reiciunt ut absurda et incredibilia, vel ita explicant ut rationem humanam non iam superare videantur.

4. *Semirationalistae* (v.g. The Cambridge Platonists, Leibnitz, Wolff), ad quos accesserunt theologi quidam catholici saec. 19 (v.g. Hermes, Frohschammer, Günther) putaverunt omnia mysteria, saltem post revelationem, demonstrari posse, et hoc ipsum esse munus philosophiae.[3]

Thesis est philosophice *certa*. Dogmatice est *de fide definita*, et quidem a) contra deistas et rationalistas: D 1816 (cf. D 1795); b) contra semirationalistas: D 1796 (cf. D 1669, 1709, 1915).

PRIMA PARS PROBATUR

Ut quis ostenderet mysteria divina stricte dicta repugnare, Deum plene comprehendere deberet.

Atqui Deum plene comprehendere non possumus.

Ergo nemo ostendere potest mysteria divina repugnare.

Prob. M. Quamdiu enim Deum non plene comprehendimus, manet possibilitas veritatis absconditae in Deo, etiam talis quam homo ne suspicaretur quidem et quam in hac vita plene intellegere non posset.

---

[2]Turner, in CE s.v. Raymond Lully; Grabmann, in LThK s.v. Raimund Lullus; idem, Gesch. p. 72; Stöckl, Gesch. der Phil. des Mitt. II p. 928-934, 942-9; Schwane III p. 84-6.

[3]Grabmann, Gesch. p. 216-7; Baierl I 1 p. 43, 92; Dorsch I p. 304; Creed and Smith, Religious Thought in the 18th Cent. p. xvi.

Prob. min. a) Deus est *infinitus* in omni perfectione. Atqui tale obiectum intellectus noster, qui est undequaque finitus, plene exhaurire non potest. Quod argumentum valet etsi concedamus progressum illimitatum cognitionis humanae (de quo fabulantur evolutionistae). Haec cognitio enim numquam erit nisi potentia infinita, cum perfectio Dei sit actu infinita.—b) Non cognoscimus Deum nisi ex *creaturis,* quatenus scil. habent similitudinem aliquam cum eo. Haec similitudo autem nequit esse nisi valde imperfecta; Deus enim est infinitus, omnis creatura finita. Immo nemo probare potest non dari perfectionem in Deo cuius similitudo desit in creaturis. Talem perfectionem lumine naturali ne suspicari quidem possemus, neque eam intellegere possemus postquam Deus eam nobis revelavit.[4]

Confirmatur: Sunt *rationes positivae* quae suadent esse in Deo mysteria stricte dicta: a) Sunt in creaturis plurima mysteria; atqui Deus infinite superat omnes creaturas; ergo probabile est dari in Deo mysteria plura et profundiora. b) Debet dari in Deo aliquid quo eius infinita perfectio nobis commendetur; atqui infinita Dei perfectio maxime commendatur mysteriis stricte dictis; ergo dantur talia in Deo.

Schol. *Intellegibilitas mysterii stricte dicti*

Rationalistae a priori reiciunt mysteria quia non possint intellegi, seu quia sint voces sine sensu. Atque etiam nos dicimus ea non posse intellegi. Ex altera parte tamen ea credimus. Quomodo autem *rationabiliter* (non tantum caece) credere possumus id quod non intellegimus? Recte enim dicit S. Thomas: "Non posset homo assentire credendo aliquibus propositis nisi ea aliqualiter intellegat" (II II qu. 8 a. 8).

Respondemus: Mysterium est saltem complexus verborum. Complexus verborum autem dicitur inintellegibilis a) vel quia non habet sensum (v.g. Joyce, Flanagan's Wake), vel b) quia, licet habeat sensum, enuntiat aliquid evidenter absurdum (v.g. hic circulus est quadratus), vel c) quia, licet habeat sensum neque sit absurdus, tamen non percipimus rationem eius internam. E contra, complexus verborum dicitur intellegibilis a) quatenus saltem habet sensum, vel b) ulterius quatenus non enuntiat aliquid evidenter absurdum, vel c) ulterius quatenus perspicitur ratio eius interna.

---

[4]Dorsch I p. 310-1; Baierl I 1 p. 94; FelderA I p. 40.

Iam age: Mysteria divina recte dicuntur *inintellegibilia* quatenus non perspicimus neque possumus perspicere eorum rationem internam. At sunt *intellegibilia* quatenus a) habent sensum, b) non sunt evidenter absurda. Etenim a) mysteria habere sensum, supponitur in D 1818 et patet ex eo quod ipsi rationalistae intellegunt quid sibi velint (v.g. in Deo sunt 3 Personae). b) Neque mysteria sunt absurda; non enim affirmant et negant idem de eodem sub eodem respectu.[5]

Copulam quidem non ponimus propter evidentiam internam; sed id verum est de omni iudicio quod nititur sola auctoritate testis (v.g. exsistit Manila).

Obiectiones

1. Quod est *supra rationem,* est contra rationem. Atqui mysteria stricte dicta sunt supra rationem.

R. *N.M.* Contra rationem est propositio inter cuius terminos est aperta contradictio; supra rationem est propositio inter cuius terminos lumine naturali neque identitatem neque diversitatem percipere possumus. Atqui haec duo evidenter inter se differunt.

Urg. (A. Collins, P. Bayle) Mysteria stricte dicta aut sunt conformia rationi humanae (secundum rationem) aut difformia (contra rationem). Si prius, intellegi possunt; si alterum, absurda sunt. Ergo non dantur mysteria stricte dicta.

R. *N. supp.* Ea tantum proprie dici possunt conformia vel difformia rationi humanae quae habent nexum necessarium cum principiis naturaliter notis, seu quorum veritas vel falsitas cognosci potest ex *evidentia interna.* Atqui mysteria stricte dicta non habent talem nexum, ideoque dicuntur supra rationem.

2. Omnis veritas est *ens.* Atqui omne ens ab intellectu humano cognosci potest; nam obiectum intellectus humani est ens. Ergo non dantur mysteria stricte dicta pro nobis.

R. *C.M. Dist. min.* sive nobis rite proponitur sive non *N.* si nobis rite proponitur *subd.* cognosci potest sive per scientiam sive per fidem *C.* semper per scientiam *N.* Res enim nobis proponi possunt sive cum evidentia interna sive cum externa; illa dat scientiam, haec fidem; de mysteriis stricte dictis autem non habemus nisi evidentiam externam. *Ad prob. Dist.* obiectum adaequatum *C.* proportionatum *N.*

Urg. Nihil potest esse mysterium pro intellectu qui cognoscit ens *infinitum.* Atqui nos naturaliter cognoscimus ens infinitum.

R. *Dist. M.* qui cognoscit ens infinitum per conceptus proprios seu qui illud comprehendit *Tr.* per conceptus analogos *N.*

Urg. Intellectus humanus est naturaliter *perfectibilis sine fine.* Ergo naturaliter pervenire potest ad cognitionem omnis veritatis, etiam mysteriorum.

R. *Dist. ant.* intra limites obiecti proportionati *Tr.* extra hos *N.* vel *subd.* per vires proprias *N.* per speciale adiutorium Dei *Tr.*[6]

---

[5] Id ostenditur in decursu Theologiae quoad singula mysteria; cf. D 1797.

[6] D 1808; Lercher I p. 51; Dorsch I p. 313.

Secunda Pars Probatur

Nota. Argumenta pro possibilitate morali eadem sunt ac in thesi 1; unde sufficit probare possibilitatem physicam.

Revelationem mysterii stricte dicti esse impossibilem, ostenderetur vel ex parte Dei vel ex parte hominis vel ex parte mysterii.

Atqui impossibilitas nequit ostendi ex his.

Ergo nullo modo ostendi potest.

Prob. min. a) Non ex parte Dei; nam Deus et cognoscit omne verum, et nihil obstat quin cognitionem suam nobis directe manifestet. b) Non ex parte hominis; nam aliquomodo intellegere possumus mysteria etiam stricte dicta. c) Non ex parte mysterii; nam etiam mysterium stricte dictum est ens, verum, intellegibile.

Cor. 1. Ergo revelatio christiana reici non debet ideo quia contineat mysteria stricte dicta, aut quia data sit modo mysterioso, scil. per Verbum Incarnatum.

Cor. 2. Ergo neque ostendi potest revelationem *mediatam* mysterii stricte dicti repugnare. Id iisdem argumentis probatur ac possibilitas revelationis mediatae in genere (supra p. 42-44).

Obiectiones

A. Contra possibilitatem *physicam*

1. Revelare mysterium, esset simul removere velum et non removere velum. Atqui haec sunt contradictoria.

R. a) Quoad mysterium in genere: *N*. Nam revelare mysterium, nihil aliud dicit quam removere velum a re quae antea erat velata, et quam non potuimus cognoscere donec removeretur velum; id autem non est magis contradictorium quam revelatio mysterii naturalis. b) Quoad mysterium stricte dictum: *Dist. M.* sub eodem respectu *N.* sub diverso respectu *C.* Talis revelatio enim removet velum quoad exsistentiam mysterii, sed non quoad eius essentiam.

Urg. Si mysterium revelaretur nobis, *cessaret* esse mysterium.

R. a) Quoad mysterium in genere: Mysterium manet mysterium etiam post revelationem, quatenus illud non potuimus cognoscere sine revelatione. b) Quoad mysterium stricte dictum: Hoc semper manebit mysterium quoad essentiam suam "quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino".

2. Quod a nobis *intellegi nequit,* nobis revelari nequit. Atqui mysteria stricte dicta a nobis intellegi nequeunt.

R. *Dist. M.* quod nullo modo a nobis intellegi potest *C.* aliter *N.*

Urg. Omnes nostri conceptus hausti sunt *ex creaturis*. Atqui talibus conceptibus mysteria stricte dicta exprimi non possunt; secus etiam ex creaturis cognosci possent.

R. *N. supp.* Mysterium non stat praecise in conceptibus (S et P), sed in copula (est—non est). Nihil igitur obstat quin conceptus sint iidem quos hausimus ex experientia.

Nota. a) Cum mysteria sint divina, termini propositionis sumendi sunt *analoge* ad creaturas (sicut in omnibus propositionibus quae agunt de Deo). b) Sicut fit in aliis rebus, ita post revelationem res revelata

saepe *comprimitur* in unum conceptum. Sic ex revelatione christiana habemus conceptus Trinitatis, Incarnationis, Deiparae, transubstantiationis etc., qui aequivalent propositionibus revelatis.

Urg. (A. Collins) Saltem mysteria divina sunt falsa si verba sumuntur sensu literali.

R. *N.* vel *Dist.* sensu intrinsece analogo ad creaturas *N.* aliter *Tr.*

3. (Toland) Tenemur *credere* sub poena aeternae damnationis. Atqui id impossibile est nisi intellegamus id quod credimus.

R. *C.M. N. min.* vel *Dist.* nisi revelationem saltem ita intellegamus ut possimus rationabiliter assentire *C.* nisi eam plene intellegamus *N.*

Urg. (Toland) Debemus *"rationem reddere* spei nostrae" (supra p. 21). Atqui id non possumus nisi plene intellegamus fidem qua nititur spes nostra.

R. *Dist. M.* quantum possumus *C.* aliter *N.* Sicut igitur nos ipsi non habemus evidentiam internam mysteriorum, ita ea aliis suadere non debemus ex evidentia interna. Cf. Schol. 1.

Urg. (Toland) Debemus *vivere* secundum fidem. Atqui id impossibile est nisi plene intellegamus credenda.

R. *C.M. N. min.* Spiramus licet compositionem et naturam aeris non plene intellegamus; manducamus licet proprietates et effectus ciborum nos lateant etc.

4. (Toland, Lessing) Finis revelationis est *docere* nos.

R. *Dist.* i.e. dare evidentiam vel internam vel externam *C.* semper internam *N.* Cf. supra p. 23.

B. Contra possibilitatem *moralem*

Deus non facit *inutilia.* Atqui revelare rem quoad exsistentiam et non quoad essentiam, est inutile.

R. *C.M. N. min.* a) Sufficiens ratio esset obsequium fidei; cum enim homo sit creatura Dei, Deus ab eo postulare potest ut praestet assensum rei imperfecte revelatae. b) Sicut melius est parum habere quam nihil, ita melius est scire saltem aliquid de mysteriis stricte dictis quam omnino nihil.[7]

Urg. Saltem menti scientificae inutilis est revelatio haec. Mysteria stricte dicta enim neque inter se neque cum rebus naturaliter notis reduci possunt ad systema seu *scientiam.*

R. *N.* a) Etiam homo summae intellegentiae vel eruditionis est *creatura,* et qua talis Deo obsequium praestare debet si Deus id postulet. b) Revera mysteria fidei christianae miro ordine inter se conectuntur et cum rebus naturaliter notis reduci possunt in unam scientiam. Cuius rei testes sunt sublimia opera theologica (v.g. Summa S. Thomae).

Schol. 1 (dogm.) *Obiectiones contra mysteria*

a. Conc. Vat. (D 1797) *duplicem fontem* indicat unde oriantur obiectiones contra mysteria christiana: scil. vel quia male intellegitur (aut explicatur) doctrina catholica, vel quia statuuntur ut principia rationis quae talia non sunt.

b. Ad earum solutionem triplex praesto est via: a) Si quaestio est de mysteriis *in genere,* ostendatur obicienti nullam posse esse

---

[7]S. Thomas, Contra gent. IV c. 1. Alia ratio trahitur ex necessitate hypothetica revelationis, de qua in thesi 3.

veram contradictionem inter revelationem et principia rationis, cum idem Deus sit auctor et revelationis et rationis (D 1797). b) Ubi vero agitur de mysterio *particulari,* dupliciter procedi potest: Vel ostendatur hoc mysterium proponi a magisterio Ecclesiae ad credendum; atqui magisterium Ecclesiae errare nequit; vel ostendatur (saltem negative) hoc mysterium non contradicere rationi.[8]

c. Caveatur autem ne mysteria, praesertim stricte dicta, defendantur ex rationibus *internis* vel ex principiis philosophicis mere probabilibus.[9]

Schol. 2 (dogm.) *Ulterior intellegibilitas mysterii*

a. Praeter intellegibilitatem mysteriorum supra (p. 47-48) indicatam, ulterior proponitur a Conc. Vat. (D. 1796). Quae hauriri potest a) ex analogia mysteriorum cum rebus naturaliter notis (v.g. cum ex filiatione humana illustramus divinam), b) ex mutuo nexu mysteriorum (nam veritates revelatae constituunt ordinem, scil. supernaturalem), c) ex nexu mysteriorum cum fine ultimo hominis (ob quem revelata sunt).

Hanc ulteriorem intellegentiam promovet *Theologia speculativa.* Supponit autem, praeter fidem catholicam et Theologiam positivam, bonam dispositionem ac methodum ("sedulo, pie et sobrie") et gratiam divinam ("Deo dante").[10]

b. Quoad *beatos in caelo,* auctores non eodem modo loquuntur. Ait Pesch: "Valde communis et probabilis est sententia omnes beatos videre in Deo omnia mysteria fidei quae in terra crediderunt" (III n. 484). Secundum Wilmers, beati cognoscunt omnia mysteria clarissime, iis exceptis quae pendent a libera voluntate Dei (Lehrb. I p. 72).

Schol. 3 (dogm.) *Probatio dogmatica thesis*

Exsistere mysteria divina stricte dicta, et aliqua esse nobis revelata, indubie constat ex omnibus fontibus revelationis:

a. *Ex magisterio Ecclesiae,* cf. supra p. 46.

b. *Ex S. Scriptura*: a) Christus docet (Mt 11, 25-27) parvulis (i.e. humilibus) revelari res quas nullus homo (ne sapientes

---

[8]Hac ultima methodo solvuntur obiectiones, in decursu theologiae, contra singula mysteria fidei christianae.

[9]S. Thomas I qu. 35 a. 2 ad 1; Contra gent. I c. 9; DThC s.v. Dogmatique col. 1539.

[10]D 2120; Encycl. "Aeterni Patris"; DThC s.v. Mystère col. 2594-8; Vacant II p. 210-226; Müller p. 120-2, 375-6; Lercher I p. 60.

et prudentes quidem) invenire potest, quas ipse solus novit et manifestat. b) S. Ioannes ait (J 1, 18): "Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit". c) S. Paulus docet (1 Cor 2, 6-12) Deum revelasse res quae excedunt omnes nostras facultates cognoscitivas, et quarum cognitio soli Deo naturalis est.[11]

c. *Ex Patribus*: Dubium non est quin Patres firmiter tenuerint exsistentiam et revelationem mysteriorum. Propriam occasionem autem eam defendendi nacti sunt cum Ariani et Eunomiani negarent mysterium SS. Trinitatis. Contra eos egerunt Patres orientales et occidentales.[12]

Dices: Conceptus mysterii introductus est a Patribus saec. 4, qui per eum conati sunt conciliare *contradictoria*.[13]

R. *N*. Nemo umquam ostendit dogma SS. Trinitatis (de quo Harnack loquitur l.c.) continere contradictoria.[14]

d. Eadem est doctrina unanimis *Theologorum* omnium aetatum et scholarum. Hi ulterius quaerunt quae veritates revelatae sint mysteria stricte dicta, atque probant dari mysteria *absoluta*, quae a nullo intellectu creato (ne angelico quidem) plene intellegi possunt.

---

[11]D 1795; Lercher I p. 55-8; Vacant II p. 192-5; DThC s.v. Mystère col 2590-1; Müller p. 108-111.

[12]Dicta Patrum habes apud Müller p. 112-6; DThC s.v. Mystère col 2591-2.

[13]Toland, Harnack, Pfleiderer, Loisy. Cf. Harnack, Hist. of Dogma IV p. 46-9; idem, Grundriss der Dogmengeschichte p. 141-2.

[14]van Laak, Rev. p. 25.

ARTICULUS 2

NECESSITAS REVELATIONIS

THESIS 3

Ad aliqualem cognitionem religionis naturalis, revelatio non est necessaria. Ad congruam eius cognitionem autem, revelatio est generi humano, in praesenti eius condicione, moraliter necessaria. Quodsi homo elevetur ad finem et ordinem supernaturalem, revelatio est ei physice necessaria.

Cf. S. Thomas I qu. 1; I II qu. 91 a. 4.

Arlet, in BN p. 57-71; Baierl I 1 p. 123-245; Beraza, De Gratia Christi p. 241-8; Brunsmann-Preuss II p. 47-60; DieckmannR p. 212-241; Dorsch I p. 341-357; FelderA I p. 45-54; Franzelin, Trad. p. 625-635; Garrigou-Lagrange p. 216-224; Goebel p. 47-51; Hervé I p. 69-79; Humphrey p. 253-266; Hurter I p. 19-25; van Laak, Rev. p. 38-43; idem, Rep. p. 36-38; Lercher I p. 61-72; Mazzella, Rel. p. 71-102; Muller p. 123-160; Muncunill I p. 64-80; van Noort, Rev. p. 31-38; Ottiger I p. 91-148; Pesch I n. 170-7; Tanquerey I p. 141-156; Vacant I p. 343-366; Wilmers p. 81-92; idem, Lehrb. I p. 94-102.

Thesis haec non est necessaria ad scopum Apologeticae. Confirmat autem possibilitatem moralem revelationis seu eius utilitatem.

Quaestio haec est: Etsi revelatio sit physice possibilis, num homo *indiget* revelatione ut possit obtinere finem suum ultimum?

Iamvero homo obtinet finem suum ultimum per *religionem,* i.e. debet homo a) cognoscere veritates religiosas, et b) vitam degere secundum eas. Unde quaeritur num homo indigeat revelatione ut possit has veritates cognoscere et secundum eas vivere.

Non tamen nunc agimus de vita religiosa, sed de *cognitione* in qua nititur. Cum enim homines non semper agant secundum suam cognitionem, potest esse ut ad vitam religiosam requiratur, praeter revelationem, auxilium divinum, scil. gratia. Unde quaestio nostra etiam sic poni potest: Num homo absque revelatione *cognoscere* potest veritates religiosas?

1. RELIGIO NATURALIS

Religio naturalis est complexus veritatum religiosarum quas homo cognoscere potest *lumine mere naturali;* includit utique veritates theoreticas et practicas (ethicas, morales). Opponitur re-

ligioni positivae, quae est complexus veritatum religiosarum quas Deus praeternaturaliter revelavit.

Triplex est gradus huius cognitionis:

a. Cognitio *aliqualis* est ea quae absolute loquendo sufficit ut homo attingere possit finem suum ultimum (naturalem). Ad hunc gradum sufficit cognitio a) exsistentiae Dei ut creatoris et supremi legislatoris, b) libertatis humanae et conscientiae moralis, c) immortalitatis animae. Sed hic gradus coniungi potest (psychologice) cum ignorantia vel dubio circa multas alias veritates religiosas, immo cum multis erroribus.

b. Cognitio *congrua* est ea quae requiritur et sufficit ut homo recte sentiat de Deo eiusque cultu, atque totam vitam suam instituere possit secundum regulas honestatis naturalis. Dicitur 'congrua' quia omnino *convenit* naturae rationali et evolutioni individuali.

Haec cognitio differt ab aliquali in obiecto et in modo:

Obiectum: Quam ampla debeat esse haec cognitio, i.e. quot et quales veritates cognosci debeant ut dici possit congrua homini, dictu quidem difficile est—sicut difficile est dicere quanto aut quali cibo homo indigeat ad bene vivendum. A theologis tamen fere hae enumerantur: a) libertas humana, b) immortalitas animae, c) exsistentia Dei unius et personalis, creatoris ac provisoris mundi, d) cultus Deo debitus (prior tabula decalogi), e) principia primaria legis naturalis (altera tabula decalogi) eorumque conclusiones obviae pro statu unicuique proprio.[1]

Modus: Cognitio religionis naturalis est congrua si habetur a) inde ab usu rationis, b) firma certitudine, c) sine admixtione foedi erroris; nisi enim cognitio sit talis, tota vita vix aut ne vix quidem regulabitur secundum eam.[2]

c. Cognitio *perfecta* religionis naturalis est ea quae a) includit omnes veritates religiosas naturaliter cognoscibiles, et quidem b) ita ut teneantur expedite, firma certitudine, sine admixtione foedi erroris.[3]

2. Finis et ordo supernaturalis

a. *Finis* supernaturalis (ultimus) est finis qui homini nullo modo debetur (cf. supra p. 25). Est de facto *visio beatifica*.

---

[1] D 1650; DieckmannR p. 235; Baierl I 1 p. 131; Muncunill I p. 66-7.

[2] Nihil refert quomodo haec cognitio aquiratur, scil. utrum per scientiam (evidentiam internam) an per fidem humanam (v.g. ex parentibus).

[3] De hac non agimus in thesi; absque revelatione enim haberi nequit nisi a paucis.

b. *Ordo* supernaturalis consistit in eo quod homini non tantum praestituitur finis supernaturalis, sed quod homo in eum tendere debet per actus ei proportionatos, i.e. supernaturales.

3. Necessitas

Necessarium est id quod non esse (non fieri) non potest. Ubi agitur de relatione medii ad finem, necessarium est id sine quo finis obtineri nequit. Atqui in thesi agitur de hac necessitate; nam quaerimus num homo possit, absque revelatione, obtinere finem suum ultimum.

Sicut impotentia (cf. supra p. 36), ita necessitas duplex est: *Physice* ("absolute" D 1786) necessarium dicitur id sine quo desunt vires physicae ad obtinendum finem; *moraliter* (relative) necessarium est id sine quo finis quidem obtineri potest, sed non nisi cum maxima difficultate. Quae necessitas dicitur *stricte moralis* si difficultas tanta est ut finis de facto numquam obtineatur; dicitur *late moralis* si finis aliquando, licet rarissime, obtineatur.

Thesim probabimus per 3 partes.

Prima pars non indiget explicatione.

Quoad secundam partem, duo sunt notanda:

a. Non loquimur de singulis individuis, sed de *genere humano* qua tali. Non negamus posse unum vel alterum hominem sibi acquirere cognitionem congruam religionis naturalis, dummodo gaudeat donis sufficientibus externis et internis. Sed totum genus humanum (non tantum unus vel alter homo) attingere debet finem ultimum. .

b. Loquimur de genere humano *in praesenti eius condicione.* Sumimus igitur homines non a priori aut in abstracto, neque prout fortasse ab initio creati sunt, sed prout historia testatur eos fuisse et esse sine revelatione.

Magis in specie: Sumimus homines a) cum omnibus difficultatibus (tentationibus, obstaculis etc.) externis et internis in quibus, teste historia, genus humanum (praeter Judaeos) versabatur ante adventum Christi,[4] et in quibus etiam nunc versantur gentes ad quas nondum pervenit evangelium salutis. Qui status includit b) idololatriam universalem, quam pagani induunt a iuventute quasi alteram naturam.

---

[4] Cf. medit. S. Ignatii de Incarnatione.

Nota (dogm.). Hic status differt a) a statu *purae naturae*, qui numquam exstitit; b) a statu *naturae lapsae* prout erat immediate post peccatum originale; tunc enim idololatria nondum erat universalis.

Tertia pars thesis ponitur *condicionaliter*. Cum enim elevatio ad finem et ordinem supernaturalem sit homini prorsus indebita, Deus liber erat eam conferre vel negare. Hinc necessitatem revelationis non possumus asserere nisi sub hac conditione: *si* Deus voluerit elevare hominem ad hunc statum.

Nota (dogm.). De facto, primi homines creati erant in hoc statu "naturae elevatae" et acceperant revelationem (primitivam).

ADVERSARII

1. Contra *primam* partem: Lutherus, Jansenistae, Traditionalistae negaverunt hominem posse, lumine naturali, cognoscere ullam veritatem religiosam.[5]

Hodie idem tenet "theologia crisis" Protestantium (K. Barth, R. Bultmann, H. Diehm etc.). Sic dicit W. C. Robinson: "The only way for the sinful creature to know the holy Creator is for God to reveal Himself. Neither man's science, logic, scholarship nor paradoxes can make the steep ascent to Heaven. God must take the initiative and make Himself known, or else the darkness abides" (in Bibliotheca sacra 1935 p. 214). "Karl Barth apparently holds that there is no natural knowledge of God apart from Christ" (Month, Sept. 1937 p. 276).[6]

2. Contra *secundam* partem: Deistae restrinxerunt religionem ad paucissimas veritates, ac dein facile probaverunt revelationem nullam esse necessariam ad eam cognoscendam. Rationalistae e contra arbitrantur homines sibi facile acquirere posse congruam, immo perfectam cognitionem religionis naturalis.[7]

3. Contra *tertiam* partem: Deistae etiam affirmaverunt Deum nihil revelare posse nisi religionem naturalem. Ita v.g. Tindal, Christianity as old as Creation.

Thesis est philosophice *certa*. Dogmatice autem distinguendum est:

a. Prima pars (contra Traditionalistas) est ***de fide definita*** (D 1785, 1806). Cf. etiam D 1622, 1627, 1630-1.

---

[5] Schmidt, Origin etc. p. 32-4.

[6] Straubinger p. 51-2; Przywara, in StZ 1935 p. 417; Malevez, in Recherches de science rel., Oct. 1938 p. 385-429; J. McConnachie, The Significance of Karl Barth p. 25.

[7] Müller p. 156-160.

b. Secunda pars dici potest *proxima fidei* (Baierl: de fide). Etenim a) in D 1786 Conc. Vat. dicit religionem naturalem congrue cognosci non posse ("ut cognosci possint") sine revelatione; ergo revelatio est *necessaria.* Sed b) hanc necessitatem restringit ad praesentem condicionem generis humani; ergo necessitas non est physica, sed *moralis* (cf. etiam D 1703-4). c) Conc. Vat. etiam dicit "ab omnibus"; unde non negat aliqua individua posse sibi acquirere cognitionem congruam; ergo necessitas revelationis est moralis *late dicta.*

c. Tertia pars est *de fide definita*: D 1786, 1808.

Prima Pars Probatur

Revelatio non est necessaria ad acquirendam cognitionem quam unusquisque sibi facile acquirere potest et ad quam natura ipsa impellit.

Atqui talis est aliqualis cognitio religionis naturalis.

Ergo revelatio non est necessaria ad aliqualem cognitionem religionis naturalis.

Prob. min. a) Natura ipsa nos *impellit* ad quaerendas causas rerum, etiam ultimas; atqui sic omnes facili ratiocinio perveniunt ad cognitionem Dei ut entis a se, gubernatoris et provisoris huius mundi, supremi legislatoris. b) Libertas humana et conscientia moralis sunt immediate evidentes; immo mens *cogitur* ad eas admittendas. c) Ex cognitione absoluta intellectus et ex desiderio vitae perpetuae *facile* pervenimus ad cognitionem immortalitatis animae.

Confirm. Si Traditionalismus esset verus, Deus fecisset hominem mancum (contra sapientiam divinam).

Dices: S. Paulus dicit: "Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est" (2 Cor 3, 5) : et Conc. Milev. II asserit "scire quid facere debeamus" esse donum Dei (D 104).

R. *N. supp.* Et S. Paulus et Conc. Milev. ibi loquuntur de actibus salutaribus seu supernaturalibus.[8]

Schol. Physice possibile est ut homo, absque revelatione, cognoscat *omnes* veritates religionis naturalis; hae enim non transcendunt lumen naturale, et de facto traduntur in cursu philosophico ut *certae ex ratione* (in Psychologia, Theodicaea, Ethica). Physice etiam possibile est ut homo eas teneat expedite, firmiter, sine admixtione foedi erroris; v.g. ex instructione parentum.

---

[8] D 180; Beraza p. 247.

Secunda Pars Probatur

Revelatio necessaria est ad eam cognitionem quam homines generatim sibi *acquirere non possunt.*

Atqui cognitionem congruam religionis naturalis, in praesenti condicione, homines sibi generatim acquirere non possunt.

Ergo ad congruam cognitionem religionis naturalis revelatio est, in praesenti condicione, humano generi necessaria.

Prob. min.

Cognitionem hanc congruam homines sibi acquirerent aut *propria investigatione* aut per *magisterium humanum.* Atqui:

a. Ut iam advertit S. Thomas (Contra gent. I c. 4), plurimi homines carent otio vel industria vel ingenio ad talem investigationem privatam; pauci illi autem in quibus fortasse desunt haec obstacula, non pervenirent ad cognitionem congruam nisi post multos annos.

b. Magistris humanis ("philosophis") autem deest scientia, auctoritas, zelus. Deest scientia; omnes enim scholae philosophorum, antiquae et modernae, vel nihil vel pauca et obscura vel etiam errores foedos docuerunt circa religionem naturalem. Deest auctoritas; philosophi enim docere deberent vel auctoritative vel demonstratione scientifica; atqui propter perpetuas dissensiones inter philosophos eorum auctoritas est valde exigua; scientifica demonstratio autem paucis accommodata est. Deest zelus; quod enim de seipso dixerat Horatius "odi profanum vulgus et arceo", id verum erat de philosophis antiquis, qui doctrinam suam secreto tradiderunt solis initiatis; moderni philosophi volunt quidem pervulgare suas doctrinas, sed sine successu; irretiti enim sunt erroribus nimis foedis, neque gaudent auctoritate apud vulgus.

Nota 1. Argumentum hoc ab aliquibus reicitur (v.g. a Felder, Ottiger). Immerito, ut videtur. Nam iam legitur apud S. Augustinum (De util. cred.) et saepius adhibetur a S. Thoma (II II qu. 2 a. 4; De Ver. qu. 14 a. 10 etc.).[9]

Nota 2. Argumentum confirmari potest a) ex refutatione rationalismi, b) ex historia, quae docet extra Ecclesiam Catholicam vigere legem degenerationis religiosae (cf. infra p. 485-6).

Triplex *complementum* argumenti:

a. Impotentia generis humani perveniendi ad cognitionem con-

---

[9] Lercher I p. 67; Muncunill I p. 65.

gruam religionis naturalis non est physica; nam talis cognitio non superat vires humanas. Ergo necessitas revelationis est *moralis.*

b. Neque haec impotentia talis est ut nemo eam superaverit aut saltem superare potuerit. Ergo necessitas revelationis est moralis *late dicta.*

c. Necessitas revelationis est *disiunctiva.*

Scil. adest necessitas disiunctiva si finis obtineri debet vel hoc medio vel alio aequivalente. Necessitas revelationis pro cognitione congrua igitur erit disiunctiva si Deus impotentiae humanae occurrere potuit per alia media. Atqui potuit. Etenim a) potuit Deus immediate influere in intellectum et voluntatem singulorum hominum, ita ut magis amarent et indagarent res religiosas; vel potuit eis providere vitam magis liberam a curis cotidianis; vel potuit minuere tentationes; vel potuit se clarius manifestare miraculis etc. b) Potuit Deus haec omnia praestare paucis, et simul curare ut hi influerent in alios etc.

Sed historia tacet tale auxilium, saltem quoad genus humanum universum. Neque per se exspectandum est si Deus elegit revelationem tamquam auxilium.[10]

Obiectiones

1. Medium *supernaturale* nequit dici necessarium ad cognoscendas res ordinis naturalis. Atqui revelatio est medium supernaturale; religio naturalis autem pertinet ad ordinem naturalem.

R. *Dist. M.* medium stricte supernaturale *Tr.* praeternaturale *subd.* nequit dici physice necessarium *C.* moraliter *N.*

2. Si revelatio esset homini necessaria, aut *manca* esset natura humana aut Deus ei non sufficienter *providisset.* Atqui utrumque consequens repugnat Deo.

R. *Dist. M.* si revelatio esset homini necessaria ad cognitionem aliqualem religionis naturalis *C.* si ei necessaria est ad cognitionem congruam *subd.* si est physice necessaria *Tr.* si est moraliter necessaria *N.*

Urg. Si congrua cognitio religionis naturalis non est necessaria ad finem ultimum obtinendum, neque revelatio dici potest necessaria. Atqui verum est antecedens.

R. *Dist. M.* ad finem ultimum utcunque obtinendum *N.* ad obtinendum finem modo qui magis congruit homini et Deo *C.*

3. Homines ex seipsis pervenire possunt ad cognitionem omnis veritatis, scil. ope *progressus continui.*

R. Progressus hic continuus erat mera fictio rationalistarum saec. 19. De facto, uti historia testatur, a) potest esse progressus in una linea (v.g. materiali) simul cum regressu in alia (v.g. ethico-religiosa); potest etiam

---

[10]Dorsch I p. 344; DieckmannR p. 239; van Laak, Rev. p. 40; Muncunil I p. 66; Hervé I p. 73.

esse progressus in una regione, regressus in alia; b) speciatim extra Ecclesiam Catholicam semper et ubique viguit lex degenerationis religiosae; c) progressus religiosus non apparet nisi ubi gens vel recipit revelationem vel saltem subit influxum ex revelatione.[11]

Tertia pars probatur

Homo in finem suum ultimum tendere debet *libere;* id solum enim proportionatum est naturae eius rationali.

Atqui si ei praestituitur finis et ordo supernaturalis, talis modus tendendi ei physice impossibilis est nisi Deus ei revelet a) finem ipsum, b) voluntatem Dei, c) media.

Ergo si homini praestituitur finis et ordo supernaturalis, revelatio ei physice necessaria est.

Prob. min. Sine revelatione enim a) finis, cum sit supernaturalis, ignotus esset; b) ignota etiam esset voluntas Dei destinantis hominem ad hunc finem; c) ignota tandem essent media quibus finis hic obtineri possit vel debeat.

Dices: Cognitio haec etiam haberi posset per *scientiam infusam.* Ergo revelatio esset ad summum disiunctive necessaria.

R. *N. ant.* Scientia infusa dat evidentiam internam rei. Finis et ordo autem de quo loquimur, est mysterium stricte dictum, de quo non possumus habere evidentiam internam in hac vita.

Schol. 1 (dogm.) Si genus humanum elevatur ad finem et ordinem supernaturalem, etiam veritates religionis naturalis apprehendi debent *modo supernaturali,* i.e. etiam hae veritates (v.g. exsistentia Dei) credi debent ob auctoritatem Dei loquentis. Nam in illa suppositione etiam harum veritatum cognitio est medium; media autem debent esse *fini proportionata.* Atqui cognitio ista non esset proportionata fini supernaturali nisi haberetur (subiective et obiective) modo supernaturali.[12]

Schol. 2 (dogm.) Cur revelatio christiana *tam sero* data sit, cf. Bea, in VD 1937 p. 365-6.

Schol. 3. Probatio *dogmatica* thesis

a. Ex documentis *magisterii* Ecclesiae: supra p. 57.

b. Ex *S. Scriptura*: S. Paulus clare docet a) Deum lumine naturali cognosci posse ex creaturis (Rom 1, 20); b) nihilominus homines in genere non pervenisse ad debitam cognitionem (1 Cor

---

[11] Müller p. 156-160; Mazzella, Rel. p. 86-102; Muncunill I p. 77-78.

[12] Dorsch I p. 277, 496; Humphrey p. 261-3; Hurter I p. 21; Müller p. 155; Pesch I n. 176; Franzelin, Trad. p. 630; Mazzella, Rel. p. 73.

1, 21; 1 Thess 4, 5; cf. Sap 13-15), ideoque Deum dedisse revelationem (1 Cor 1, 21). Idem docet c) revelationem datam superare omnes nostras vires (1 Cor 2, 10).

c. Testimonia *Patrum* habes apud Müller p. 131-2, 138.

d. Haec est doctrina communis *Theologorum*.

ARTICULUS 3

COGNOSCIBILITAS REVELATIONIS

1. *Statuitur problema*

Revelatio est locutio divina. Est autem discrimen inter locutionem divinam et humanam quoad *cognoscibilitatem*. Ubi agitur de locutione humana, praesertim immediata, raro dubitatur quis quid dixerit; minus facile constat loquentis auctoritas (scientia et veracitas); inde est quod testis humanus imprimis nititur hanc nobis probare. At ubi agitur de locutione divina, praesertim mediata, evidens quidem est auctoritas loquentis; sed a) non tam facile constat *Deum* locutum esse (non daemonem vel prophetam ipsum); b) neque semper evidens est *quid* praecise Deus locutus sit.

Hinc cum Deus nobis loquitur (immediate vel mediate), imprimis curare debet a) ut probet *se* esse locutum, b) ut certi fieri possimus de vero *sensu* verbi Dei. E contra, adversarii moderni revelationis non negant auctoritatem Dei loquentis, sed negant vel Deum locutum esse (i.e. negant factum revelationis, uti hodie dicitur) vel nos posse certos fieri de sensu revelationis.

2. *Adumbratur solutio*

Ipsa historia revelationis nobis ostendit varios modos quibus Deus confirmavit revelationem ut suam. Conc. Vat. specialem vim tribuit *miraculis physicis et prophetiis,* "quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis sunt signa certissima et omnium intellegentiae accommodata" (D 1790).

Cum mentalitas hodierna minus sapiat miracula, alii quidem alia signa revelationis proposuerunt; v.g. veritatem internam vel pulchritudinem doctrinae, pacem animi etc. Sed missis his, nos positive quaerimus (in genere et in abstracto) num et quomodo *miracula* confirmare possint revelationem ut divinam, et quidem sensu determinato.[1]

Antea autem pauca dicenda sunt de miraculis *intellectualibus* et *moralibus,* quae generatim non tractantur in philosophia, quae tamen sunt magni momenti in Apologetica scientifica.

---

[1]Breviorem igitur viam inimus quam ii qui hic inserunt tractatum generalem de criteriis revelationis. Cf. supra p. 21.

Thesis 4

Miracula intellectualia et moralia fieri atque interdum qua miracula certo cognosci possunt.

Cf. Baierl I 2 p. 207-523; DieckmannR p. 301-4; Dorsch I p. 412-449; FelderA I p. 97-102; Garrigou-Lagrange p. 375-397; Goebel p. 77-85; Hervé I p. 138-148; van Laak, Rev. p. 83-114; idem, Rep. p. 56-71; Lercher I p. 129-136; Müller p. 288-312; Muncunill I p. 142-151; Ottiger I p. 245-252; Tanquerey I p. 202-207; Wilmers p. 123-161.

Thesis haec est remote necessaria ad scopum Apologeticae, quatenus praebet fundamentum philosophicum partiale miraculi apologetici.

Miraculum est opus in hoc mundo praeter ordinem naturae divinitus patratum.[1]

Tria notanda:

a. Deus est *causa efficiens* omnis miraculi (veritas theologica). Sed sicut causa efficiens potest esse *physica* (agit per se) vel *moralis* (agit per alium, quem movet iussu etc.), ita etiam Deus in productione miraculi. Porro ubi Deus est causa moralis miraculi, agit per instrumentum (angelum vel hominem); quo in casu, Deus est causa *principalis,* sed non unica. Sub alio respectu, creatura dicitur causa instrumentalis miraculi quatenus *movet Deum* precibus ut patret miraculum (sive per se sive per alium).

b. A nonnullis miraculum definitur opus *"supernaturale"*. Recte intellegatur. Non omne miraculum est supernaturale sensu stricto, sed miracula quibus confirmatur religio christiana dici possunt supernaturalia ob rationem extrinsecam, scil. quia ipsa religio christiana est tota supernaturalis.[2]

c. Ratione cognoscibilitatis miracula dividuntur in 3 classes, scil. prout effectus miraculosus est a) *per se sensibilis,* vel b) *per aliud sensibilis,* vel c) in re sensibili quidem, ita tamen ut ipse sensibus nullo modo percipi possit. Primum vocatur miraculum physicum, cuius possibilitas et cognoscibilitas probatur in Cosmologia. Agimus nunc de secunda classe. Haec comprehendit miracula intellectualia et moralia, quae fiunt in *intellectu* et *voluntate* humana ac proinde non sunt per se sensibilia; possunt autem fieri sensibilia per loquelam, gestus etc.

---

[1]Cotter, Cosmologia p. 334; idem, Logic (ed. 4) p. 200.
[2]DThC s.v. Miracle, col. 1809-1810.

Thesim explicabimus et probabimus per 2 partes distinctas. Agemus primum de miraculo intellectuali, dein de morali.

Thesis est philosophice *certa*. Dogmatice est *de fide definita* quoad miracula intellectualia (ex D 1790 "prophetias") ; est saltem *certa et communis* quoad miracula moralia.

Prima Pars

Miraculum intellectuale

I. *Definitio*

Miraculum intellectuale est cognitio intellectualis praeter leges cognitionis humanae divinitus data.

Explicatur:

a. Acquisitio cognitionis humanae regitur certis *legibus* (psychologicis), ita ut physice impossibile sit eam acquirere nisi secundum has leges.[3] Unde cognitio est praeternaturalis si acquiritur *independenter* ab his legibus.[4]

b. Loquimur de cognitione *intellectuali,* quia haec sola est perfecta, et quia etiam cognitio sensuum per eam exprimitur.

c. Causa efficiens cognitionis praeternaturalis debet esse *ens praeternaturale,* scil. angelus (bonus vel malus) vel Deus. Cognitio praeternaturalis autem non est verum miraculum nisi *Deus* sit causa eius physica vel saltem moralis.

II. Quadruplex miraculum intellectuale enumeratur:

1. *"Cognitio rerum absentium"* est cognitio factorum sensibilium praesentium vel praeteritorum (scil. quae loco vel tempore distant) independenter a mediis naturalibus vel artificialibus.

2. *Vaticinium* seu *prophetia* est certa et univoca praedictio rei futurae quae ex causis naturalibus cognosci nequit. Dicitur "certa", i.e. subiective; dicitur "univoca", i.e. non-ambigua.

Tria notanda ad hanc definitionem:

a. Prophetia utique supponit *praevisionem,* immo miraculum prophetiae consistit in praevisione, non in praedictione qua tali; praedictio enim mere addit externam manifestationem rei praevisae.

b. Obiectum primarium prophetiae sunt *futura libera,* i.e. eventus futuri qui pendent vel a libero consilio Dei (v.g. dies ultimi

[3] Fröbes II p. 124-162.

[4] Etiam absentia cognitionis humanae potest esse praeternaturalis (v.g. 4 Reg. 6, 18) ; sicut enim quaedam cognitio est physice impossibilis, ita quaedam est physice necessaria.

iudicii) vel a libera voluntate hominum (v.g. bellum futurum). Obiectum secundarium prophetiae sunt eventus futuri qui toti quidem pendent a causis necessariis, quae tamen hominibus *occultae* sunt (v.g. futurus terrae motus).

c. Prophetia non debet esse tam clara et univoca ut excludat omnem umbram, sed talis ut de facto non conveniat nisi rei determinatae.

Nota. Sensu latiore, quodvis miraculum intellectuale dicitur prophetia. Ita etiam, ut videtur, in D 1790.

3. *"Scrutatio cordium"* est cognitio praeternaturalis actuum intellectus et voluntatis alterius personae.

4. *"Sapientia mirabilis"* est cognitio (praesertim religiosa) tam ampla, tam sublimis, tam bene ordinata, tam facile retenta ut viribus humanis acquiri non potuerit; v.g. si puer 10 annorum absque studio habeat cognitionem perfectam Summae S. Thomae. Ad eam referri potest *"donum linguarum"*, de quo legimus in Vitis Sanctorum (v.g. S. Francisci Xaverii). Sapientia mirabilis igitur habet pro obiecto veritates generales seu *abstractas,* dum reliquae species miraculi intellectualis potius respiciunt *facta* particularia.

III. *Possibilitas*

Miraculum intellectuale est possibile, si a) Deus cognoscit ea quae constituunt obiectum huius miraculi, et si b) Deus suam cognitionem homini communicare potest. Atqui verum est duplex antecedens. Ergo etiam consequens.

Res est evidens. Obicit tamen Celsus vaticinio tolli *libertatem* humanam, ac proinde vaticinium esse saltem moraliter impossibile. Eandemque obiectionem repetunt Kant et Wegscheider.

At sicut libertas humana non tollitur per praevisionem divinam (cf. Theol. nat.), ita neque per praedictionem. Neque enim actio humana ponitur quia praevisa aut praedicta est, sed ideo praevidetur et praedicitur quia reapse ponetur.

Sed (aliquis reponet) nonne homo *de industria* irritum facere potest vaticinium? Cui respondemus: Dei providentiae non desunt media efficacia ut homo maneat liber et tamen impleatur praedictio; v.g. Deus facere potest ut homo obliviscatur praedictionis vel ei non credat.[6]

IV. *Cognoscibilitas*

1. Veritas *historica*:

a. In genere: Ut constet veritas historica miraculi intellectualis, constare debet aliquem aliquid determinatum cognovisse certo

---

[6]Exemplum classicum est negatio Petri, quam Christus solemniter praedixerat paucis horis ante. Alia exempla narrantur de Tito et Juliano Apostata (cf. Eymieu p. 6).

tempore et loco. Atqui id interdum constare potest, scil. dummodo cognitio haec manifestetur externe (verbis vel actionibus). Ergo veritas historica miraculi intellectualis interdum constare potest.

b. Speciatim quoad *prophetias*: Veritas historica prophetiae dupliciter sumi potest: a) ut mera praedictio, i.e. ante impletionem; b) ut praedictio et impletio. Unde veritas historica prophetiae constabit si constet alterutra. Atqui alterutra interdum constare potest; utraque enim est factum sensibile.

Res iterum est evidens. Tria tamen obiciuntur:

a. J. J. Rousseau putat veritatem historicam prophetiae non esse certam nisi *ipsi adfuerimus* et praedictioni et impletioni. Immerito. Nam etiam testimonium aliorum gignere potest certitudinem formalem. Unde certi esse possumus de veritate historica prophetiae quamvis ipsi adfuerimus neque praedictioni neque impletioni.[6]

b. Alii dicunt *praevisionem*, cum non sit aliquid sensibile, constare non posse. At sine praevisione praedictio esset mera locutio automatica; atqui facile distinguimus inter hominem qui intellegit ea quae dicit, et eum qui (more psittaci) mere automatice loquitur.

c. Duo dubia etiam moventur quoad sensum prophetiae. Scil. a) J. Weisse queritur prophetias generatim esse *obscuras*, ac proinde dubium esse et earum sensum et impletionem. At sicut in aliis rebus,[7] etiam hic generatim sufficit unum vel aliud distinctivum, quo prophetia fit "univoca." b) Interdum dubium esse potest utrum prophetia sit absoluta an *condicionalis* (cf. Jonas 3, 4). At utra fuerit, dignosci potest saltem post impletionem (vel non-impletionem).[8]

2. Veritas *philosophica*

Ut constet veritas philosophica miraculi intellectualis, constare debet cognitionem manifestatam *superare* vires naturales loquentis. Atqui id interdum constare potest. Etenim:

a. Quoad *cognitionem rerum absentium*: Secundum leges psychologicas, non possumus cognoscere facta externa nisi a) ope sensuum, vel b) ex testimonio aliorum, vel c) per ratiocinium ex causis necessariis. Ergo praeter has leges accidit si quis cognoscit facta externa sine ope horum mediorum.

b. Quoad *prophetias*: Cognoscere libera futura (praesertim si non evenient nisi post longum tempus, et si multi ad ea cooperari debent) cum minutis circumstantiis—evidenter superat vires humanas. Atqui talem fuisse aliquam cognitionem manifestatam, interdum constare potest. Et quidem a) nulla est difficultas si adest et praedictio et impletio. Sed certitudo etiam haberi potest b) ante

---

[6] Duplessy I p. 393-5.

[7] Cf. quomodo certi sumus de persona cui loquimur per telephonium.

[8] Oudenrijn p. 231-7.

impletionem, scil. si excluditur possibilitas erroris in propheta; v.g. ex eius charactere, ex miraculis physicis patratis ad confirmandam praedictionem.[9]

Nihilominus, veram prophetiam esse impossibilem, hodie a rationalistis supponitur ut axioma historicum, praesertim cum describunt historiam populi Israel vel explicant V.T.

Dices: Nescimus vires divinatorias mentis humanae.

R. *Dist.* eas non cognoscimus positive *Tr.* vel *C.* negative *N.* vel *subd.* in nullo casu concreto *N.* aliter *Tr.*

Urg. Etiam voluntas humana sequitur suas leges. Ergo qui has cognoverit, praedicere potest libera futura.

R. *Dist. ant.* ita ut nulla actio humana sit vere libera *N.* aliter *Tr.* Dein quid de iis quae pendent a libera voluntate Dei?

c. Quoad *scrutationem cordium*: Secreta cordis naturaliter cognosci nequeunt nisi vel ex signis involuntariis vel ex directa manifestatione alterius. Ergo praeter naturam est cognoscere ea sine ope alterutrius medii.

d. Quoad *sapientiam mirabilem*: Secundum leges psychologicas, etiam viri ingenio extraordinario praediti longo et indefesso studio egent ut acquirant quasdam scientias (v.g. philosophiam vel theologiam). Ergo praeter naturam est si quis perfecte habeat talem scientiam absque ullo vel sufficienti studio, absque magistro etc.

Nota. Etsi negandum sit veritatem philosophicam horum miraculorum numquam constare posse, tamen (si excipias prophetias) admittendum est eam practice *haud facile* constare. Ut caute procedamus, nos monent facta "occulta": hypnosis, telepathia (thought transference, mind reading, second sight) etc.[10] Iudicium de his rebus autem facilius evadet si facta sumantur in concreto; circumstantiae concretae enim saepe excludent multas explicationes naturales. Vitetur et skepticismus et credulitas.

3. Veritas *theologica*

Ut constet veritas theologica miraculi intellectualis, sufficit si constet cognitionem manifestatam non deberi daemoni; si enim non debetur daemoni, debetur *Deo,* saltem ut causae morali. Atqui interdum constare potest cognitionem praeternaturalem non deberi daemoni. Nam.

a. *In genere*: Id constare potest ex consideratione miraculi in

---

[9]Cf. quomodo DieckmannR p. 415-8 probat praedictiones messianicas V. T. fuisse veras prophetias.

[10]Baierl I 2 p. 456-523; Straubinger p. 65-73; Frank, in Scholastik 1938 p. 247-254; LThK s.v. Parapsychologie.

concreto. Si enim adiuncta miraculi (persona ipsa, res manifestata, finis manifestationis etc.) sunt *undequaque bona,* et si in his nulla est oppositio ad attributa Dei, cognitio praeternaturalis nequit deberi daemoni. Opus daemonis enim alicubi prodit "caudam serpentinam".[11]

b. Speciatim quoad *prophetias*: Iudicium de origine praevisionis praeternaturalis facile est *post* impletionem; solus Deus enim cognoscit futura libera, praesertim remota, cum omnimoda certitudine et usque ad adiuncta minima. Sed iudicium certum interdum possibile est etiam *ante* impletionem, scil. a) pro propheta ipso: si Deus ei det lumen propheticum; b) pro aliis: si Deus approbet miraculis physicis prophetam ut talem.

Secunda Pars

Miraculum morale

I. *Definitio*

Miraculum morale est virtus heroica (vel actus eius) quae debetur speciali auxilio Dei.

Explicatur:

a. *Virtus* est habitus bonus operativus.[12] Virtus *heroica* autem est talis habitus in gradu excellenti. *Actus* virtutis heroicae est actus qui fluit ex virtute heroica.

Duo notanda: a) Gradus excellens habitus non differt essentialiter a gradibus ordinariis, sed est lentus transitus de infimo ad summum. Acquiritur autem constanti exercitio ipsius virtutis, et dignoscitur ex promptitudine qua homo agit in eodem gradu. b) Vox 'actus' ita sumitur ut includat non tantum actionem positivam (v.g. labores missionarii), sed etiam omissionem actionis (v.g. non sacrificare diis) et passionem (v.g. pati tormenta). Includimus etiam repetitionem actus.

b. Speciale *auxilium Dei* est confortatio et roboratio qua Deus directe influit in voluntatem aliasque facultates ut homo possit agere heroice.

c. Magis negative miraculum morale definitur: Actus qui est quidem physice possibilis, sed *moraliter impossibilis,* ita ut ob nimiam difficultatem numquam ponatur vel tantum rarissime.

[11] Cf. regulas S. Ignatii de discretione spirituum.
[12] S. Thomas I II qu. 55.

Miraculum morale enim transcendit 'leges morales' seu modos constantes agendi hominum.[18]

II. *Divisio*

Miraculum morale est *individuale* vel *sociale* (collectivum) vel *historicum,* prout fit in una persona vel in multitudine qua tali vel in evolutione historica rei. Sicut enim 'leges morales' aliae sunt pro individuis, aliae pro multitudine, aliae pro evolutione historica —ita etiam exceptiones ab eis.

III. *Possibilitas*

Miraculum morale possibile est si Deus ita confortare potest facultates humanas ut homo velit ac faciat ea quae sibi relictus numquam voluisset aut fecisset. Atqui Deus id potest. Nam si homo in hominem talem influxum moralem exercere potest ut hic faciat ea quae secus non fecisset, a fortiori Deus idem potest—atque infinite efficacius. Ergo miraculum morale possibile est.

Idem argumentum valet pro influxu in multitudinem qua talem, sive vivit una aetate (miraculum sociale) sive successive (miraculum historicum).

IV. *Cognoscibilitas*

1. Veritas *historica*

Ut constet veritas historica miraculi moralis, tria constare debent, scil. a) hunc hominem (vel hanc multitudinem) b) hoc egisse c) ex habitu bono. Atqui haec tria interdum constare possunt. Ergo veritas historica miraculi moralis interdum constare potest.

Ad M. Magis etiam quam in aliis miraculis, omnia sumenda sunt in concreto: hunc hominem (vel hanc multitudinem), in his circumstantiis, hac occasione etc.

Prob. min. a) Ipsa *actio externa* (v.g. aliquem multa passum esse et mortem subisse) facile constare potest. b) Hunc hominem (vel hanc multitudinem) autem egisse ex *habitu* (non ex mero impulsu), constat si actio externa ponitur prompte, perseveranter, delectabiliter. c) *Motivum* actionis fuisse bonum, constare potest ex verbis vel adiunctis etc.

2. *Veritas philosophica*

Ut constet veritas philosophica miraculi moralis, tria constare debent: a) ipsa lex moralis; b) hanc actionem in concreto eam non sequi, neque c) tribui posse viribus naturalibus. Atqui haec tria

---

[18]Cf. supra p. 36; Cotter, Logic etc. (ed. 4) p. 186.

interdum constare possunt. Ergo veritas philosophica miraculi moralis interdum constare potest.

Prob. min. a) Ipsae *leges morales* (sive pro individuis sive pro multitudine) certo cognosci possunt ex historia, statisticis etc. b) Ergo etiam *exceptio* a 'lege morali' interdum certo cognosci potest. c) Exceptionem autem non posse tribui viribus humanis, constat vel ex actibus repetitis eiusdem hominis (miraculum individuale) vel ex actibus plurimorum hominum (diversae aetatis, condicionis, sexus, regionis etc.).

Nota. Repetendum est id quod diximus de veritate philosophica miraculi intellectualis, scil. quod in praxi non semper facile est discernere indolem *praeternaturalem* actionis extraordinariae. Dantur enim facta valde similia miraculis moralibus, praesertim individualibus; v.g. labores exploratorum (pioneers), patientia fakirorum Indiae, fanatismus Mahumetanorum.

3. Veritas *theologica*

Haec eodem modo constat ac veritas theologica miraculi intellectualis.

Schol. 1. *Miracula pure spiritualia*

Etiam haec sunt effectus divinitus patrati in intellectu et voluntate hominis, et sub hoc respectu conveniunt cum miraculis intellectualibus et moralibus. Ab eis tamen differunt, quatenus per se non includunt manifestationem externam. Immo potest esse ut eam excludant. Cuius rei ratio est quod haec miracula consistunt non tam in obiecto cognito vel volito, sed potius in *modo subiectivo* cognitionis et volitionis. Atque videtur esse fere impossibile hunc modum aliis manifestare, praesertim iis qui eum non sunt experti (sicut impossibile est describere caeco visionem colorum).

Inter haec miracula pure spiritualia numerantur: lumen propheticum, contemplatio mystica, modus quo S. Paulus accepit quasdam revelationes (2 Cor 12, 1-4), amor intensus Dei quem multi Sancti experti sunt etc.[14]

Schol. 2 (dogm.). *Miraculum gratiae*

Generatim loquendo, gratia non dicitur miraculum. Ex revelatione enim constat dari, praeter ordinem naturae, *ordinem gratiae*

---

[14]Mager, in LThK s.v. Mystik; Fröbes II p. 469-475; StZ, Aug. 1936 p. 433-448; Descoqs, Theol. nat. I p. 573-605; II p. 432-9; Oudenrijn p. 163-8; DieckmannR p. 304-5; Dorsch I p. 447-9; van Laak, Rev. p. 109-114; Lebreton, La vie chrétienne p. 160-8.

(v.g. sacramenta eorumque effectus ex opere operato), atque gratias ordinarie conferri secundum hunc ordinem.

Sicut autem Deus manet supremus dominus naturae etiam post creationem, ita manet dominus supremus gratiae etiam postquam statuit ordinem gratiae. Hinc admittenda est possibilitas *exceptionis* etiam ab hoc ordine. Talis exceptio vocatur miraculum gratiae; v.g. subitanea conversio S. Pauli.

Nota. Hinc ut definitio miraculi sit prorsus generalis, secundum eius elementum debet sic intellegi: "praeter ordinem naturae *vel gratiae*".

THESIS 5

Miraculum apologeticum fieri et qua tale certo cognosci potest; est etiam criterium revelationis positivum ac certum.

Cf. Baierl I 2; Brunsmann-Preuss II p. 130-6; CE s.v. Miracle; DA s.v. Miracle col. 557-8; DThC s.v. Miracle col. 1850-8; DieckmannR p. 242-258; Dorsch I p. 399-466; Garrigou-Lagrange p. 370-397; Goebel p. 74-77; van Laak, Rev. p. 53-109; Langan p. 16-34; Mazzella, Rel. p. 128-146, 162-4; Müller p. 265-287, 313-9; Muncunill I p. 130-142; van Noort, Rev. p. 64-66; Ottiger I p. 252-273; Pesch I n. 163-185; Tanquerey I p. 198-207; Wilmers p. 148-160; idem, Lehrb. II p. 142-4.

Thesis haec est *fundamentalis* pro toto cursu Apologeticae. Parum enim nobis prodesset revelatio nisi qua divina a nobis cognosci posset. Ut autem cognoscatur qua divina, requiritur criterium.

1. *Miraculum apologeticum*

Hoc non differt ab aliis miraculis ex natura sua, sed unice ex *fine operantis*. Deus enim miraculum patrare potest ob varios fines (v.g. ad manifestandam suam iustitiam vel misericordiam). Miraculum apologeticum est miraculum quod Deus patrat eo fine ut confirmet (probet, attestetur, sigillet) locutionem suam ut divinam.

Atque probare miraculum aliquod habere hunc finem, est probare eius *veritatem relativam.*

2. *Criterium revelationis*

a. Criterium revelationis est signum quo dignoscitur factum revelationis.

Criteria revelationis dividuntur in positiva et negativa. Criterium *positivum* probat Deum locutum esse. Criterium *negativum* dupliciter ab auctoribus sumitur: a) ut id quod si adest vel deest, ostendit doctrinam *non esse* a Deo revelatam (v.g. si est absurda); b) ut id quod ostendit doctrinam *posse esse* a Deo revelatam, seu nihil obstare quin Deus eam revelaverit. Criterium positivum revelationis dicitur *certum* vel *probabile,* prout probat factum revelationis cum certitudine formali vel tantum cum probabilitate.

b. Explicite loquimur de probatione *facti revelationis;* idem autem valet de confirmatione hominis *ut legati divini* vel de religione et Ecclesia *ut divina.* Cum revelatio christiana sit *publica*

et *mediata,* de tali praecipue loquimur; sed thesis per se valet de qualibet.

Historice 3 casus distingui possunt: a) *Prophetae V.T.* et *Apostoli* dixerunt se esse legatos Dei seu se accepisse revelationem publicam; b) *Iesus Nazarenus* se dixit Filium Dei et suam praedicationem esse omnibus accipiendam; c) *Ecclesia Catholica* semper docuit se esse divinitus institutam ut magistram authenticam mundi. Mutatis mutandis, thesis valet de omnibus his casibus.

Thesis est philosophice *certa.* Dogmatice est *de fide definita;* asserit enim in abstracto idem quod Conc. Vat. (D 1790, 1813) dicit in concreto.

ADVERSARII

1. Veteres Protestantes, Jansenistae, Traditionalistae, hodierna "Theologia dialectica" putat revelationem, utpote supernaturalem, non posse probari, sed debere *simpliciter credi.*[2]

2. Lessing duo obicit: a) Revelatio, utpote veritatis *aeternae,* nequit probari per facta contingentia, qualia essent miracula; b) miraculum non habet valorem apologeticum nisi pro testibus *oculatis.*[3]

Schelling: Probare revelationem per miracula, est *circulus vitiosus;* nam et revelatio et miraculum est res supernaturalis.[4]

Speciatim hic nominandus est liber "Supernatural Religion", in lucem editus anno 1874, tacito nomine auctoris (W. Cassels). Auctor negat nos umquam cognoscere posse veritatem theologicam et relativam miraculi: "Miracles are not distinctive of divine power, but are common to Satan, and they are admitted to be performed in support of falsehood as well as in the service of truth" (I p. 25). "Miracles may be wrought to attest what is false as well as to accredit what is true" (I p. 11).

3. Rationalistae hodierni queruntur miracula esse potius *impedimentum* quam adiumentum fidei, cum ipsa difficillime admittantur.[5]

Sic dicit Cadoux: "An increasing number of religious minds derive no religious help whatever from miracle-narratives as such, have no wish to see their historicity proved, and are only repelled

---

[2]supra p. 3-4.

[3]Fonck, Die Wunder des Herrn p. 40-2; Baierl I 2 p. 418-9; Creed and Smith, Rel. Thought etc. p. 172-4.

[4]Ottiger I p. 254.

[5]Fonck l. c. p. 42-3; Grandmaison III p. 6.

by being required to believe them" (Catholicism and Christianity p. 198). Similiter C. J. Wright: "Miracles have come to be regarded by an increasing number as less and less important for Christianity. So far from being essential to the Christian faith, the whole tendency of 'modernist' apologetic is to regard miracle as unnecessary. . . . Miracle may be given up without detriment to the substance of Christian faith" (Mir. in Hist. etc. p. 27-28). A. E. Garvie haec habet: "The old apologetic view of miracles as the credentials of the doctrines of Christianity is altogether discredited. It is the truth of the doctrines that makes the fact of the miracles credible" (in Hastings' Dict. of the Bible, s.v. Miracles). Similia habent G. A. Barton, The Apostolic Age p. 38; F. H. Chase, Cred. of Acts p. 300.

4. Ex altera parte, A. Réville exaggerat vim miraculi apologetici: "If the common opinion is well founded, a miracle imposes faith from without, compelling assent, violating conviction and changing nothing of the real disposition of the witness" (ap. Lebreton, Life etc. II p. 440).

PRIMA PARS PROBATUR

Miraculum apologeticum possibile est, a) si Deus positive intendere potest confirmare per illud revelationem ut suam, et b) si nobis manifestare potest hanc suam intentionem.

Atqui Deus utrumque potest.

Ergo miraculum apologeticum possibile est.

Ad M. Finis operantis enim, quo miraculum apologeticum differt ab aliis miraculis, pendet a sola intentione agentis.

Dices (cum Reimaro, Loisy etc.): Requiritur aliud elementum, scil. miraculum apologeticum debet facere revelationem evidentem.

R. *N.* vel *Dist.* intrinsece evidentem *N.* credibilem (et credendam) *C.*

Prob. min.

1. Talis intentio non repugnat ulli attributo Dei.

2. Quod homo potest, Deus potest. Atqui homo potest suam locutionem (v.g. in telephonio, in epistola) ita attestare et sigillare ut alii certi fiant eam esse suam. Ergo Deus idem potest, scil. ponendo *nexum logicum* inter miraculum et locutionem suam.

Id quod variis modis facere potest:

a. In revelatione *immediata*: Adest nexus logicus si Deus alicui loquitur et a) simul eum illuminat quoad auctorem locutionis (scil.

per lumen propheticum), vel b) ei patrat miracula (praedicit futura) ut homo credat.[6]

b. In revelatione *mediata*: a) Adest nexus *explicitus* si Deus movet legatum suum ut appellet ad miracula futura ut homines credant suam missionem. Quo in casu legato revelare debet non tantum suam missionem, sed etiam miracula futura.[7] b) Adest nexus *implicitus* si aliquis se exhibet ut legatum divinum, et si Deus simul patrat varia miracula circa eum qua legatum; v.g. quatenus miracula fiunt per res pertinentes ad eius doctrinam, vel quatenus fides credentium miraculis praemiatur, vel quatenus non-credentes ut tales plectuntur poenis miraculosis etc.[8]

c. Speciatim quoad *vaticinia*: Nexus logicus duplex esse potest: a) si variae praedictiones annuntiant legatum futurum, et si dein implentur in aliquo qui se dicit hunc legatum; b) vel si is qui se dicit legatum divinum, varia praedicit ut homines ei credant, et si dein hae praedictiones adamussim implentur.[9]

Secunda pars probatur

Miraculum dignosci potest ut apologeticum (i.e. cognosci potest eius veritas relativa) si cognoscere possumus *nexum logicum* inter miraculum et rem quae dicitur revelata.

Atqui id possumus—sicut cognoscere possumus v.g. nexum inter epistolam et eius subscriptionem.

Ergo miraculum dignosci potest ut apologeticum.

Ad M. Nisi enim Deus vellet, sub his circumstantiis, attestare revelationem ut suam, ipse miracula ista patrare non deberet, vel alia entia praeternaturalia (angelos) impedire deberet ne ea patrent. Secus enim homines prudenter iudicantes *positive* ducerentur in errorem (sicut qui legit nomen falsum subscriptum epistolae).

Ad min. Facilius iudicabitur de hoc nexu logico si res sumuntur *in concreto*: character eius qui se dicit legatum divinum, doctrina quam dicit revelatam, multitudo et varietas miraculorum, occasiones quibus fiunt etc.

---

[6]Lege Exod 3, 1-6 ubi narratur quomodo Yahwe se manifestaverit Moysi. Cf. van Laak, Rev. p. 73, 111-4.

[7]Lege Exod 3-4, ubi narratur quomodo Yahwe miserit Moysen ad Pharaonem. Cf. Act. 13, 11.

[8]Multos alios modos habes apud van Laak, Rev. p. 74-75.

[9]Cf. theses 22 et 25.

Obiectiones

1. Miraculum non confirmat revelationem nisi mediante *declaratione thaumaturgi*. Atqui haec falsa esse potest.

R. 1. *N.M.* Nexus logicus inter miraculum et revelationem a Deo poni et a nobis cognosci potest independenter a declaratione thaumaturgi; v.g. ubi nexus est implicitus.

R. 2. *Tr. M. N. min.* Nisi enim revelatio esset genuina (uti asserit thaumaturgus), Deus non posset patrare miracula promissa a thaumaturgo.

2. (Lessing) Merum factum historicum nequit probare veritatem *aeternam*. Atqui miracula sunt mera facta historica, revelatio autem est veritatis aeternae.

R. 1. *N. supp.* Deus etiam revelare potest facta historica (v.g. Christus revelavit Apostolis destructionem Jerusalem).

R. 2. *Dist.M.* neque directe neque indirecte *N.* directe *Tr.* Miraculum apologeticum directe probat factum revelationis; cum autem Deus sit absolute sciens et verax, id quod revelatur, necessario verum est.

3. (Schelling) Et revelatio et miraculum sunt opera divina. Ergo probare revelationem per miraculum, est probare *idem per idem*.

R. *Dist. ant.* et revelatio et miraculum pertinent ad idem genus actionis divinae, scil. praeternaturalis *C.* ad eandem speciem *N.* Revelatio enim est locutio divina, miraculum (physicum) non.[10]

Urg. Saltem *vaticinium* et revelatio pertinent ad eandem speciem actionis divinae. Ergo vaticinium nequit esse criterium revelationis.

R. *Dist. ant.* ante impletionem vaticinii *Tr.* vel *C.* post impletionem *N.* Impletio vaticinii enim addit factum novum ad actionem qua Deus revelavit futura. Tale additamentum per se non habetur in revelatione (v.g. cum Deus revelat se esse trinum). *Dist. cons.* post impletionem *N.* ante impletionem *subd.* si confirmetur aliis signis divinis *N.* aliter *Tr.*

4. (Pascal, "Supern. Rel.") Veritatem miraculi inferimus ex eo quod vera est doctrina quam confirmat, ac dein veritatem doctrinae inferimus ex veritate miraculi. Atqui hic est *circulus vitiosus*.

R. Per se processus apologeticus hic est ut prius probetur veritas quadruplex miraculi apologetici—independenter a veritate doctrinae de cuius revelatione quaeritur. Per accidens autem doctrina adhiberi potest ut *criterium negativum;* si enim haec est evidenter falsa, statim negari potest eam esse revelatam aut confirmari miraculis; et si doctrina non est evidenter falsa, tantum inferri potest eam posse esse revelatam et confirmari miraculis.[11]

Tertia pars probatur

Id quo Deus *positive attestatur* locutionem ut suam, est criterium positivum revelationis.

Atqui miraculo apologetico Deus positive attestatur locutionem ut suam.

Ergo miraculum apologeticum est criterium positivum revelationis.

---

[10]Miraculum apologeticum interdum vocatur "testimonium divinum". Id quod recte intellegi debet. Miraculum apologeticum enim non est testimonium formale (locutio), sed *virtuale,* scil. quatenus ex eo inferri potest finis operantis Dei. Cf. DieckmannR p. 305, 319.

[11]Ottiger I p. 256-8; Lercher I p. 128; van Laak, Rev. p. 75; Falcon p. 145-6; Baierl I 2 p. 421-2.

Ad M. Secus enim Deus positive attestaretur errorem seu esset *testis erroris*—id quod repugnat Dei sapientiae et sanctitati.

Prob. min. a) Ipsum miraculum est actio positiva Dei; neque enim Deus se habet mere permissive, sed est causa (physica vel saltem moralis) miraculi. b) Ut miraculum sit apologeticum, Deus debet positive intendere confirmationem et ponere nexum logicum inter suam locutionem et miraculum.

Cor. Ergo etiamsi miracula forte fiant apud *paganos* etc., haec numquam fiunt in confirmationem religionis falsae, sed ob alios fines operantis; v.g. ex misericordia (infra p. 286, 437).

Ex altera parte, non repugnat quin Deus sinat *daemones* facere mira in favorem doctrinae falsae. Haec enim non esset actio Dei positiva, et Deus providentia sua curaret ut appareat "cauda serpentina".

Obiectiones

1. Accidere potest ut *casu* adsit idem nexus logicus, praesertim ubi est tantum implicitus.

R. *N.* Esset contra Dei providentiam.

2. Ipsa *S. Scriptura* supponit miracula fieri posse in confirmationem erroris; v.g. Deut 13, 1; Mt 7, 22; 24, 24; Mc 13, 22; 2 Thess 2, 9. Ita "Supernatural Rel." I p. 11. Ex iisdem locis Concordia Cyclopedia (s.v. Faith-Healing) infert: "Hence we say: Anyone who asserts that his miracles of healing are a proof of a divine mission at once writes himself down as a deceiver".

R. *N.* vel *Dist.* vera miracula *N.* opera daemoniaca vel alia *Tr.* Quoad locos citatos: a) In Deut 13, 1-3 Judaei monentur ne "sequantur deos alienos"; ergo quaecunque signa fiant a "prophetis" qui contrarium suadent, non sunt attendenda. Nos diceremus: deest veritas theologica vel saltem relativa. b) In Mt 7, 22 agitur de veris miraculis (ut videtur), sed non confirmatoriis sanctitatis. c) In ceteris locis agitur de operibus daemonum. Sed abusus non tollit usum.

3. De facto, falsae doctrinae confirmatae sunt miraculis.

R. *N.* In concreto autem applicandum est principium evidens S. Thomae: "Miracula semper sunt vera testimonia eius ad quod inducuntur" (II II qu. 178 a. 2 ad 3), i.e. miracula eatenus tantum probant quatenus adest *nexus logicus* inter miracula et doctrinam.

Urg. Miracula fiunt ad Loreto, Trier, Turin etc. sub adiunctis quibus confirmantur opiniones piae, sed historice falsae.

R. 1. Retineatur principium S. Thomae, et caute videatur quid miraculis confirmetur. Potest enim esse ut finis (operantis) horum miraculorum sit potius praemiare pietatem ac devotionem fidelium quam confirmare opiniones istas.

R. 2. (dogm.). Haec miracula *hodie* fiunt. Atqui hodie iam certi sumus ultimum iudicium de his rebus esse apud *magisterium* Ecclesiae.[12]

---

[12]van Laak, Rev. p. 76; Pesch IV n. 656; Kösters, in LThK s.v. Loreto; H. Thurston, in Month, Oct. 1933 p. 355.

Quarta pars probatur

Duo notanda:

a. Loquimur de efficacia *obiectiva* miraculi apologetici. Potest enim esse ut aliquis sit male dispositus erga revelationem ac proinde nolit eam admittere quomodocunque confirmetur (cf. L 16, 31; J 7, 17) vel ut nolit audire miracula. Non agimus directe cum tali.[13]

b. Asserimus miracula esse criterium certum revelationis non tantum pro iis qui ea suis oculis perceperunt, sed (contra Lessing) etiam pro iis qui ea audiunt ex *testibus* fide dignis (cf. D 1624). Etiam testes fide digni enim gignunt certitudinem formalem. Concedi tamen potest evidentiam priorum esse maiorem quam posteriorum. Sic maior fuit evidentia quam Apostoli habuerunt de miraculis Christi quam est nostra.[14]

Arg. Si patrare miraculum et ponere nexum evidentem inter illud et locutionem suam, est *soli Deo proprium*—miraculum apologeticum est signum certum revelationis.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Obicit Hunt (Rel. Thought etc. II p. 371): "However great the external evidence for revelation may be, it can never be equal to our perception of a self-evident proposition".

R. *N. supp.* Num omnis propositio, ut sit certa, debet habere summum gradum evidentiae?

Cor. Ergo miraculum est criterium *unice certum* revelationis. Nam cum Deum non possimus videre loquentem, recurrere debemus ad aliquod *sigillum divinum,* i.e. ad aliquem effectum qui a) est Deo proprius, et b) ita conectitur cum locutione divina ut pateat Deum velle eam attestare et sigillare ut suam. Atqui talis effectus est solum miraculum apologeticum.[15]

Inde autem fluunt alia corollaria: a) Deus non tantum potest, sed *debet* miraculis confirmare revelationem (praesertim publicam) dandam vel datam. b) Apologetica *scientifica* insistere debet in miraculis apologeticis; eius scopus enim est procurare iuvenibus certitudinem formalem de facto revelationis. c) Errant ii qui putant quaestionem de miraculis esse minoris momenti pro religione christiana. d) Is qui negat possibilitatem vel cognoscibilitatem miraculi apologetici, evertit ipsa *fundamenta* religionis christianae.[16]

---

[13] Cf. infra, sub Apologetica practica.
[14] Garrigou-Lagrange p. 272; DA s.v. Miracle col. 1023.
[15] van Laak, Rev. p. 54; DieckmannR p. 538; Vacant II p. 37-8.
[16] CIC can. 1399, 2.

Schol. 1. Potest Deus, si velit, legato suo revelare tantum unam rem vel certum numerum rerum, aliis celatis. Hinc is qui accepit revelationem, a) non ideo omnia scit, b) errare potest quoad alia; immo c) putare potest sibi quaedam esse revelata quae deprompsit de suo penu.

Ergo ei qui se dicit legatum divinum, eatenus tantum credendum est quatenus certis argumentis *probat* ea quae aliis proponit ut divina, esse sibi divinitus revelata.[17]

Schol. 2. Probatio *dogmatica* thesis

a. Ex documentis *magisterii,* cf. supra p. 73.

b. Ex *S. Scriptura*: Secundum 4 evangelia, ipse Dominus saepe appellavit ad sua miracula tamquam argumenta inconcussa missionis suae divinae, immo et divinitatis suae (cf. theses 21-23). Ex Act constat Apostolos quoque, ut probarent divinitatem religionis christianae, provocasse ad miracula Christi et ipsos miracula patrasse.

c. Quid *Patres* senserint de valore apologetico miraculorum, habes apud Lercher I p. 88-92; Wilmers p. 164-5; Müller, p. 272-3; DA I col. 191-2, 196-8; DThC s.v. Miracle col. 1850-3.

Dices 1. *Patres* fere neglegebant miracula ut criteria revelationis, et miracula Scripturae allegorice interpretabantur.

R. *Dist.* in operibus apologeticis *N.* cum loquebantur ad fideles *subd.* semper neglegebant miracula *N.* interdum *Tr.* Apologetae generatim iunxerunt vaticinia miraculis physicis.[18]

Dices 2. *S. Augustinus* implicite negavit vim apologeticam miraculi. Nam in libro "De unitate Ecclesiae" ait: "Quaecunque talia in catholica (Ecclesia) fiunt, ideo sunt approbanda quia in catholica fiunt, non ideo ipsa manifestatur catholica quia haec in ea fiunt".

R. a) Imprimis dubitatur num hic liber sit S. Augustini (cf. Bardenhewer p. 484). b) Quidquid autem est de genuinitate, auctor libri arguit contra Donatistas, qui docuerant ad validitatem baptismi requiri probitatem ministri, et qui pro veritate huius doctrinae appellaverant ad miracula quaedam in suo coetu facta. Contra eos igitur auctor libri sic arguit (*dogmatice*): Schisma non confirmatur miraculo; atqui vestra doctrina est schismatica; ergo non est confirmata per ea quae apud vos facta sunt.[19]

d. Ex *Theologis* sufficiat citare S. Thomam, cuius doctrinam de valore apologetico miraculi habes apud van Hove p. 229-269.

---

[17]Pesch I n. 152; Baierl I 1 p. 82.

[18]Dorsch I p. 411; van Hove p. 229-240; DA l. c.; Prumm p. 50.

[19]van Hove p. 232; Ottiger I p. 258, 270-2; Muller p. 659-660; de Groot p. 171. Quid S. Augustinus ipse senserit de valore apologetico miraculorum, cf. De civitate Dei 22, 9. Cf. de Vooght, in Rech. de Théol. 1939 p. 197-222.

APOLOGETICAE

PARS TERTIA

Credibilitas Librorum N. T.

Duplex factum (revelationis christianae et institutionis Ecclesiae) quod Apologetica suscipit probandum (cf. supra p. 14), *historicum* est; semel accidit in decursu saeculorum neque repetitur. Neque enim consentimus cum modernistis, quibus revelatio est factum conscientiae quod unusquisque in seipso experiatur vel experiri debeat.

Quamvis autem duplex illud factum variis modis probari possit, nos illud demonstrabimus ex *divinitate Iesu Nazareni.* Hac enim probata, duo logice sequuntur: a) eius doctrinam esse locutionem Dei seu revelationem, b) Ecclesiam ab eo fundatam esse institutionem divinam.

Etiam divinitas Iesu Nazareni variis argumentis (apologeticis) probari potest (cf. infra p. 321-4). Nos eam probabimus ex *libris Novi Testamenti.*

Ad hunc scopum ex 27 libris qui continentur in Novo Testamento, seligimus 18; scil. 4 Evangelia, Actus Apostolorum, 13 epistolas Paulinas. Eos sic designabimus: a) 4 Evangelia: Mt, Mc, L, J; b) Act; c) 13 epistolas Paulinas: Rom, 1 Cor, 2 Cor, Gal, Eph, Phil, Col, 1 Thess, 2 Thess, 1 Tim, 2 Tim, Tit, Philm.

Hi libri sunt quidem inspirati, i.e. habent Deum auctorem principalem, ac proinde sunt digni fide absoluta; Deus enim neque falli neque fallere potest. Methodice autem nunc abstrahimus ab eorum inspiratione (neque tamen eam negamus) eosque consideramus ut documenta humana seu *mere historica.*

Hinc nobis imprimis probanda est *credibilitas* seu auctoritas historica horum librorum. Quae quidem perfracte negatur a modernis rationalistis, ac proinde solide est stabilienda. Ex hodierna scientia igitur quae dicitur "Introductio in Novum Testamentum", seligimus ea quae faciunt ad hunc scopum. Atque consulentes normis paedagogicis omnia necessaria vel valde utilia absolvemus 8 articulis:

1. Indoles literaria Evangeliorum
2. Fontes
3. Genuinitas Evangeliorum
4. Critica textualis
5. Problema synopticum
6. Credibilitas Evangeliorum
7. Credibilitas Actuum
8. Epistolae Paulinae

Methodus quam sequimur, est *historica,* i.e. communis omni historiae. Quia autem finis noster est particularis, tria notanda sunt, quae valebunt etiam pro reliquis partibus Apologeticae.

1. *Textus graecus praeferendus*

Ad cognoscendum valorem historicum documentorum, necessarium vel saltem utile est ea prae manibus habere in *"textu originali"*; versiones enim generatim imperfectae sunt. Unde ab initio quaeritur quae fuerit *lingua originalis* 18 librorum N. T. quibus utemur in Apologetica.

Iamvero ex consensu fere mathematico peritorum constat omnes, praeter Mt, originarie scriptos esse *graece.* Quoad Mt autem est dissensus. Sunt quidem qui putent etiam primum evangelium scriptum esse graece; at exstat traditio antiquissima Mt originarie scriptum esse in lingua semitica (hebraica vel aramaica), sed mox translatum esse in linguam graecam. Cf. infra p. 117.

Ergo in Apologetica scientifica per se praeferendus est textus graecus horum librorum. Id quod valet etiam quoad Mt, cuius textus semiticus prorsus periit.

Qua de re duo notentur:

a. Lingua graeca horum librorum non est classica, sed ea quae hodie vocatur *κοινή*. Cuius duplex forma distingui potest: literaria et vulgaris. *Vulgaris* orta est ex sermone attico vulgari, sed passa est influxum ex aliis dialectis. *Literaria* directe orta est ex sermone attico classico, sed influxum passa est ex *κοινή* vulgari.

Libri 18 N. T. quibus utemur, quoad maximam partem scripti sunt in *κοινή* vulgari.[1]

b. Variae hodie exstant *editiones criticae* textus originalis horum

---

[1]Deissmann l. c.; Gächter p. 3-4; Ruffini p. 4-8; Höpfl, Introd. p. 114-150; Errandonea, Epitome etc. p. 8-14; Jacquier p. clxiv-vii; Suppl. s.v. Grec biblique.

librorum: a) non-catholicae: Lachmann, Tischendorf, B. Weiss, Westcott-Hort, von Soden, Weymouth, Nestle; b) catholicae: Vogels, Hetzenauer, Brandscheid, Merk.[2] Nostra non interest quam ex his admiseris; quoad substantiam enim omnes concordant.

2. *Argumenta*

a. Probatio thesium non iam sumitur ex philosophia (ut in prima parte), sed ex historia et critica (textuali et literaria). Unde non iam exspectanda sunt argumenta metaphysica aut a priori. Historia et critica enim probat sua facta ex *documentis* (monumentis). Neque theses probabuntur syllogismis deductivis, sed ex testibus (vel textibus) citatis; atque argumenta generatim erunt *cumulativa.*

Nota. Hinc neque certitudo thesium erit mathematica aut metaphysica, sed ea quam solam gignere solent talia argumenta. Quae vocari solet *'moralis'*. Quae tamen est formalis (non tantum magna probabilitas), atque interdum reduci potest ad metaphysicam.

b. Argumenta literaria dividuntur in externa et interna. *Externa* desumuntur ex testibus distinctis a facto examinando, *interna* ex documento examinando. Critici hodierni rationes internas habent ut principales, sed evidens est neutras per se praevalere. Veritas potius stat in *harmonia* utrarumque.

3. *Notae thesium*

Una nota indicabit qua certitudine naturali gaudeat thesis, atque nitetur in regulis sanis criticae hodiernae. Altera nota erit "dogmatica", quam scire diximus necessariam theologo. Haec saepe sumetur ex decisionibus Commissionis biblicae.[3]

---

[2]Rosadini I p. 81-5; Merk p. 133-141; Lagrange, Mc p. clxv-clxix.
[3]De harum valore dogmatico cf. infra p. 689.

ARTICULUS 1

INDOLES LITERARIA EVANGELIORUM

THESIS 6

Quattuor nostra Evangelia scripta sunt ob finem historico-apologeticum atque gaudent unitate literaria.

Cf. Braun p. 215-265; Dausch p. 8-10, 15-16, 21; Gächter p. 51, 75, 148-152; Grandmaison I p. 39-56, 155-171; Höpfl-Gut p. 46-7, 78-80, 108-113, 208-214; Knabenbauer Mt I p. 22-29; L p. 16-28; J p. 15-19, 50-58; Lagrange, in Revue biblique 1933 p. 321-342; Mt p. cxxiv-clxxviii; Mc p. lxii-cvii, cxxviii-cxxx, cxli-cxlii; L p. xxxiv-xlvii, cxxix-cli; J p. lxvii-cxxxiv; Merk p. 639-643, 652-3, 658-660, 669-676, 767-8; Rosadini I p. 117-121, 143-5, 165-8, 204-6, 238-240; Ruffini p. 35-42, 76-7, 115-7; Simón I p. 28-33, 45-8, 86-9; Tillmann p. 6-12.

Theses 6-8 sunt *praeliminares* ad thesim 9. Antequam enim probetur credibilitas libri historici, tria quaeruntur: a) num liber sit unius auctoris et num fuerit eius intentio scribere historiam; b) num liber sit talis qualis prodiit e manibus auctoris; c) num liber sit eius cui adscribitur. Aliis verbis, ante credibilitatem tria per se probanda sunt: verus sensus libri, integritas, genuinitas.

In hac thesi agimus de *unitate auctoris* et *vero sensu*. Unde patet eius necessitas pro nostra Apologetica, vel saltem magna utilitas.

1. *Quattuor nostra Evangelia*

a. *Evangelium* est liber qui sic inscribitur.

Hanc definitionem ponimus ad scopum nostrum apologeticum. Prout vox adhibetur in N. T. ipso, potius significat "bonum nuntium quem Christus attulit", vel doctrinam et personam Christi; ita etiam (uti videtur) in titulis evangeliorum.[1]

b. Evangelia *nostra* sunt libri qui sic inscribuntur in Vulgata latina.[2]

c. *Quattuor* libri sic de facto inscribuntur. Quorum primum est

---

[1]Merk p. 620; CE s.v. Gospel and Gospels; Lagrange, Mc p. 2; van den Eynde p. 32-7.

[2]Tituli eorundem librorum in textu graeco non continent vocem 'Evangelium', sed dicitur simpliciter Κατὰ Μαθθαῖον etc.

"secundum Matthaeum", alterum "secundum Marcum", tertium "secundum Lucam", quartum "secundum Ioannem".

Praeter haec, multa alia passim recensentur a scriptoribus antiquis vel etiam hodie exstant; v.g. evangelium Matthiae, evangelium Petri, protoevangelium Jacobi etc. Haec a Catholicis vocantur *apocrypha,* a Protestantibus *pseudepigrapha;* neque continentur in Vulgata latina. De eis non loquimur.

d. Post Griesbach (1774) tria prima evangelia vocantur *synoptica.* Tam inter se enim similia sunt quoad selectionem materiae, quoad ordinem ac dispositionem narrationis etc., ut dicenda sint referre *eundem conspectum vitae Christi.* Quartum evangelium ab eis multum differt.

2. *Finis Evangeliorum*

a. Legenti evangelia nostra, praesertim synoptica, dubium esse non potest quin prae se ferant indolem historicam, ac proinde pertineant, saltem specie tenus, ad genus literarium historicum vel biographicum. Quaeritur autem utrum haec sit mera forma literaria (sicut v.g. in J. Bunyan's Pilgrim's Progress, vel in hodiernis novellis) an eorum auctores voluerint narrare eventus ut obiective veros?

Asserimus evangelia nostra esse aestimanda ut *documenta vere historica.*

b. Quod assertum tamen modificandum est. Qui enim sibi proponit describere eventus praeteritos, potest a) velle narrare omnia quae pertinent ad suam materiam, vel b) tantum quaedam—sive ad finem pure historicum sive ad alium (didacticum, polemicum, apologeticum). Quaeritur ergo ad utram classem pertineant 4 nostra evangelia?

Negamus a) evangelistas voluisse scribere biographiam completam Iesu Nazareni, aut b) eos scripsisse ob finem pure historicum. Sed asserimus eos voluisse a) narrare *quaedam* facta et dicta Iesu eiusque coaevorum, b) non ad finem pure historicum, sed *apologeticum* seu didacticum.[8]

3. *Unitas literaria*

Unitas literaria libri hic est *unitas auctoris.* Unde liber gaudet unitate literaria si totus conceptus et scriptus est ab uno eodemque

---

[8]Non asserimus finem apologeticum esse aeque evidentem in singulis 4 evangeliis.

auctore. Opponitur unitati mere externae, qualis habetur v.g. in anthologiis hodiernis, vel in encyclopaediis quarum singuli "articuli" scripti sunt a diversis auctoribus.[4]

Thesis est critice *certa*.[5] Dogmatice est *certa et communis,* atque concordat cum documentis recentibus magisterii, scil. de unitate literaria D 2015; de indole literaria D 1980, 2013-4, 2016, 2112.

ADVERSARII

1. Quoad *finem* evangeliorum

a. Multi critici hodierni loquuntur a) ac si evangelistae scripserint ob finem *pure historicum,* vel b) ac si voluerint dare biographiam *completam* Iesu. Hinc si evangelista omittit factum aliquod, statim inferunt eum ignorasse vel etiam negare factum illud. Quod principium (tacitum) applicant praesertim ubi agitur de miraculis et de apparitionibus Iesu post resurrectionem.

b. Alii e contra putant evangelia nostra scripta esse ob finem *pure religiosum,* i.e. ad meram aedificationem legentium, atque evangelistas libere miscuisse facta et ficta, vel saltem facta et suas interpretationes factorum.[6]

Hoc sensu dicit F. C. Burkitt: "The object of the Evangelists was not biography, but edification". Et J. H. Ropes: "The Gospel of Mark is the discussion of a theological problem in the form of a dramatic historical sketch, and not an attempt to write a biography". "It is a theological treatise, addressing itself to the great problem of primitive Christianity, Why did the Messiah die?" (The Synoptic Gospels p. 12, 34).

c. Speciatim quoad J: Rationalistae extremi dixerunt J esse vel poema allegoricum vel opus theologicum quo auctor voluerit describere *fidem Ecclesiae exeuntis saec.* 1.[7]

2. Quoad *unitatem literariam* evangeliorum

a. Mc habuisse plures auctores, olim defendebatur a Loisy, von Soden, Wendling etc. Eorum opinionem sic describit Stanton: "A primitive document of small extent and containing little variety of subject-matter has been embodied in Mark, along with a large

---

[4]Tromp p. 43-6. In hac thesi transmittimus eos locos singulorum evangeliorum de quorum genuinitate exstat prudens dubium. Cf. infra p. 127-136.

[5]'Critice' hic mere refert ad criticam literariam; postea indicabit etiam textualem et historicam.

[6]Grandmaison I p. 42-5.

[7]Warschauer, Jesus p. 57-60.

amount of additional material, by one or more later hands to whom the present arrangement is due" (Gospels etc. II p. 180). R. Thiel (Drei Markus Evangelien 1938) putat Mc esse meram conglomerationem ex 3 evangeliis completis.

b. Secundum Wellhausen, quem sequitur Knopf (Einf. p. 125), J constat ex scripto fundamentali (Grundschrift) valde antiquo et ex multis additionibus postea insertis per varios redactores. Idem fere tenet F. Spitta, qui tamen postulat tantum unum redactorem posteriorem. Von Dobschütz distinxit 5 strata in nostro J: dicta Iesu, traditiones Ioannis ephesini, evangelistam ipsum, additamenta, appendices.[8]

c. Meros redactores (non veros auctores) evangeliorum synopticorum ponit recens schola, quae dicitur *"Form Criticism"* (Formgeschichte, formgeschichtliche Methode). Sic enim explicat eorum originem: a) Inter primos Christianos sponte orta sunt *fragmenta,* i.e. parabolae, narrationes miraculorum, dicta Iesu etc., quibus Christiani expresserunt sua desideria, dubia, aspirationes etc.; b) sponte quoque ortae sunt *collectiones* fragmentorum; v.g. parabolarum; c) tandem evangelistae eas univerunt in personam Christi, *arbitrarie* additis adiunctis temporis, loci etc. "What the evangelists had before them was miscellaneous fragments—a mass of flyleaves on each of which was recorded a single anecdote about Jesus, or two or three of his sayings. Their task was that of combining the fragments, and so weaving the Gospels into their present form" (Scott, Lit. of N. T. p. 28).

Hanc theoriam invenerunt K. L. Schmidt, M. Dibelius, R. Bultmann, G. Bertram. Eam adoptaverunt S. J. Case (Jesus p. 101-4), G. A. Barton (Apost. Age p. 2-6), H. J. Cadbury (Beg. of Christ. V p. 393), R. H. Lightfoot (Hist. and Interpr.) etc.[9]

Prima pars probatur

Qui sit finis alicuius libri, eruendum est a) ex *lectione* ipsius libri, b) ex explicita declaratione *auctoris,* c) ex testimonio *coaevorum.* Certitudo haberi potest saltem si haec concordant.

Atqui secundum omnes hos fontes, finis 4 nostrorum evangeliorum est historico-apologeticus.

---

[8] Rosadini I p. 239.

[9] BN p. 344-6; Florit, Il Metodo della "Storia delle Forme" (1935); Filson p. 85-114.

Ergo finis 4 evangeliorum est historico-apologeticus.

Prob. min.

1. Ex lectione evangeliorum

a. Quoad evangelia *synoptica*: Exhibent modum dicendi qui communis est *scriptoribus historicis*: a) adhibent phrases historicas: Iesus fecit hoc, ivit huc, dixit haec sub his adiunctis; b) narrant res stilo sat ieiuno, ferme ad normam annalium vel chronicae; c) inserunt quidem parabolas, allegorias, canticus etc.; sed haec facile apparent ut citationes et ut essentialiter diversae ab indole reliqui libri.

Etiam finis *apologeticus* patet ex ipsa lectione. Nam a) in Mt iterum atque iterum citantur prophetiae messianicae V. T. et ostenditur eas impletas esse in Iesu Nazareno, ac proinde eum esse Messiam. b) In Mc cumulantur miracula, praesertim expulsiones daemonum, ut appareat omnipotentia Iesu. c) In L Iesus magis proponitur ut redemptor totius generis humani: omittuntur ea quae offensioni esse possunt sive Judaeis sive paganis; colliguntur ea quae augere possunt spem et fiduciam; describuntur scenae in quibus elucet abyssus humanae miseriae et divinae misericordiae.[10]

b. Quoad *quartum* evangelium: Auctor a) eventus ita inter se coniungere solet ut appareat alios aliorum fuisse occasionem; b) interdum explicat vel supplet narrationes synopticorum, atque cavet ne facta narrata male intellegantur; c) saepius quam synoptici indicat circumstantias minimas personarum, locorum, temporum etc., etiam in rebus quae non conducunt ad finem primarium libri. Atqui qui ita scribit, deliberate deciperet nisi vellet tradere obiectivam *historiam*.[11]

Probationem divinitatis Iesu autem esse finem *apologeticum* J, elucet fere ex omnibus paginis.

2. Ex declaratione auctoris

a. Duplex finis clare exprimitur in *prologo* ad L: "Quoniam . . . visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem" (L 1, 1-4). Ergo licet finis tertii evangelii sit historicus, tamen auctor vult per illud complere et firmare fidem Theophili.[12]

---

[10]Dante vocat Lucam "scribam mansuetudinis Christi".

[11]Merk p. 756; Rosadini I p. 260-2; Felder, Christ etc. I p. 94-6; Headlam, Life etc. p. 39-42.

[12]Simón I p. 56-7; Prat, Jésus-Christ I p. 18.

b. Inde autem inferre licet ceteros synopticos (Mt et Mc) sibi similem finem proposuisse, quamvis id non dicant explicite. Nam a) eventus qui narrantur in 3 evangeliis, fere iidem sunt; ergo etiam Mt et Mc volunt esse historica. b) Finis apologeticus autem apparet in Mt 1, 1: "liber generationis Iesu Christi, filii David"; 'filius David' enim erat titulus messianicus ubique receptus. c) Finis apologeticus Mc apparet cum ex initio evangelii ("Initium evangelii Iesu Christi, filii Dei") tum ex eis quae narrantur per totum evangelium; inde enim lector facile infert auctorem sua facere verba centurionis sub cruce: "Vere hic homo filius Dei erat" (Mc 15, 39).[13]

c. Eundem esse duplicem finem J, clare exprimitur in J 20, 30-31: "Multa quidem et alia signa fecit Iesus. . . . Haec autem scripta sunt ut credatis quia Iesus est Christus Filius Dei".

Nota. Licet finis apologeticus Mc et J sit idem, scil. probare divinitatem Iesu, est discrimen in methodo. In Mc haec thesis magis probatur ex miraculis Iesu, in J ex eius doctrina.

3. Ex iudicio coaevorum

Hunc esse duplicem finem 4 nostrorum evangeliorum, iudicabant non tantum Patres primorum saeculorum, sed etiam haeretici, Judaei, pagani.

Dices: Clemens Alex. vocavit evangelium quartum *'spirituale'* (πνευματικόν). Ergo non putavit illud esse historiam.

R. *C. ant. N. cons.* Clemens enim dicere voluit Spiritum s. specialiter iuvisse auctorem in recordandis et intellegendis dictis factisque Iesu.[14]

Urg. Clemens Alex., Origenes, S. Ambrosius intellexerunt multas narrationes quarti evangelii allegorice.

R. *Dist.* ita ut negarent earum indolem historicam *N.* aliter *Tr.* Sic Origenes defendit veritatem historicam suscitationis Lazari contra Celsum.[15]

Schol. 1. *Evangelia incompleta*

a. Nullus evangelista voluit scribere biographiam completam Iesu. Imprimis a) nullus asserit contrarium. In prooemio ad L legimus quidem auctorem scribere postquam assecutus est "omnia a principio"; sed his verbis auctor mere vult efferre accuratam investigationem rerum scribendarum. b) Multa omissa esse, patet ex J 20, 30 et 21, 25 ("multa alia"). Tandem c) evangelia esse incompleta, iam aliquomodo sequitur ex eorum fine apologetico.

[13]Scott l. c. p. 62-4.
[14]Langan p. 123; Gächter p. 138.
[15]Hi exegetae pertinent ad "scholam Alexandrinam", quae nimis indulsit allegoriis.

Qui enim vult probare thesim ex historia, seliget ex factis sibi notis: inseret ea quae serviunt huic fini, cetera omittet.

Recte igitur monuit S. Augustinus "sic unumquemque evangelistam contexere narrationem suam ut *tamquam nihil praetermittentis* series digesta videatur; tacitis enim quae non vult dicere, sic ea quae vult dicere, illis quae dicebat adiungit ut ipsa continuo sequi videantur" (De cons. ev. II 16).

Ergo male rationalistae supponunt singulos evangelistas voluisse *negare* ea omnia quae non tradant, ac proinde sibi invicem contradicere.

b. Neque 4 evangelia simul sumpta tradunt omnes circumstantias, nexum et ordinem chronologicum eventuum. Patet legenti evangelia eorumque commentarios.

c. Immo non sumus certi evangelistas voluisse tradere omnia facta *principalia* vitae Iesu. Sic promissio primatus legitur in solo Mt, eius collatio in solo J, et quidem in appendice. Si ceteri evangelistae omittere poterant haec facta, omnes poterant.

Schol. 2. *Chronologia*

Is qui scribit historiam, per se sequitur ordinem chronologicum; non ita per se is qui eventus historicos subordinat alteri fini. Atqui 4 nostra evangelia, licet historica, scripta sunt ad finem apologeticum. Ergo non sunt reicienda licet non exacte sequantur ordinem chronologicum.

Duo notanda:

a. Exaggeravit K. L. Schmidt cum dixit evangelia esse collectiones fragmentorum sine ullo ordine chronologico. Saltem *tria* enim narrantur chronologice: a) initium praedicationis Iesu cum variis eventibus, b) confessio Petri cum eventibus mox secutis, c) ultima hebdomas in Jerusalem cum passione, morte, resurrectione.[16]

b. Quoad chronologiam aliorum eventuum, evangelia inter se differunt: Mt eam parum curat nisi modo generali; Mc eam sequitur in aliquibus; L se magis studiosum chronologiae exhibet, sed fontes ei saepe defecerunt; J saepe quidem eam effert in rebus particularibus, sed omnia subordinat ideis.[17]

---

[16] Grandmaison I p. 94; Lebreton, Life etc. I p. xvi-xvii; Filson p. 120-2.

[17] Lebreton, ib. p. xix; Merk p. 640-1; Prat, J. Chr. I p. 563-575; Gächter p. 48, 68, 88-91, 154-5; Lagrange, Mt p. clxxii; Mc p. cxli.

Schol. 3. *Literatura historica*

Duae species compositionis historicae distingui possunt: Una est exculta et *literaria,* qualis habetur in historiis notis Thucydidis, Titi Livii, Taciti etc.; altera est magis *popularis,* qualis habetur in multis autobiographiis (memoirs), in quibus homines stilo simplici et sine magna arte narrant ea quae ipsi experti sunt vel audierunt.

Evangelia nostra potius pertinent ad hanc alteram speciem.[18] Hinc si vox 'literatura' sumitur ut "belles-lettres" (cf. Standard Dict. s.v. Literature 3), evangelia non sunt aestimanda iuxta principia ei propria.

Secunda pars probatur

Male negatur librum esse unius auctoris, si a) *stilus* ubique est idem, b) omnia in unum *finem* convergunt, c) variae partes *nexu* intimo inter se coniunguntur.

Atqui verum est antecedens quoad singula evangelia nostra.

Ergo male negatur singula esse unius auctoris.

Ad M. a) Maiorem asserimus sensu aiente; unitas auctoris etiam aliter constare potest. b) Ne postuletur nimia perfectio, praesertim in historia populari; liber potest esse unius auctoris etsi stilus sit paulisper diversus in diversis partibus, vel etsi finis minus clare appareat in aliquibus, vel etsi nexus sit aliquando minus aptus.

Prob. min.

a. Quoad Mt: a) Stilus ubique est hebraicus. b) Finis apologeticus, i.e. probare messianitatem Iesu, pervadit totum librum; c) Nexus ubique est topicus potius quam chronologicus.[19]

Dices 1. Mt scatet *contradictionibus.*

R. 1. *N.* Nulla vera contradictio in Mt hucusque probata est.

R. 2. *N. supp.* Etsi adessent contradictiones, non probarent librum scriptum esse a pluribus; nonne homo sibi contradicere potest, etiam in eodem libro?

Dices 2. (cum Wernle): In Mt leguntur fere 20 *duplicata* (doublets), i.e. eadem res (v.g. factum vel dictum Iesu) bis narratur. Cuius rei unica explicatio est quod evangelium est mera compilatio ex pluribus documentis.

R. Duo responderi possunt: a) Plurima ex locis citatis a Wernle esse "duplicata", gratis asseritur. b) Quoad alia: Cur non poterant accidere facta valde similia in vita Iesu, aut cur Iesus non poterat repetere idem dictum?[20]

---

[18] Rosadini I p. 205-6; Grandmaison I p. 43-44; Gächter p. 43, 72-3; Deissmann, The Philology of the Greek Bible p. 142.

[19] Simón I p. 28-9.

[20] Merk p. 709; Falcon p 179; Lagrange, Mt p. xlix-lviii.

b. Quoad Mc: a) Per totum evangelium, idem est vocabularium, eaedem sunt constructiones grammaticales et syntacticae, formulae transitionis etc.[21] b) Prima facie, finis Mc per totum librum videtur esse pure historicus; facta videntur narrari propter seipsa. c) Bene cohaerent verba Iesu, eius actiones, adiuncta etc.[22]

Nota. Etiam contra unitatem literariam Mc obiciunt varias contradictiones et "duplicata" (v.g. multiplicationem panum in Mc 6, 30-7 et 8, 1-26). Responsio est eadem ac quoad Mt.[23]

c. Quoad L: a) L reliqua evangelia ubique superat arte literaria; excellit copia verborum et notitia syntaxis graecae; in cap. 1-2 occurrunt quidem aramaismi, sed id facile explicatur eo quod ibi auctor multa vertere debuit ex lingua aramaica. b) Finis apologeticus pervadit totum evangelium, scil. ostendere misericordiam Dei; quem ad finem narrat quaedam quibus nulla literatura habet pulchriora (de peccatrice, de filio prodigo, de filio viduae etc.). c) Nexus saepe est literarius potius quam chronologicus.

d. Quoad J: a) Stilus per totum librum est characteristicus—in paupertate et uniformitate vocabularii, in constructionibus grammaticis et artificiis rhetoricis, in aliis peculiaritatibus minutis (v.g. in repetitionibus, omissionibus, explicationibus). b) Finis apologeticus, scil. probare divinitatem Iesu, evidens est per totum librum. c) Facta et dicta Iesu tam arcte cohaerent ut haec sine illis essent evidenter incompleta.

Dices: In J quaedam leguntur quae clare produnt *compilatorem.* a) In J 7, 3-4 fratres Domini petunt ut ascendat in Jerusalem ibique se manifestet mundo; atqui Iesus haec iam antea fecerat. b) In J 12, 36 Iesus dicitur abisse et se abscondisse; sed statim (12, 44) adest et loquitur. c) In J 14, 31 Iesus dicit "surgite eamus"; sed statim incipit longus discursus Iesu. Talia non possunt esse scripta ab uno eodemque auctore.

R. Duo primi loci citati nihil probant. Etenim ad a) cur fratres Domini non poterant petere novam vel specialem manifestationem occasione scenopegiae? ad b) J 12, 37-50 est recapitulatio evangelistae, quatenus explicat incredulitatem Judaeorum (12, 37-43) ac dein repetit testimonium Iesu de seipso; neque evangelista asserit hoc testimonium datum esse post J 12, 36. ad c) Tertius locus est obscurus. Sed evangelista non dicit Iesum et Apostolos statim abisse, vel potuit Iesus habere hunc discursum dum iret in hortum Gethsemane.

Urg. J 21 est appendix additus ab auctore diverso.

R. Cf. infra p. 136.

---

[21] Id nuper ad evidentiam ostenderunt critici textuales primi nominis: C. H Turner, H. B. Swete, J. Hawkins, V. H. Stanton.

[22] Braun p. 253-261.

[23] Rist, in Journal of Religion 1939 p. 440-2.

ARTICULUS 2

FONTES

Ad probandam thesim 6 fere sufficiebat perlegere 4 nostra evangelia. Aliud problema magis laboriosum nobis nunc incumbit. Quam maxime enim hodie quaeritur num aut in quo gradu evangelia dicenda sint *documenta historica,* i.e. fide (humana) digna.

Ut hanc quaestionem methodice solvamus, incipiendum est a *fontibus* particularibus quibus utemur.

Per 'fontes' hic intellegimus documenta *antiquissima* quae proxime accedunt ad aetatem qua scripti sunt libri N. T., et quae tradunt aliquid de eorum origine, indole etc. Historice enim unum documentum examinari debet ope aliorum documentorum. Quae per se eo plus valent quo *proximiora* sunt facto examinando.

Tempus quo compositi sunt fontes mox citandi, hodie aut est absolute certum aut saltem approximative (i.e. intra paucos annos). Quae determinatio approximativa generatim nobis sufficit; sic parum refert utrum epistolae S. Ignatii sint ex anno 107 vel 108 vel 115.

Nota. Est meritum Adolf von Harnack (1851-1930) accuratius determinasse *chronologiam* plurimorum fontium quibus utemur (in "Die Chronologie der altchristlichen Literatur"), et sic restituisse fundamentum Apologeticae scientificae quod destruere conati sunt rationalistae saec. 19.[4]

1. *Symbolum apostolicum,* quod compositum esse videtur ca. 100.[5]

2. *"Patres apostolici"*

Sic technice vocantur discipuli Apostolorum vel etiam libri ab eis conscripti. Sunt 7 vel 8. Scil.

Didache seu "Doctrina 12 Apostolorum" scripta est graece ca. 80-100.[6]

Nota. Cum Didache non est confundendum *"Didascalia",* scriptum post 250.

S. Clemens, episcopus romanus (mortuus 97); exstat una eius epistola ad Corinthios graece et in 3 versionibus antiquis. Licet

---

[4] de Ghellinck, in Gregorianum 1930 p. 497-525.

[5] D 1-12; DA I col. 272-283; HE I p. 367-372; II p. 71-2.

[6] RJ p. 1-4; Bardenhewer p. 20; F. E. Vokes, The Riddle of the Didache (1938); Creed, in JTS 1938 p. 370-387; Telfer, ib. 1939 p. 133-146; Benoit, in Revue biblique 1939 p. 366.

autem epistola originarie caruerit nomine auctoris, certum est S. Clementem, episcopum romanum, fuisse eius auctorem; certum quoque est eam scriptam esse ca. 96.[7]

'Pseudo-Clemens' seu 'Secunda Epistola Clementis ad Corinthios'. Non est opus S. Clementis neque est epistola, sed homilia habita Corinthi ca. 150.

"Epistola Barnabae", quae olim putabatur habere auctorem Barnabam Apostolum; videtur esse scripta Alexandriae ca. 98, sed est fere haeretica.[8]

S. Ignatius, episcopus Antiochenus, qui Romae sub Traiano (98-117) martyrium passus est. Exstant 7 epistolae graece scriptae ad varias ecclesias dum Romam duceretur.

Olim multum disputabatur de earum *genuinitate,* atque duae erant rationes dubitandi: a) Diversitas manuscriptorum, quorum quaedam continebant tantum 3 epistolas, quaedam 7 nostras, quaedam 7 nostras et 6 alias. b) Cum in epistola S. Clementis episcopi et presbyteri nondum clare distinguantur, S. Ignatius supponit episcopatum monarchicum in unquaque civitate; atqui, dicunt rationalistae, talis mutatio non potuit fieri intra 10 annos. Sed de earum genuinitate dixit Harnack (1926): "The voices of those who used to assail the authenticity of these letters are now almost completely silenced". Solus Loisy adhuc putat eas esse scriptas post 150.[9]

S. Polycarpus Martyr, discipulus S. Ioannis Ap. et episcopus Smyrnensis. Exstat una eius epistola ad Philippenses, scripta graece ca. 107.[10]

Nota. Exstat etiam epistola ecclesiae Smyrnensis scripta an. 156 de martyrio S. Polycarpi, quod valde senex (86 annos) passus est Smyrnae an. 155.[11]

Papias (ca. 60-130), alius discipulus S. Ioannis Ap. et amicus S. Polycarpi, episcopus Hierapoli in Phrygia. Eius opus Λογίων κυριακῶν ἐξήγησις non iam exstat, sed habemus citationes ex eo apud S. Irenaeum et Eusebium.[12]

'Pastor Hermae' videtur esse scriptum Romae, ab Herma, fratre Pii I, ca. 150; exstant textus graecus et versiones antiquae.[13]

"Odae Salomonis" est liber graece scriptus a quodam Christiano

---

[7]RJ p. 5-11; HE I p. 322-4; Lebreton, Hist. II p. 249-255.

[8]RJ p. 11-13; HE I p. 345-7; II p. 123; Lebreton, Hist. II p. 332.

[9]RJ p. 13-22; Donovan, in Irish Eccl. Rec. 1922 p. 279-293; Walsh, ib. 1928 p. 337-351; HE I p. 329-334; Lebreton, Hist. II p. 282-4; Linton p. 14-17.

[10]RJ p. 24-5; HE I p. 339-342; JTS 1937 p. 267-270.

[11]RJ p. 25-7; HE I p. 342-4.

[12]Gächter p. 57-8.

[13]RJ p. 27-32; HE I p. 347-9; Lebreton, Hist. II p. 346-352.

ca. 100-150. Exstat versio syriaca, quam anno 1909 J. R. Harris invenit prope Tigrim.[14]

Cum hoc opere ne confundantur *"Psalmi Salomonis"*, scripti a Judaeis ca. 50 A. C.[15]

3. *Apologetae saec.* 2-3

Nota. Omittuntur Aristides, Tatianus, Athenagoras, Hermias. Hi enim philosophos egerunt potius quam historicos; unde eorum opera parum conferunt rei nostrae.

S. Justinus, "philosophus et martyr", conversus ex paganismo (ca. 130) cum videret constantiam martyrum christianorum. Mortuus est ca. 167. Exstant duae 'Apologiae' et celeber 'Dialogus cum Tryphone' Judaeo. Exstant etiam actus martyrii eius.[16]

S. Theophilus, episcopus Antiochenus, scripsit (ca. 180) librum 'Ad Autolycum', qui adhuc exstat; alii eius libri perierunt.[17]

Minucius Felix, causidicus romanus, qui tamen natus esse videtur in Africa. Exstat eius liber apologeticus 'Octavius' latine scriptus in forma dialogi (inter 160 et 248).[18]

4. *Alii scriptores saec.* 2-3

S. Hegesippus (post 150). Nullus ex eius libris exstat, sed Eusebius multa fragmenta servavit (in Hist. Eccl.).[19]

Clemens Alexandrinus (150-205), praeses scholae catecheticae Alexandriae. Tres eius libri adhuc exstant: Protrepticus, Paedagogus, Stromata; etiam exstant fragmenta libri 'Hypotyposes'.[20]

Origenes (185-254), successor Clementis in schola Alexandrina. Scripsit plurimos libros de rebus biblicis (commentarios, homilias), praesertim 'Hexapla'. Ad nostram rem spectant duo qui adhuc exstant: 'Contra Celsum' (Κατὰ Κέλσου) et 'De Principiis' (Περὶ ἀρχῶν).[21]

---

[14] Lagrange, J p. xxvii; LThK s.v. Oden Salomons.

[15] De his scriptis cf. Bardenhewer p. 15-38; CE s.vv.; W. J. Ferrar, The Early Christian Books (1919); K. Lake, The Apostolic Fathers (Loeb); J. B. Lightfoot, The Apostolic Fathers; Zarb p. 282-294; Zeller, Die apostolischen Väter.

[16] RJ p. 42-60; HE I p. 427-433; Lebreton, Hist. II p. 405-410.

[17] RJ p. 70-77; HE I p. 457-8; Lebreton, Hist. II p. 506-8.

[18] RJ p. 107-8; HE I p. 458-461. Quoad 'Epistolam ad Diognetum', cf. RJ p. 34-7; Bardenhewer p. 68; LThK s.v. Diognet; HE II p. 426-7; Rauschen, in Bibl. der Kirchenväter, vol. 12; R. H. Connolly, in JTS 1935 p. 347-353.

[19] RJ p. 78.

[20] RJ p. 146-163; HE II p. 228-248.

[21] RJ p. 163-197; HE II p. 249-294.

S. Irenaeus (140-202), discipulus S. Polycarpi et episcopus Lugdunensis (Lyons) in Gallia. Eius opus celebre est 'Adversus haereses'; exstant tantum fragmenta textus graeci (originalis), sed habemus versionem latinam fere literalem totius libri. Nuper inventa est versio armeniaca alterius libri Ἐπίδειξις.[22]

Tertullianus (160-230), natus Carthagine, sed educatus Romae. Conversus est ad fidem christianam ca. 195 ac dein multa opera apologetica scripsit, praesertim 'De praescriptione haereticorum', 'Adversus Marcionem' etc. At ca. 202 factus est montanista et scriptis impugnavit Ecclesiam.[23]

S. Cyprianus, natus Carthagine ca. 210, conversus ad fidem christianam ca. 245, factus episcopus Carthaginis anno 249, martyrium passus est anno 258. Exstant 59 epistolae et multa opera latine scripta, inter quae mentione digna sunt: Ad Fortunatum, De Lapsis, De unitate Catholicae Ecclesiae.[24]

5. Duo Documenta eiusdem aetatis

'Prologus monarchianus' est rudimentalis introductio in singula evangelia, quae continetur in aliquibus codicibus latinis. Vocatur 'monarchianus' quia redolet errorem monarchianorum. Videtur esse compositus saec. 3 vel 4, sed continet elementa multo antiquiora.[25]

'Fragmentum Muratorianum' est documentum perantiquum inventum saec. 18 a Muratori in bibliotheca Mediolanensi (Milan). Est summi momenti in re nostra. Nam continet catalogum librorum N. T. quos Ecclesia Romana saec. 2 aut recipiebat ut sacros aut reiciebat. Lingua originalis videtur fuisse graeca; sed exstat sola versio latina (sat misera).[26]

6. *Scriptores Judaei*

Philo "Judaeus" (mortuus ca. 40 A.D.) . Eius opera vix quidquam continent de re nostra.

Flavius Josephus (37-101) hebraice scripsit "De Bello Judaico" (ca. 79) ac postea vertit in graecum (Περὶ τοῦ Ἰουδαικοῦ πολέμου).

---

[22]RJ p. 79-104; HE II p. 43-64; Lebreton, Hist. II p. 517-526.

[23]RJ p. 109-138; HE II p. 161-185.

[24]RJ p. 199-212; HE II p. 186-210.

[25]LThK s.v. Prologe; Lagrange, L p. xiii-xviii; Zarb p. 362-8; Rosadini I p. 107; Höpfl-Gut p. 7-8.

[26]LThK s.v. Muratorisches Fragment; textum habes apud RJ p. 105-7; Merk p. 1017-1024; Pesch I n. 85; Gächter p. 8*-10*.

Graece scriptae sunt "Antiquitates Judaicae" (ca. 94), i.e. historia populi Israel a creatione mundi ad 66 A.D. "Autobiographia" est appendix ad "Antiquitates", quo se defendit apud Romanos (ca. 95); "Contra Apionem" scriptum est ca. 98 ut defenderet "Antiquitates".[27]

Libri *apocalyptici,* qui scripti et vulgati sunt apud Judaeos ab 160 A.C. ad 120 A.D. Eorum praecipui sunt: Liber Henoch, Liber Jubilaeorum, Assumptio Moysis, Oracula Sibyllina, Apocalypsis Baruch, 4 Esdrae etc.[28]

7. *Scriptores haeretici*

Praecipui haeretici saec. 2 sunt Basilides, Valentinus, Carpocrates, Marcion. Eorum scripta quidem perierunt, sed partim saltem reconstrui poterant ex operibus Patrum qui eos refutaverunt, interdum de verbo ad verbum. Sic Harnack, in suo libro 'Marcion' (1921), reconstruxit opus Marcionis ex libris Apologetarum et Tertulliani.[29]

8. *Scriptores pagani*

Ex paganis religionem christianam adgressi sunt: *Celsus,* qui scripsit (ca. 178) Λόγος ἀληθής, *Hierocles* in sua vita Apollonii (ca. 210), *Porphyrius* (232-303), qui scripsit 15 libros Κατὰ Χριστιανῶν. Etiam horum opera deperdita sunt, sed v.g. Th. Keim reconstruxit fere totum opus Celsi ex 8 libris Origenis 'Contra Celsum'. Harnack univit fragmenta quae supersunt ex Porphyrio.[30]

His addi potest *Julianus* "Apostata", imperator Romanus, qui scripsit (362) librum Κατὰ Γαλιλαίων contra religionem christianam. Liber ipse periit, sed habemus fragmenta in operibus S. Cyrilli Alexandrini.[31]

9. Mentione hic digni sunt duo scriptores posteriores, qui tamen ab omnibus dicuntur esse maxime *periti* in hac re.

Eusebius (265-340), episcopus Caesareae in Palaestina. Vocatur "parens historiae ecclesiasticae". Exstant duo opera apologetica ('Praeparatio evangelica' et 'Demonstratio evangelica') et opus

[27]Quae sit eius auctoritas historica, cf. Schürer I 1 p. 77-110; CE s.v. Josephus; Bonsirven I p. xi-xii; Ricciotti, in VD 1938 p. 27-30; Jacquier, Actes p. ccxxxiii; Bernstein, Fl. Josephus (1938).

[28]Bonsirven I p. xviii-xxii, 419-464; Kohler p. 382-5; Moore II p. 323-395; Lagrange, Le Mess. p. 37-135; idem, Le Jud. p. 108-136, 237-266.

[29]Lebreton, Hist. II p. 94-131.

[30]Grandmaison II p. 239-246; HE I p. 421; II p. 220-3.

[31]Grandmaison II p. 246-251; HE III p. 198-201.

historicum ('Chronica'). Sed celeberrimum eius opus est *Historia ecclesiastica* (Ἐκκλησιαστικὴ ἱστορία), in qua descripsit historiam Ecclesiae ab initio usque ad victoriam Constantini (313), dein usque ad cladem Licinii (323). De ea iudicat Bardenhewer (p. 247): "The Ecclesiastical History is a very rich collection of historical facts, documents and excerpts from a multitude of writings belonging to the golden youth of the Christian Church. The value of these materials is beyond calculation. . . . It is a 'source-book' in the fullest sense of the word".

S. Hieronymus (340-420), Doctor magnus Ecclesiae. Ex pluribus eius libris nostra interest is qui inscribitur *"De viris illustribus"* (392). In eo breviter narrantur vitae scriptorum qui "de scripturis sanctis aliquid memoria tradiderunt". De eo iudicat Bardenhewer (p. 7): "For more than a thousand years, this little book of the Hermit of Bethlehem served as a basis of all later efforts to produce a history of theological literature. All later compilers linked their work to his".

ARTICULUS 3

GENUINITAS EVANGELIORUM

1. Liber dicitur *genuinus* si scriptus est ab eo cuius nomen prae se fert, seu cui generatim tribuitur. Si liber non est auctoris cui generatim adscribitur, dicitur *spurius* seu *supposititius*.

Tria notanda:

a. Loco vocis 'genuinitas', alii adhibent voces 'authentia', 'authenticitas', 'historicitas'. Usus non est constans.

b. Ubi quaestio est de genuinitate libri, agi potest vel de autographo (originali) vel de apographo seu 'copia' (copy) vel de versione (translatione). Solum autographum est *formaliter* genuinum; apographa et versiones dicuntur *aequivalenter* genuina. "Textus originalis" est vel autographum vel apographum.

c. Sensu latiore, liber interdum dicitur genuinus si saltem *ea aetate* scriptus est cui generatim tribuitur.

2. Liber dicitur *integer* (incorruptus, authenticus) si exstat talis qualis prodiit ab auctore, seu si "textus" quem habemus, est vel autographum vel conformis autographo. Liber dicitur *corruptus* si manu aliena mutatus est.

Nota. Quadrupliciter liber corrumpitur: a) si ei aliquid additur (interpolatio); b) si ei aliquid demitur (mutilatio); c) si unum pro alio ponitur (substitutio); d) si aliquid ex uno loco transfertur in alium (transpositio, inversio).

Porro liber dicitur *substantialiter* integer a) materialiter, si est talis qualis prodiit ab auctore quoad maximam partem; b) formaliter, si est talis quoad indolem propriam, i.e. quoad finem quem auctor sibi proposuit, quoad dispositionem materiae, quoad stilum etc.—Liber dicitur *absolute* ('accidentaliter') integer, si est talis qualis prodiit ab auctore etiam quoad res minimas.

Thesis 7

Quattuor nostra Evangelia exstiterunt et pervulgata erant circa annum 100 substantialiter eadem ac nunc sunt.

Cf. Holzmeister p. 46-54, 79-82; Höpfl-Gut p. 42-6, 74-78, 105-8, 212; Langan p. 81-93; Merk p. 656-8, 676-8, 766-8; Muncunill I p. 203-8; Rosadini I p. 74-7, 123-8, 147-151, 172-8, 257-263; Ruffini p. 44-58, 77-90, 118-139, 304-313.

Haec thesis, quae vult probare *genuinitatem latiorem* evangeliorum et integritatem correspondentem, necessaria est non propter se, sed ad plene stabiliendam thesim 9.

1. Loquimur de *genuinitate aequivalente* evangeliorum. De facto enim non iam exstant eorum autographa. Editiones hodiernae (sicut et codices antiquissimi) sunt apographa vel versiones.

Nota. In libris S. Scripturae distinguenda sunt tria: genuinitas, inspiratio, canonicitas. *Genuinitas* refert ad auctorem humanum (hagiographum), *inspiratio* ad Deum auctorem principalem. *Canonicitas* refert ad finem operantis Dei; liber inspiratus enim est canonicus si Deus eum tradidit Ecclesiae ut inspiratum (D 1787). De inspiratione et canonicitate evangeliorum agemus in altero tractatu.

2. *Circa annum 100*

Hunc terminum non prorsus eodem modo intellegimus quoad omnia 4 evangelia. Scil. a) asserimus evangelia synoptica exstitisse (in lucem edita esse) sat diu ante 100, et anno 100 iam esse late diffusa; sed b) asserimus J exstitisse saltem mox post 100 (S. Clemens illud nondum novisse videtur), ac dein pervulgatum esse.

Nota. Nihil dicimus a) num ipsi auctores intenderint ut evangelia sua in lucem ederentur seu iuris publici fierent, b) utrum evangelia casu multiplicata sint an ope scribarum peritorum in officinis.[1]

Thesis est historice et critice *certa*. Dogmatice distinguendum est: 4 nostra evangelia exstitisse aetate apostolica substantialiter talia qualia sunt in Vulgata latina, est saltem *theologice certa;* nam qua inspirata et canonica pertinent ad depositum fidei (thes. 51); atqui depositum fidei clausum est cum Apostolis (thes. 37).—Dogmatice nihil habemus de pervulgatione evangeliorum.

---

[1]Gächter p. 4-5; Goodspeed, Some Chapters etc. p. 6-12.

Adversarii

1. *David Friedrich Strauss* (1808-1874) proposuit theoriam *mythorum*. Secundum eum, Iesus erat merus homo, sed discipuli eum prosequebantur summa veneratione; hinc (ut saepe fit) post eius mortem tristem in cruce, eum *idealizaverunt,* scil. ei adscribendo omnia mira quae in V.T. legebant de futuro Messia, aliasque legendas, mythos, fabulas. Quae omnia prius exsistebant in traditione orali discipulorum et primorum Christianorum, sed tandem scriptis consignata sunt et nunc exstant in 4 nostris evangeliis.[2]

Hinc Strauss logice coactus est assignare compositionem evangeliorum *medio saec.* 2. Seclusa enim fraude praemeditata (quam Strauss reicit) longius tempus requiritur ut legendae ac mythi formentur circa personam historicam et ubique spargantur.

2. *Friedrich Christian Baur* (1792-1860) et *"schola Tübingensis"* hanc theoriam tenuerunt: Mortuo Iesu, orta est controversia inter primos Christianos; Petrus enim retinere voluit ritus antiquos mosaicos, Paulus autem praedicavit eorum abolitionem. Unde ortae sunt duae *factiones*: Petrina et Paulina. Controversia percurrit tria stadia (secundum schema Hegelianum): in primo stadio praevaluit Petrinismus, in secundo Paulinismus, in tertio demum duae factiones conciliatae sunt, cum iam appareret hostis communis, scil. gnosticismus.

Secundum Baur igitur omnes libri N.T. scripti sunt sub influxu huius controversiae ac proinde sunt "Tendenzschriften". Speciatim asserit Mt scriptum esse ca. 130, Mc, L, J ca. 170.[3]

3. Hodie *P. L. Couchoud* adhuc tenet 4 evangelia nostra scripta esse ca. 135-142.[4]

Thesim probamus per 2 partes:

1. 4 evangelia iam exstiterunt et pervulgata erant ca. 100.
2. Textus (graecus) hodiernus evangeliorum substantialiter conformis est evangeliis tunc exsistentibus.

Nota. Non negamus aliquos (immo multos) locos particulares esse absolute integros; id tamen non probamus.

---

[2]Felder, Christ etc. I p. 71-4.

[3]Hettinger, Revealed Rel. p. 187-203; Fillion, Les étapes etc. p. 95-110; Rosadini I p. 186-7.

[4]Hibbert Journal, Jan. 1939 p. 211.

Prima pars probatur

Arg. 1 (*Ex testimoniis externis*)

Si multi scriptores ex fine saec. 1 vel ex initio ac medio saec. 2 *citant* (saltem tacite) 4 nostra evangelia vel ad ea *alludunt* vel ea *supponunt,* haec iam exstiterunt et pervulgata erant circa 100.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Prob. min.

1. Quoad evangelia *synoptica*:

a. In "*Patribus apostolicis*" leguntur plurimae citationes (tacitae) vel allusiones ad synoptica.[5]

b. *S. Justinus M.* toties in suis libris allegat dicta evangelica ut omnes hodie fateantur eum novisse saltem synoptica; sic affert 175 locos ex Mt, et alia multa quae leguntur in solo Mc vel L.[6] Obiciunt quidem aliqui S. Justinum non referre ad evangelia nostra, sed ad apocrypha, quia eius verba non exacte concordent cum textu nostro. At facilis est responsio duplex: a) In codicibus qui praesto erant S. Justino, adesse poterant "lectiones variantes"; b) Patres solebant citare ex memoria, etiam ubi citabant libros sacros.[7]

c. *Haeretici* qui scripserunt initio saec. 2, usi sunt synopticis, licet ea mutaverint pro suis placitis.[8]

2. Quoad evangelium *quartum*:

a. Nuper inventum est fragmentum parvum ex *J* 18, quod iuxta peritos scriptum est ca. 120, "a conclusive refutation of those who would bring the fourth Gospel far down in the second century" (Kenyon, ib. p. 195).

b. *S. Ignatius M.* saltem ad 6 locos evangelii quarti alludit.[9]

c. Teste Eusebio, *Papias* "utitur testimoniis ex prima epistola Ioannis"; atqui haec epistola est quasi introductio ad evangelium.

d. *S. Justinus M.* habet allusiones multas et manifestas ad J, atque semel illud citat ad verbum. Ipsi Loisy et Streeter dicunt eius doctrinam de Logo haustam esse ex J.[10]

e. *Odae Salomonis* abundant verbis, sententiis, locutionibus quae in solo J leguntur.[11]

---

[5]Ruffini p. 23, 65, 99.
[6]Ruffini p. 22, 64, 99.
[7]Pesch I n. 89; Dorsch I p. 555; Milligan p. 49.
[8]Ruffini p. 22; Holzmeister p. 18.
[9]Holzmeister p. 71; Rosadini I p. 224 b; Lagrange, J p. xxv-xxvii.
[10]Pesch I p. 55; Rosadini I p. 225.
[11]Rosadini I p. 225; Lagrange, J p. xxviii.

f. Etiam *haeretici* saec. 2 usi sunt hoc evangelio.[12] Speciatim ex Alogis sic arguere licet: Alogi adscripserunt J Cerintho; atqui Cerinthus vixit in fine saec. 1.

3. Evangelia *apocrypha* erant imitationes evangeliorum nostrorum. Atqui aliquae ex eis iam exstabant medio saec. 2; v.g. fragmenta evangelii ignoti nuper inventa (edita a Bell et Skeat 1935), quae scripta esse putantur ca. 160. Unde infert Kenyon: "The papyrus becomes an additional proof of the first century date of all Gospels, including the fourth, which at one time was hotly contested" (Text of the Greek Bible p. 195).

Nota. Ex omnibus his testimoniis etiam patet magna *pervulgatio* evangeliorum. Testes adducti pro eorum exsistentia enim scripserunt in locis valde dissitis. Speciatim quoad J: Fragmentum ex J 18 scriptum esse creditur in medio Aegypto; id quod supponit celerem propagationem huius evangelii.

Arg. 2 (*Ex rationibus internis*)

1. Quoad evangelia *synoptica*

Eventus qui in eis narrantur, occurrerunt ante vel circa *annum 30.* Nihilominus a) notitia rerum illius aetatis est *exacta,* neque tamen b) auctores *probant* suam notitiam esse exactam.

Atqui improbabile est ut auctor sic scripserit diu post 100.

Ergo evangelia synoptica scripta sunt ante 100.

Prob. M.

a. Examen minutissimum tria patefecit: a) Nullus unquam demonstratus est error in evangeliis synopticis, etiam quoad res minimas. b) In quantum examen positivum (control) fieri poterat, accurata inventa sunt adiuncta historica, geographia locorum, descriptio status politici Palaestinae, et vitae religiosae ac socialis Judaeorum illius aetatis. Immo c) quo plura documenta et monumenta illius aetatis reperiuntur, eo magis confirmatur exactitudo notitiae.[13]

b. Nihilominus haec omnia non probantur neque generatim explicantur, sed supponuntur esse *nota lectoribus.*

Prob. min. Post annum 70 omnia in Palaestina *funditus mutata* sunt. Hinc iis qui diu post 70 vixerunt (praesertim si non scrip-

---

[12]Holzmeister p. 72.

[13]Merk p. 720-1; Arendzen, The Gospels p. 17-21; idem, Prophets etc. p. 41-57; Grandmaison I p. 176-181; Huby p. 193-203; Ruffini p. 206-222; Knabenbauer, L p. 106-118; Lagrange, Mc p. cxxvi-cxlii; Allo, in RB 1928 p. 37-62, 198-220.

serunt nisi medio saec. 2, difficile erat accurate reconstruere epocham initii saec. 1; saltem non poterant hanc notitiam supponere apud suos lectores.[14]

2. Speciatim quoad *Mt*

Ex tribus apparet Mt scriptum esse in primo saeculo. a) Lingua est quidem graeca, sed talis ut pateat auctorem *cogitare semitice;* nam non tantum phrases, conexiones sententiarum, constructiones verborum sunt coloris semitici, sed quaedam dicta vix intelleguntur nisi reducantur in linguam semiticam. Atqui talis erat lingua Ecclesiae infantis; post 100 Christiani scripserunt graecum magis idiomaticum. b) Separatio Christianorum a Judaeis et abolitio legis mosaicae ne insinuantur quidem; immo Christus inducitur dicens: "Non veni solvere legem aut prophetas" (Mt 5, 17); talia scripta sunt ante controversiam inter Paulum et Judaizantes, quae vigebat ca. 50. c) Auctor pertinet ad societatem Judaeorum qualis existebat ante 70, eamque supponit notam lectoribus; neque ulla allusio fit ad mutationem radicalem eius iam factam vel mox futuram.[15]

3. Quoad *J*

Lector huius evangelii facile concludit auctorem fuisse testem oculatum; atqui testis oculatus eventuum vitae Iesu vix superstes erat diu post 100.[16]

Dices: Obiectiones quas Judaei urgent in J, non sunt coaevorum Iesu, sed *Ecclesiae saec.* 2. Ita Holtzmann.

R. *N.* a) Judaei multa obiciunt in J quae naturaliter obicere debuerunt cuilibet qui se diceret Messiam; v.g. "Nonne hic est Iesus filius Joseph?" (J 6, 42; cf. J 7, 27). b) Saec. 2 Judaei multa absurde dixissent; v.g. "Nemini servivimus unquam; quomodo tu dicis: liberi eritis?" (J 8, 33). —Nihil autem obstat quin auctor respexerit ea quae tempore compositionis libri (i.e. exeunte saec. 1) Judaei obiciebant, eaque refutaverit ipsis dictis Iesu; v. g. 6, 42.[17]

Secunda pars probatur

Arg. 1 (*Ex scriptis primorum saeculorum*)[18]

a. Ex saec. 4 et 5 habemus a) antiquissimos *codices* graecos (cf. infra p. 124-5, b) magnos *commentarios* in quibus Patres interpretati sunt tota evangelia (ad Mt: S. Chrysostomus, S. Cyrillus Alex.; ad Mc: Victor Ant., S. Hieronymus; ad L: S. Cyrillus

---

[14] Headlam, Life etc. p. 33-37.—Eodem argumento valde probabile fit evangelia synoptica scripta esse ante 70. Cf. infra p. 119.

[15] Falcon p. 171-4.

[16] Grandmaison I p. 170; Lagrange J p. cxxi-cxxxiv.

[17] Knabenbauer, J p. 53-4.

[18] Argumentum hoc fit modo retrogrado per 3 stadia temporis, et deducitur conclusio generalis.

Alex., S. Ambrosius, S. Gregorius M.; ad J: S. Chrysostomus, S. Augustinus), c) *Vulgatam latinam* a S. Hieronymo confectam, d) innumeras *citationes* Patrum. Atqui 4 nostra evangelia concordant cum his omnibus, saltem quoad substantiam. Ergo absolute certum est 4 nostra evangelia esse substantialiter eadem ac fuerunt ineunte saec. 4.

b. Ex saec. 3 habemus a) *Chester Beatty papyrus,* b) magnum *commentarium* Origenis in Mt, c) multas *citationes* Patrum. Atqui haec omnia substantialiter inter se concordant et cum 4 nostris evangeliis. Ergo 4 nostra evangelia substantialiter concordant cum evangeliis prout exstabant ineunte saec. 3.

c. Ex saec. 2 habemus a) *Italam* seu versionem veterem latinam, b) *citationes* Patrum. Speciatim c) ex opere *Marcionis* constat fere ad verbum qualis fuerit textus L medio saec. 2. Atqui iterum habetur conformitas substantialis. Ergo dubium non est quin 4 nostra evangelia prout hodie leguntur, sint substantialiter conformia evangeliis prout exstabant initio saec. 2.

d. Tandem documenta allata per 3 stadia sunt *independentia* ab invicem. Ergo (conclusio totius argumenti) si reicitur tale testimonium (scil. tot testium independentium) pro substantiali integritate 4 nostrorum evangeliorum, sequitur skepticismus historicus.[19]

Arg. 2 (*Ex auctoritate criticorum*)

Si critici hodierni tantum dubitant de integritate paucorum locorum in 4 evangeliis, textus noster est substantialiter integer.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Prob. M. a) Per 'criticos hodiernos' non intellegimus eos qui vocantur 'critici altiores' (higher critics) atque fere sunt rationalistae, sed eos qui inde ab initio saec. 19 incumbunt *criticae textuali* N. T. et sequuntur principia sana huius scientiae (supra p. 82).— b) Horum *consensus* autem est argumentum validum. Nam hi critici sunt multi, Catholici et non-Catholici, ex diversis nationibus, et sequuntur methodos diversas. Labor eorum est quidem arduus, sed non nimis difficilis. Exitus laboris uniuscuiusque critici autem subiacet examini ceterorum; unde defectus (voluntarii vel involuntarii) mox patefiunt.

---

[19]Ex hoc argumento patet documentationem pro textu 4 evangeliorum esse multo meliorem quam pro operibus "classicis". Antiquissimum manuscriptum Vergilii est ex saec. 4 vel 5, Horatii ex saec. 8, Caesaris et Platonis ex saec. 9, Herodoti ex saec. 10.

Prob. min. Omnes de facto ediderunt textum 4 evangeliorum *substantialiter eundem.* Immo consensus hodie multo maior est quam cum Lachmann coepit initio saec. 19. Sir Frederic Kenyon, loquens praesertim de evangeliis, sic concludit librum "The Story of the Bible" (1937): "The general result of all these discoveries and all this study is to strengthen the proof of the authenticity of the Scriptures, and our conviction that we have in our hands, in substantial integrity, the veritable Word of God."[20]

Cor. 1. Ergo non licet reicere textum 4 evangeliorum hodie communi consensu receptum. Ei qui discedit ab hoc consensu, incumbit onus probandi.

Cor. 2. Ergo prudenter timendum non est ne forte manuscripta in posterum invenienda contineant 4 evangelia nostra in forma substantialiter alia.

Obiectiones

1. Textus qui continet plures *lectiones variantes* quam voces, nequit dici substantialiter integer. Atqui voces N.T. numerantur vix 150,000, lectiones variantes autem fere 200,000.

R. Duo responderi possunt: a) Maxima pars (7/8) lectionum variantium N.T. respiciunt tantum orthographiam vel ordinem verborum, vel substitutionem unius synonymi pro alio etc. b) Ex iis lectionibus quae sensum aliquomodo afficiunt (i.e. fere 200 pro toto N.T.), non paucae sunt evidenter erroneae.[21]

2. *S. Hieronymus* haec dicit de textu evangeliorum: "Magnus hic in nostris codicibus error inolevit. . . . Unde accidit ut apud nos mixta sint omnia" (Praef. ad Damasum; apud Nestle p. xiii).

R. *N. supp.* S. Hieronymus loquitur de versione latina et de variis 'concordantiis'; nos loquimur de textu graeco, quem S. Hieronymus supposuit absolute integrum.[22]

3. Textus graecus L exstat in duplici forma: *orientali* et *occidentali,* quae substantialiter inter se differunt. Nam forma occidentalis habet et additiones (3, 22; 5, 10; 5, 14; 6, 4; 9, 55 etc.) et omissiones (22, 19-20; 23, 42-3).

R. Loquimur de forma *orientali,* quae hodie communi consensu recipitur. Sed fere omnes additiones et omissiones textus occidentalis nullius momenti sunt.[23]

4. Dantur textus *"harmonizantes",* i.e. interpolati vel mutati in uno evangelio ut concordarent cum textu in alio vel aliis; v.g. Mt 17, 21 et Mc 9, 29; J 6, 29 et Mt 16, 16.

R. *Dist.* multi *N.* relative paucissimi *Tr.*[24]

---

[20]H. Pope, in Dublin Review 1937 p. 372; F. X. Pierce, in EcclR 1938 I p. 81; Vaccari, in IB p. 255-6.

[21]Quoad lectiones variantes in 4 evangeliis, cf. infra Art. 4.

[22]Rosadini I p. 77; Muncunill I p. 207.

[23]Lagrange, L p. clii-cliv; Kenyon, The Text of the Greek Bible p. 219-224.

[24]Quoad "Pater noster" (Mt 6, 9-13 et L 11, 2-4) cf. Knabenbauer, L p. 359, 361-2.

THESIS 8

Quattuor nostra Evangelia sunt stricte genuina

Cf. Arendzen, The Gospels p. 1-88; Brunsmann-Preuss II p. 203-222; CE s.vv. Matthew, Mark, Luke, John; Dausch p. 6-7, 13-15, 19-21; Donovan, The Authorship etc.; Felder, Christ etc. I p. 26-44; Holzmeister p. 17-25; Höpfl-Gut p. 30-6, 66-74, 97-105, 194-208; Knabenbauer, Mt I p. 4-9; idem, Mc p. 3-10; idem, L p. 6-15; idem, J p. 9-50; Lagrange, Mt p. vi-xix; idem, Mc p. xvi-lviii; idem L p. viii-xxvii; idem, J. p. xiii-lxvi; Langan p. 55-80; Lepin p. 5-29; Merk p. 624-9; Pesch I n. 72-100; Rosadini I p. 102-110, 133-142, 155-162, 219-241; Ruffini p. 17-30, 63-70, 96-110, 271-300; Simón I p. 17-23, 35-40, 50-3, 79-83; Tillmann p. 12-22.

Thesis haec, si non absolute necessaria, est saltem valde utilis ad scopum Apologeticae scientificae. Cf. arg. 1 thesis 9.

Evangelia nostra sunt stricte genuina si habent eos *auctores* quibus generatim tribuuntur.

Asserimus igitur a) auctorem primi evangelii esse *Matthaeum Apostolum,* b) secundi *Marcum* quem traditio antiqua fert fuisse *socium et interpretem Petri Apostoli,* c) tertii *Lucam, socium S. Pauli* in eius itineribus, d) quarti *Ioannem Apostolum.* His enim 4 evangelia communiter tribuebantur usque ad adventum rationalistarum.

Thesis est historice *certa.* Dogmatice: Thesis non est definita a Conc. Trid. (D 784), sed potest dici *certa et communis,* scil. ex consensu Patrum et Theologorum (cf. D 2100); concordat etiam cum decisionibus Commissionis biblicae: D 2110, 2111, 2148, 2151, 2155.

ADVERSARII

1. Saec. 2 *Marcion* putavit Mt et J falso tribui his Apostolis, cum nimis faveant Judaeis.—Postea *Alogi* (praesertim *Caius,* presbyter romanus) tribuerunt J Cerintho, scil. ut melius refutarent Montanistas.[1]

2. Sufficiat hic commemorare duas opiniones saec. 19, scil. a *Strauss* et *Baur* propositas (cf. supra p. 100). Ob suas theorias enim hi non tantum logice negare debuerunt genuinitatem strictam 4 evangeliorum, sed eam de facto negaverunt.

---

[1]Bardenhewer p. 124, 214; Ruffini p. 279, 287-8; Huby p. 164-5; Grandmaison I p. 80, 134-5.—Alogorum testimonium maximi fit ab Harnack contra genuinitatem J; at si tanti sit, cur Harnack non tribuit J Cerintho, sed Ioanni "presbytero"?

3. *Opiniones criticorum hodiernorum*

a. Quoad *Mt.* Opinio fere communis inter criticos non-Catholicos haec est: Mt originarie scriptum est graece, et quidem non a Matthaeo Apostolo, sed a *redactore ignoto*, qui illud compilavit ex Mc et Q.

Nota. Secundum eosdem, Matthaeus Apostolus scripsit quidem (lingua semitica) opus aliquod, scil. Λόγια κυριακά quod commemoratur a Papia (cf. probationem). Sed hoc opus periit, et hodie a multis criticis quaeritur sub nomine Q (Quelle vel Query).[2]

b. Quoad *Mc.* Generatim dici potest criticos concedere Mc esse scriptum a Marco, socio Petri. Sic dicit Cadoux (p. 333): "Criticism has no quarrel with the traditional view as to the authorship of Mark".

Tres aliae opiniones tamen mentione dignae sunt: a) Schmiedel putavit Mc scriptum esse ab auctore ignoto, qui usus sit documento scripto a Marco; hoc documentum ("Ur-Markus") perisse putatur, atque multum sudatur in eo restaurando. b) Secundum G. A. Barton (Apost. Age p. 63), Marcus, socius Petri, scripsit Mc, sed illud bis edidit: prius brevius (Urmarkus), dein longius (nostrum Mc). c) Secundum 'Form Criticism', Mc est compilatio anonyma ex multis documentis anonymis.[3]

c. Quoad *L.* Hoc esse opus Lucae, socii Pauli, olim etiam negabatur a rationalistis, hodie tamen critici generatim accipiunt veterem traditionem hac de re.

d. Quoad *J.* Ioannem Apostolum *non* esse auctorem J, est opinio fere communis inter criticos modernos. Quis autem fuerit eius auctor, inter eosdem non convenit, atque tot fere sunt opiniones quot pennae. Enumeremus praecipuas: a) Harnack, B. W. Bacon, G. A. Barton etc.: Auctor est *"Ioannes presbyter"*, discipulus Ioannis Apostoli; b) von Dobschütz: Auctor est *"Ioannes ephesinus"*, qui tamen non est idem ac Ioannes Apostolus; c) Delff, Swete, Charles, Burney: Auctor est *"discipulus Domini"*, sed non Ioannes Apostolus. d) Wellhausen, Briggs: J est mera *compilatio* ex documentis antiquioribus; quis autem fuerit hic compilator, non constat.[4]

---

[2]Höpfl-Gut p. 33-34; Milligan p. 123-6; Clergy Review 1935 p. 146; Exp. Times, May 1939 p. 379.

[3]R. H. Lightfoot, Hist. etc. p. 34-56.

[4]supra p. 86; Donovan p. 177-190; Rosadini I p. 22-5, 234; Lagrange, J p. xv-xvi.

Breviter opinionem suam et criticorum de genuinitate stricta evangeliorum sic enuntiat Streeter (The Four Gospels p. 562): "The burden of proof is on those who would assert the traditional authorship of Matthew and John, and on those who would deny it in the case of Mark and Luke".

Thesis probatur

Nota. Duo sunt argumenta, quae cum sint *independentia,* se invicem confirmant ac proinde iure sumuntur ut unum.

Arg. 1. (*Ex testimoniis externis*)

Evangelia 4 nostra sunt stricte genuina, si a) traditio christiana antiquissima id firmiter testatur, et si b) nulla argumenta valida proferuntur in contrarium.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Ad M. a) *Traditio christiana* hic non intellegitur dogmatica (de qua in altero tractatu), sed historica et humana; potuit esse scripta vel oralis. b) Traditionem *antiquissimam* dicimus eam quae proxime accedit ad tempus quo primo constat evangelia exstitisse (i.e. ca. 100). c) Traditio est *firma* si nullus testis manifestat dubium de re tradita, aut ostendi potest eum duci praeiudiciis.—Cum autem traditiones antiquae interdum eversae sint per accuratius studium documentorum vel per nova documenta inventa, addimus alterum punctum, scil. de *invaliditate* argumentorum quae contra thesim proferuntur a criticis hodiernis.

Prob. M. a) Testes tales, cum essent *proximi* rei narratae, per se eam facilius cognoscere poterant quam ii qui vixerunt diu postea; et cum essent *Christiani,* per se eam facilius cognoscere poterant quam Judaei vel pagani. b) Si haec traditio esset mera fictio, inexplicabilis esset absentia omnis dubii vel disputationis. Testes enim non poterant apud se non quaerere cur synoptica tribuantur viris relative *obscuris.* Sane Matthaeus non eminebat inter Apostolos, neque Marcus inter primos Christianos, neque Lucas inter socios Pauli. Ex altera parte, uti constat ex evangeliis apocryphis, tunc potius vigebat usus adscribendi libros viris celebribus.

Prob. min.

1. *Tituli*

Non dicimus titulos (graecos) 4 nostrorum evangeliorum appositos esse ab ipsis auctoribus. Evangelistae, cum vellent scribere

historiam, sequebantur morem orientalem, secundum quem historici nomen suum tacere solebant. At tituli evangeliorum fere ascendunt ad *tempus apostolicum,* et additi putantur initio saec. 2.[5] Tituli graeci tamen nihil continent nisi *nomina* auctorum; non dicitur qui fuerint.

Dices: Tituli graeci potius indicant evangelia scripta esse ab aliis, licet *secundum* (κατά) modum quo hi solebant narrare vitam Christi. Ita olim Faustus (saec. 4), hodie Supern. Rel. III p. 37-39.

R. *N.* Praepositio κατά potest utique habere sensum latiorem, sed potest etiam significare verum auctorem, cum in lingua classica tum alias. Dubium autem non est quin in titulis evangeliorum κατά significet *auctorem,* non merum narratorem vel testem vel redactorem. Nam a) ita praepositionem intellexit tota antiquitas, nominatim Patres graeci; b) si κατά significaret merum testem, cur titulus Mc non est Κατὰ Πέτρον?[6]

2. *Papias*

a. Secundum Eusebium (Hist. Eccl. III 39, 15), Papias narrat in suo libro quomodo orta sunt *Mt* et *Mc*: "Aiebat etiam presbyter ille: Marcus, Petri interpres (ἑρμηνευτής), quaecunque memoriae mandaverat, diligenter perscripsit (non tamen ordine—οὐ μέντοι τάξει) quae a Domino aut dicta aut gesta fuerint. Neque enim ipse Dominum audierat aut sectatus fuerat unquam. Sed cum Petro, ut dixi, postea versatus est, qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini (κυριακῶν λογίων) historiam contexeret, evangelium praedicabat. Quocirca nihil peccavit Marcus, qui nonnulla ita scripsit (ἔνια γράψας) prout ipse memoria repetebat. Id quippe unum studebat ut ne quid eorum quae audierat, praetermitteret, aut ne quid falsi eis affingeret.—Haec de Marco narrat Papias. De Matthaeo vero sic habebat: Matthaeus quidem, inquit, hebraico sermone divina scripsit oracula (τὰ λόγια); interpretatus est autem unusquisque illa prout potuit".[7]

b. Duo notanda ad hoc testimonium: a) Manet quidem dubium de sententia introductoria: "Aiebat etiam presbyter ille". Suntne haec verba Eusebii an Papiae? et si sunt Papiae, quis fuit "presbyter ille"? Aliqui putant fuisse Ioannem Apostolum. Sed dubia haec vix afficiunt ipsum testimonium. Secundum Papiam igitur, *Marcus* evangelista fuit *interpres Petri,* saltem quatenus scribere voluit eius catechesim.—Quis fuerit *Matthaeus* evangelista, non

---

[5]Ruffini p. 364; CE s.v. Gospel and Gospels; Jean p. 204; Lagrange, J p. xix.

[6]Joüon p. 1; Ruffini p. 18-20; Rosadini I p. 108-9.

[7]RJ p. 33.

dicitur; Eusebius tamen non dubitavit quin Papias loqueretur de Matthaeo *Apostolo*.—b) *Valor historicus* huius testimonii: Omnibus fatentibus, Eusebius ipsum librum Papiae prae manibus habuit cum haec scriberet; ergo vix erravit in citando. Papias autem asserit se diligenter collegisse suam notitiam; scribit enim: "Quodsi quis interdum mihi occurrebat qui cum senioribus (πρεσβυτέροις) versatus fuisset, dicta seniorum exquirebam: quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Ioannes, quid Matthaeus, quid ceteri discipuli Domini (τοῦ κυρίου μαθηταί) dicere soliti essent (τί εἶπεν), quidnam Aristion et Ioannes presbyter (ὁ πρεσβύτερος), disciplui Domini, praedicarent (ἃ λέγουσιν). Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce".[8]

c. Varia tamen obiciuntur contra testimonium Papiae: Et quidem quoad eius testimonium de Mc: a) Papias (vel "presbyter ille") non loquitur de nostro Mc, sed de opere deperdito (Urmarkus); b) Iuxta Papiam, opus Marci vel non fuit completum vel non ordinatum (οὐ τάξει); atqui nostrum Mc est completum et ordinatum; ergo Papias non est locutus de nostro Mc.

R. ad a) Id gratis asseritur. Certe Eusebius intellexit Papiam loqui de *nostro Mc;* nam voluit dare testimonium Papiae de evangelio quod ipse novit; atqui evangelium Eusebii idem erat ac nostrum.—ad b) Evidens est Papiam (vel "presbyterum illum") concedere aliquem *defectum* in opere Marci. Periti quidem disputant qui sit hic defectus, sed probabilius est brevitas; opus Marci dicitur *incompletum* (ἔνια γράψας), idque explicatur ex modo quo ortum est. Ac revera nostrum Mc dici potest incompletum quatenus tacet nativitatem et infantiam Iesu, sermonem montanum, varias parabolas etc.

Nota. Non videtur Papias loqui de defectu *ordinis chronologici*. Nam a) Papias defendere voluit opus Marci contra aliquam querelam sui temporis; atqui Christiani illius temporis sane non quaerebant ordinem chronologicum in evangeliis. b) Neque alii synoptici semper servant ordinem chronologicum (cf. supra p. 89), et Mc in plurimis concordat cum L, cuius auctor certo sequi voluit hunc ordinem.[9]

Urg. Saltem Papias erravit cum Marcum dixit "interpretem Petri". Nam a) Apostoli non eguerunt interprete, cum gauderent dono linguarum (cf. Act 2, 5); b) absurde dicitur Petrus circuisse urbes praedicando aramaice, cum viro qui eius verba verteret graece.

R. *N.ass.* Ad prob. ad a) Valde incertum est quale fuerit hoc donum, ac praesertim num fuerit permanens. ad b) Valde incertum quoque est quid Papias dicere voluerit per ἑρμηνευτής; fortasse non plus quam Marcum descripsisse praedicationem Petri.[10]

Urg. Iuxta Papiam, opus Marci ortum duxit ex praedicatione Petri.

---

[8] RJ p. 33.

[9] Kleist, Memoirs of St. Peter p. 17-22; Donovan p. 112-122; Lagrange, Mc p. cxli-cxlii.

[10] Gächter p. 80; Rosadini I p. 140-1; Holzmeister, Vita etc. p. 72-3.

Atqui talis origo nequit adscribi nostro Mc, quod magnam similitudinem habet cum Mt.

R. *C.M. N.min.* Non negamus magnam similitudinem, sed haec etiam aliter explicari potest. Cf. problema synopticum.

d. Obiectio contra Papiae testimonium quoad Mt. Papias non loquitur de nostro Mt; nam iuxta Papiam Matthaeus scripsit τὰ λόγια; atqui nostrum Mt multa alia continet praeter sermones Domini.

R. *N.supp.* Papias non voluit dicere opus a Matthaeo scriptum continere tantum sermones Domini. Etenim a) Eusebius testimonium Papiae aliter intellexit (sicut de Mc, supra p. 110). b) Papias etiam dicit Petrum praedicasse κυριακά λόγια; atqui Papias certo noluit dicere Petrum praedicasse tantum sermones Domini. c) Titulus libri quem scripsit ipse Papias, erat Λογίων κυριακῶν ἐξήγησις; atqui in hoc libro continebantur dicta et facta Domini.[11]

e. Tandem obiciunt: Papias non est testis fide dignus. Ipse Eusebius dicit eum fuisse "valde parvi ingenii" (σφόδρα μικρὸς ὢν τὸν νοῦν).

R. Eusebius ibi non loquitur de factis quae Papias narrat, sed de eius *exegesi.*

f. Eusebius nobis non servavit testimonium Papiae de L et J. At exstat praefatiuncula ad *J*: "Incipit argumentum S. Ioannis. Evangelium Ioannis manifestatum et datum est Ecclesiis ab Ioanne adhuc in corpore constituto, sicut Papias nomine hieropolitanus, discipulus Ioannis carus, in exotericis, i.e. in extremis 5 libris, retulit. Descripsit vero evangelium dictante Ioanne recte".

Textus hic (ex saec. 9) a) est evidenter versio ex graeco, quae videtur esse ex saec. 3 vel 4; b) est aliquomodo corruptus, uti apparet ex comparatione 3 manuscriptorum. Harnack tamen admittit documentum ut historicum.[12]

3. *Testes ex medio saec. 2*

a. *Theophilus Ant.* haec habet: "Haec nos docent scripturae sanctae et quotquot spiritu s. afflati fuere, inter quos *Ioannes* dicit: In principio erat verbum etc." (Ad Autolycum; cf. RJ p. 75). Unde Theophilus testatur nostrum J scriptum esse a Ioanne aliquo.

b. *Fragmentum Muratorianum* explicite nominat Lucam, medicum et comitem Pauli, atque Ioannem, Apostolum et auctorem 1 J, tamquam auctores evangeliorum (cf. RJ p. 105). Sed non est dubium quin auctor fragmenti antea locutus sit de Matthaeo et Marco.

c. *S. Justinus M.* non quidem tradit nomina evangelistarum, tamen in sua Apologia loquitur de "*Apostolorum* commentariis, quae vocantur evangelia". Et in Dial. cum Tryphone dicit: "In commentariis quos ab eius (i.e. Christi) *Apostolis* eorumque *discipulis* scriptos dico, proditum est etc.". Ibidem citat verba

---

[11]Ruffini p. 26-7; Pesch I n. 117.

[12]Donovan p. 41-53; Rosadini I p. 231; Holzmeister p. 70-1; Höpfl-Gut p. 201; Merk p. 743; LThK s.v. Johannesevangelium.

Christi apud Mc 3, 17 et addit ea scripta esse in "Commentariis Petri" (ἀπομνημονεύματα Πέτρου). Quae dicta S. Justini optime explicantur si dicitur a) duos evangelistas fuisse Apostolos, et duos discipulos Apostolorum, b) Mc scriptum esse a discipulo Petri.

4. *S. Irenaeus*

a. Eius testimonium legitur in praefatione ad librum tertium magni sui operis "Adversus haereses": *"Matthaeus* in hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit evangelii, cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum (ἔξοδον), *Marcus,* discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. *Lucas* autem, sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur evangelium, in libro condidit. Postea et *Ioannes,* discipulus Domini, qui et supra pectus eius recumbebat, et ipse edidit evangelium, Ephesi Asiae commorans".[13]

b. *Valor testimonii*: a) Eo tempore quo vixit et scripsit S. Irenaeus, nondum erat nimis difficile discere veram originem evangeliorum. b) Tertullianus eum vocat "omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem". Tandem c) S. Irenaeus fuit discipulus S. Polycarpi, qui ipse audierat S. Ioannem Apostolum. Hinc habemus brevem catenam traditionis oralis: *Ioannes—Polycarpus—Irenaeus.*

c. Contra testimonium S. Irenaei tamen varia obiciuntur: a) S. Irenaeus fuit *chiliasta;* ergo erravit in ipsa fide. b) Ipse non erat nisi *puer* cum audiret Polycarpum (ait enim: ἔτι παῖς ὤν); atqui in tali aetate faciles sunt confusiones et errores. c) In suo testimonio, S. Irenaeus mere sequitur *Papiam,* quem male intellexit.

R. ad a) Fuit chiliasta quatenus narrat facta *N.* qua exegeta *Tr.*—ad b) S. Irenaeus videtur fuisse "iuvenis" cum S. Polycarpus moreretur; sed praeterea et memoria melior est in puero et iuvene, et res ipsa non erat nimis difficilis retentu.—ad c) Gratis asseritur.[14]

Urg. S. Irenaeus erravit dicens Ioannem Ap. commoratum esse *Ephesi,* vel saltem in Asia minore; nam in epistolis S. Ignatii M. ad varias ecclesias Asiae minoris, ne verbum quidem legitur de hac commoratione. Ita Pfleiderer, Streeter etc.

R. Tria responderi possunt: a) Argumentum hoc est pure negativum. b) Quamvis S. Ignatius in epistola ad Ephesios magis efferat memoriam S. Pauli (scil. propter sortis suae similitudinem), tamen videtur etiam alludere ad Ioannem Ap.—id quod admittitur ab Harnack. c) Ioannem Ap. diu vixisse Ephesi, scimus ex multis testibus independentibus.[15]

---

[13] RJ p. 85.
[14] Ruffini p. 274-287; Donovan p. 159-176.
[15] Ruffini p. 292-3; Tillmann p. 14-5.

Urg. S. Polycarpus non erat discipulus Ioannis Ap., sed *Ioannis presbyteri.*

R. "Ioannes presbyter" qua distinctus a Ioanne Ap. videtur esse figmentum historicum. Cf. infra p. 121-2.

5. *Tertullianus*

Haec scribit in suo libro "Adversus Marcionem": "Nobis fidem ex *Apostolis Ioannes et Matthaeus* insinuant, ex *Apostolicis Lucas et Marcus* restaurant. . . . Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus: Ioannis dico et Matthaei, licet et Marcus quod edidit, Petri affirmatur, cuius interpres Marcus; nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent".[16]

6. Thesim nostram tandem alte proclamant *Origenes, Eusebius, S. Hieronymus*—diligentissimi inquisitores traditionum de libris N. T.[17]

Arg. 2 (*Ex rationibus internis*)

Evangelia nostra sunt stricte genuina, si multa *in ipsis evangeliis* indicant auctores traditionales.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Ad M. Maior est saltem probabilis quoad synoptica; indicia difficile explicantur in alia hypothesi. Videtur esse certa quoad J, cum nulla alia hypothesis sit possibilis.

Prob. min.

a. Quoad *Mt.* Auctor huius evangelii fuit a) vir qui vixit et scripsit ante 70 (supra p. 103), et quidem b) Judaeus, uti patet ex eius lingua et notitia (supra ib.); videtur etiam c) fuisse publicanus (τελώνης); nam se exhibet familiarem cum re pecuniaria et tributaria.—Sed arguere licet ad ipsum *Matthaeum Apostolum.* Nam solus ex evangelistis a) in vocatione publicani addit nomen Matthaei (Mt 9, 9), b) in catalogo Apostolorum nomini Matthaei addit "publicanus" (Mt 10, 3), c) ibidem Matthaeum ponit loco octavo (non septimo, ut in Mc 3, 18 et L 6, 15).[18]

Dices: Si Matthaeus Ap. scripsisset nostrum Mt, se sine dubio in catalogo Apostolorum nominasset loco ultimo seu duodecimo.

R. Iuxta S. Hieronymum, unusquisque Apostolus nominandus erat intra suum quaternionem.[19]

---

[16]RJ p. 125-6.
[17]Rosadini I p. 107, 137, 157-8, 235.
[18]Ruffini p. 23-4; Rosadini I p. 109-111; Simón I p. 21-2.
[19]Ruffini p. 24, 420; Prat, J. Chr. I p. 232.

b. Quoad *Mc*. Ex lectione huius evangelii varia discere possumus quoad eius auctorem. a) Fuit testis immediatus vel fere immediatus eorum quae narrat; nam afferre solet minimas circumstantias et "colorem localem". b) Fuit specialiter coniunctus Petro Apostolo; nam omittit quaedam quae Petro honori sunt et diffuse narrat ea quae Petro non sunt honori, praesertim narrat ea quae Petro propria sunt in quibusdam episodiis. c) Totus modus scribendi prodit Semitam: verba aramaica, sententiae breves et coordinatae, constructiones semiticae, membra parallela. d) Fuit Judaeus palaestinensis; nam bene novit leges et usus Judaeorum Palaestinae eosque lectoribus explicat. e) Tandem familiaris fuit cum lingua latina; nam habet multa verba latina et phrases quae apparent esse versiones latinarum.[20]

c. Quoad *L*. Auctor huius evangelii fuit a) coaevus testibus immediatis vitae Iesu; ex prologo enim constat eum scripsisse cum adhuc viverent αὐτόπται; b) litteris imbutus et Graecus potius quam Judaeus; c) medicus vel saltem familiaris cum lingua medicorum; d) specialiter coniunctus Paulo Ap.; nam multae eius locutiones et doctrinae sunt propriae Paulo.—Speciatim autem sic arguere licet: Idem est auctor L et Actuum; atqui auctor Actuum fuit Lucas, medicus et socius Pauli; ergo etiam auctor L.[21]

d. Quoad *J*: Auctor J fuit a) Judaeus palaestinensis; nam non tantum novit V. T., festa ac ritus Judaeorum, sed etiam loca, mores, praeiudicia Palaestinensium, eiusque lingua materna evidenter est aramaica. b) Fuit testis oculatus plurimorum quae narrat; nam non tantum ipse id saepius asserit, sed idem patet ex minutis circumstantiis temporis, loci, personarum etc. quas addit suae narrationi. c) Fuit Apostolus; nam aderat cum adessent soli Apostoli.

Immo attenta lectio evangelii videtur nos certos facere auctorem fuisse Ioannem Ap. Nam a) auctor J fuit inter Apostolos praedilectos a Iesu, qui erant 3: Petrus, Iacobus, Ioannes; atqui auctor J non fuit Petrus, cum se ab illo distinguat; neque fuit Iacobus, qui iam diu mortuus erat cum J scriberetur. b) In J 21, 24 "discipulus ille" evidenter est idem ac discipulus "quem diligebat Iesus"

---

[20] Dausch p. 14-5; Holzmeister p. 23-4; Höpfl-Gut p. 71-4; Rosadini I 138-140; Ruffini p. 66-70; Knabenbauer, Mc p. 6-12; Simón I p. 39-40.

[21] Dausch p. 20-1; Holzmeister p. 24-5; Rosadini I p. 158-160; Ruffini p. 101-110; Knabenbauer, L p. 11; Simón I p. 52-3.

(21, 20) et qui asseritur scripsisse J; atqui discipulus "quem diligebat Iesus" est Ioannes Apostolus.[22]

Obicit Harnack (Chronologie I p. 675-6): In J 19, 35 auctor se clare *distinguit* a Ioanne Ap.; ex usu tertiae personae enim sequitur alium esse testem, alium auctorem libri.—Ex J 21, 23 autem patet etiam Ioannem Ap. *mortuum* esse cum scriberetur J.

R. Utrumque negatur.[23]

Obiecerunt olim rationalistae: Loci in quibus occurrit "discipulus dilectus" (vel similia) sunt *interpolati* ut augeretur auctoritas evangelii.

R. *N.* a) Secundum criticam textualem, loci hi sunt firmi. b) Cur interpolator non addidit nomen Apostoli, quo auxisset auctoritatem?[24]

Arg. 3 (*summatim*)

a. *Matthaeum Apostolum* esse auctorem Mt, a) directe constat ex S. Irenaeo, Tertulliano, Origene, Eusebio, S. Hieronymo; b) facile infertur ex titulo, Papia, fragmento Muratoriano, S. Justino; c) suadetur rationibus internis.

b. *Marcum, socium Petri,* esse auctorem Mc, a) directe constat ex Papia, S. Irenaeo, Tertulliano, Origene, Eusebio, S. Hieronymo; b) facile infertur ex titulo, fragmento Muratoriano, S. Justino; c) rationes internae suadent auctorem Mc fuisse socium Petri.

c. *Lucam, socium Pauli,* esse auctorem L, a) directe constat ex fragmento Muratoriano, S. Irenaeo, Tertulliano, Origene, Eusebio, S. Hieronymo; b) suadetur ex titulo, ex S. Justino, ex rationibus internis.

d. *Ioannem Ap.* esse auctorem J, a) directe constat ex S. Theophilo, fragmento Muratoriano, S. Irenaeo, Tertulliano, Origene, Eusebio, S. Hieronymo; b) facile infertur ex titulo, S. Justino, rationibus internis.

Confirmatur:

a. Pro nullo libro antiquo *profano* periti afferre possunt traditionem aeque firmam et antiquam, et tamen non dubitant genuinitatem. Ergo a) a fortiori admittenda est genuinitas 4 evangeliorum; b) nisi admittatur, reicienda est fere tota literatura classica.

b. Rationalistae hodierni continenter *mutant* suas theorias de auctoribus 4 evangeliorum; e contra, supposita genuinitate evange-

---

[22]Rosadini I p. 235-8; Ruffini p. 293-8; Tillmann p. 17-21; Huby p. 49-76; Lagrange, J p. xiii-xxii; W. M. Ramsay, The First Christian Century p. 56-77; infra p. 136.

[23]Ruffini p. 298-300.

[24]Lagrange J p. xvii.

liorum, testimonia externa et interna plene cohaerent. Id quod valet praesertim de J. Atqui sicut veritas est simplex et sibi constans —ita error est multiplex et versipellis.[25]

Cor. 1. Ergo certi sumus 4 nostra evangelia, prout nunc exstant in editionibus criticis, substantialiter conformia esse ***autographis*** prout prodierunt e manibus suorum auctorum. Nam evangelia graeca hodierna substantialiter conformia sunt evangeliis prout exstabant initio saec. 2; testes genuinitatis autem loquuntur de eis prout exstabant illa aetate.

Cor. 2. Ergo certi sumus *Mt graecum* nostrum esse substantialiter conforme Mt semitico; nam iidem testes tribuunt suum Mt graecum Matthaeo Apostolo. Cf. D 2152.

Obiectiones

A. *In genere*

1. Evangelia habent *Deum* auctorem. Ergo non viros istos.

R. *Dist. ant.* auctorem principalem *C.* unicum *N.*[26]

2. *Peritis* in arte credendum est. Atqui multi critici hodierni dubitant de genuinitate evangeliorum, praesertim Mt et J. Ergo horum genuinitas saltem non est historice certa.

R. *Dist.M.* ubi constat eos ductos esse praeiudiciis *N.* aliter ***Tr. Dist. min.*** dubitant ob rationes historicas *N.* ne admittere cogantur supernaturalia *C.*

3. Testes omnes genuinitatis evangeliorum sunt viri ***ecclesiastici.*** Ergo eorum testimonium iure suspectum est.

R. *Tr.ant. N.cons.* Etiam testimonium amicorum gignere potest certitudinem, dummodo constet veracitas eorum in re de qua agitur. Atqui haec constat quoad testes enumeratos. Nam a) testes illi non erant personae privatae aut rudes, sed maxime periti et publico munere fungentes in suis ecclesiis. b) Si fingere voluissent vel debuissent, evangelia synoptica vix adscripsissent auctoribus relative tam obscuris (cf. supra p. 108). c) Testes habuerunt haec 4 nomina ex traditione, non per deductionem, v.g. ex rationibus internis.

4. Fuit olim consensus de genuinitate librorum *Dionysii Areopagitae,* qui nunc a peritis dicuntur spurii. Ergo argumentum ex traditione non valet.

R. *N.par.* Est spatium *400 annorum* inter tempus quo hi libri scripti esse putabantur, et eorum primam attestationem. Auctor enim praetendit se esse discipulum S. Pauli ac proinde vixisse in saec. 1; libri autem non attestantur nisi saec. 5.[27]

B. *Contra genuinitatem Mt*

1. Iuxta Papiam et S. Irenaeum, Matthaeus scripsit opus suum in lingua *semitica.* Atqui lingua originalis nostri Mt est graeca; nam a) eius

---

[25]Felder, Christ etc. I p. 26-30; Pesch I n. 110-114.

[26]Plura de hac distinctione in altera parte, ubi agitur de inspiratione.

[27]CE s.v. Dionysius the Pseudo-Areopagite; Bardenhewer p. 535-541; Grabmann, Geschichte der schol. Methode I p. 90-2; Stiglmayer, in LThK s.v. Dionysius.

graecitas est idiomatica (utitur genetivo absoluto, recte apponit μέν et δέ, servat consecutionem temporum etc.), b) habet lusus verborum graecorum (v.g. in 6, 16; 21, 41; 24, 30); c) citat V.T. secundum LXX, non secundum textum hebraicum. Ergo nostrum Mt non est opus Matthaei Ap. Cf. Cadoux p. 335.

R. *C.M. N.min.* Ad rationes allatas: ad a) Fortasse translatori curae fuit ut versio fieret idiomatica; num id impossibile est aut improbabile?—ad b) Cur lusus verborum impossibiles vel improbabiles sunt in versione? Certe textus latinus Mt est versio; atqui in eo leguntur lusus verborum (v.g. 23, 24; 24, 41).—ad c) *Dist.* semper *N.* interdum *C.* De facto, citationes ex V.T. partim sequuntur textum hebraicum, partim LXX, partim differunt ab utroque.[28]

Nota. In thesi nihil dicimus de lingua originali evangeliorum. At Mt originarie scriptum esse in lingua semitica (hebraica vel aramaica), est opinio saltem *probabilissima.* Etenim a) id testantur Papias, Origenes, S. Irenaeus, S. Ephraem Syrus etc., neque ulla ratio fingendi talem originem assignari potest; b) sunt loci in Mt qui talem originem postulare videntur; sic 1, 21 vix intellegitur in lingua graeca (aut latina), bene in originali semitico.[29]

Urg. Mt est inspiratum, et textus inspiratus perire nequit. Atqui solus textus graecus nobis servatus est. Ita olim Protestantes.

R. *C.prim.part.M. N.alteram partem.* Neque exstat textus orginalis omnium librorum V.T.; v.g. 1 Mach.

Urg. Saltem Matthaeus Ap. non est auctor totius Mt nostri. Uti enim testatur Papias, Matthaeus scripsit sola Λόγια, i.e. collectionem *sermonum* Domini, in lingua semitica. Alius quidam addidit facta ex Mc.

R. *N.* Cf. supra p. 90, 104. Ipse Scott (Lit. etc. p. 67) dicit: "For all this, there is no evidence".

2. Matthaeus, utpote Apostolus, erat *testis oculatus* plurimorum factorum vitae Iesu. Atqui Mt nostrum non est scriptum a teste oculato. Nam a) deest ordo chronologicus; b) saepe occurrunt phrases vagae et indefinitae (πολλοί, τότε, ἐν ἐκείνῳ καιρῷ etc.); c) numquam legitur: ego, nos; immo de Matthaeo Apostolo sermo est in tertia persona (9, 9). Ergo Mt nostrum non est opus Matthaei Apostoli.

R. *C.M. N.min.* ad a) Huius rei ratio est evidens: auctor voluit docere potius quam narrare (cf. Dausch p. 8-9). ad b) Num omnis testis oculatus etiam gaudet vivacitate et praecisione in describendis rebus quibus interfuit? ad c) Fausto, qui idem obiecerat, sic respondit S. Augustinus: "Sed non usque adeo imperitum putaverim ut non legerit nec audierit solere scriptores rerum gestarum (i.e. historicos), cum in suam personam sermo venerit, ita de se sermonem contexere *tamquam de alio* narrent quod de se narrant" (Contra Faustum 17, 4). In "Bello Gallico" etiam Caesar loquitur de se in tertia persona. Cf. supra p. 108.

Urg. Mt fere totum *pendet a Mc.* Atqui id inexplicabile est si Matthaeus Ap., testis oculatus, illud scripsit. Ita rationalistae omnes; etiam S. J. Case (Jesus p. 68), Knopf (Einf. p. 113), J. H. Ropes (Synoptic Gospels p. 37-8, 93, 101).

R. *Dist.M.* Mt et Mc saepe eadem narrant, interdum eodem ordine iisdemque fere verbis *C.* Mt fere totum pendet a Mc *N.*[30]

---

[28]Swete, Introd. etc. p. 394-8.
[29]D 2149, 2152; Ruffini p. 27-9; Merk p. 116, 635-8.
[30]Cf. infra p. 137-143; Grandmaison I p. 100.

C. *Contra genuinitatem J*

1. J scriptum est a Ioanne presbytero.

R. *N.* vel *Dist.* identico cum Ioanne Ap. *C.* alio Ioanne *N.*

Urg. Si Ioannes presbyter scripsit J, facile explicatur cur ecclesiae antiquae dubitaverint recipere illud ut canonicum. Ita Streeter, The Four Gospels p. 436.

R. *N.supp.* Ecclesiae antiquae non dubitaverunt.[81]

2. J scriptum est ca. 100. Atqui Ioannes Ap. occisus est simul cum Iacobo, diu ante 70. Ergo non potuit esse auctor J. Ita Wellhausen, Jülicher, Loisy, Case etc. Minorem autem probare volunt ex *Georgio Hamartolo* et *Philippo Sidete,* qui testem invocant Papiam.[82]

R. *C.M. N.min.* a) Minor non admittitur ab omnibus criticis (v.g. a Zahn, Harnack, Spitta), neque documenta allata sic interpretanda sunt. b) Cur S. Irenaeus et Eusebius, qui opus Papiae prae manibus habuerunt, hoc martyrium tacent, quod Ioanni Ap. summo honori fuisset? c) Cur orta est traditio antiquissima Ioannem Ap. diu vixisse Ephesi? Hodie vetus Ephesus a Turcis vocatur Ayassuluk ex ἅγιος θεόλογος.

Urg. Mc 10, 39 evidenter supponit Ioannem et Iacobum ***simul*** occisos esse. Atqui Iacobus occisus est ca. 45.

R. *N.M.* a) Rationalistae qui arguunt ex hoc textu, tacite supponunt eum scriptum esse post eventum; a priori enim negant possibilitatem veri vaticinii. b) Si textus sumeretur sensu quo volunt rationalistae, sequeretur Ioannem et Iacobum crucifixos esse (sicut Christus ipse); atqui neuter crucifixus est.

Nota. Quoad hanc quaestionem ac praesertim quoad documenta Georgii et Philippi, cf. Arendzen, Prophets etc. p. 58-77; Donovan p. 54-81; Grandmaison I p. 146-154; Huby p. 165, 226-231; W. M. Ramsay, The First Christian Century p. 28-51; Stanton I p. 166-8; III p. 112-122.

3. A Papia ad Melitonem (i.e. a 130 ad 180) est ***silentium*** completum quoad auctorem J. Ita praesertim B. W. Bacon, Fourth Gospel.

R. a) Hoc est argumentum ex silentio in tota sua infirmitate. Unde enim Bacon scit auctorem J non fuisse nominatum in libris nunc deperditis? b) Cur in fine saec. 2 Ioannes Ap. ubique agnitus est ut auctor J (exceptis Alogis)? c) Tandem silentium non est completum; cf. testimonia S. Theophili, S. Justini, fragmenti Muratoriani, quae pertinent ad medium saec. 2.[83]

4. Secundum L 3, 23 Iesus erat fere 30 annorum cum inciperet ministerium publicum; sed auctor J eum facit fuisse *50 annos* (J 8, 57). Inde Harnack infert auctorem J non potuisse esse Apostolum.

R. *N. supp.* Imprimis auctor J ipse non dicit Iesum fuisse 50 annorum, sed Judaei. Dein numerus 50 est evidenter 'rotundus'; scil. Judaei ignoraverunt exactam aetatem Iesu, sed argumenti causa voluerunt ei dare aetatem summam probabilem iuxta apparentias.[84]

5. Auctor J seipsum vocat discipulum "quem diligebat Iesus" (J 13, 23;

---

[81]Cf. infra, historiam canonis.

[82]Dicit Streeter (ib. p. 435): "The amount of evidence that can be summoned in support of the tradition of an early martyrdom of John is not considerable". Ipse tamen opinatur hanc traditionem oblivioni datam esse quia fuerit "apologetice inconveniens".

[83]Donovan p. 123-139.

[84]Lebreton, Life etc. II p. 32.

19, 26; 20, 2; 21, 7; 21, 20). Atqui Ioannes Ap., utpote humilis, id non scripsisset. Ita Schmiedel, Baur etc.

R. Auctor J non dicit se meruisse specialem dilectionem Iesu.

6. In J Iesus dicitur Logos incarnatus ("Verbum caro factum est"). Atqui incredibile est ut id diceretur ab aliquo qui diu vixerat cum Iesu homine. Ita Weizsäcker, H. J. Holtzmann etc.

R. *C.M. N.min.* vel *Dist.* nisi Iesus suam divinitatem clare manifestaverit *C.* aliter *Tr.*[35]

7. Idem non potest esse auctor *Apocalypsis* et J. Atqui Ioannes Ap. est auctor Apocalypsis. Ergo non est auctor J. Ita Baur, Renan, H. J. Holtzmann, Jülicher etc.[36]

Rationes autem quae afferuntur pro Maiore, fere hae sunt: a) Auctor Apocalypsis nomen suum exhibet (1, 9; 22, 8); non ita auctor J; b) auctor Apocalypsis se tantum dicit "fratrem" vel "consortem"; auctor J se dicit discipulum "quem Iesus diligebat", vel qui "super pectus Iesu recubuit"; c) in J lingua et stilus sunt purae graecitatis; Apocalypsis scatet formis et constructionibus barbaris; d) auctor J est anti-semiticus; Apocalypsis maxime favet Judaeis.

R. *N.M.* quae etiam negatur a Zahn, Harnack etc.

Ad rationes allatas: ad a) et b) Quia Ioannes tacere debuit nomen suum in evangelio (cf. supra p. 108-109, 117), referre potuit ea quae ei honori erant; non ita in Apocalypsi, pro qua usus non postulabat anonymitatem.—ad c) Non negamus magnam diversitatem, quae tamen explicari potest α) ex eo quod fuit intervallum 30 annorum inter compositionem horum librorum, β) quod prorsus alia erat dispositio subiectiva auctoris, γ) quod auctor adhibuit amanuensem in scribendo evangelio.—ad d) Haec diversitas exaggeratur ex utraque parte.[37]

Schol. 1. *Tempus et ordo compositionis*

a. Evangelia *synoptica* probabilissime scripta sunt *ante 70.*

Id non probatur ex rationibus externis (quae desunt), sed *internis.* Id iam suadetur cognitione *exacta* rerum ante 70 quam manifestant synoptici et quam supponunt apud lectores (cf. supra p. 102-3). Idem valde suadetur ex modo quo narrant vaticinia Domini de *destructione Jerusalem.* Nam nihil dicunt a) de eorum impletione atque b) vix distinguunt inter praedictam destructionem urbis et finem mundi; atqui valde probabile est a) synopticos narraturos fuisse impletionem horum vaticiniorum si potuissent (sicut alias saepe addunt vaticinia Domini impleta esse), atque vix neglexissent dicere aliquid de combustione templi; b) clare vidissent destructionem urbis non coincidere cum fine mundi (id quod minime clarum est in vaticiniis prout narrantur in synopticis).

Dices: Argumentum ex omissione impletionis nihil valet. Nam J scriptum

---

[35]Knabenbauer, J p. 33.

[36]Saec. 3, S. Dionysius, qui admisit genuinitatem J, eodem argumento probavit Ioannem Ap. non esse auctorem Apocalypsis.

[37]Ruffini p. 362-8; Grandmaison I p. 237-247; Allo p. clxx-ccxiii.

est diu post destructionem urbis, neque tamen eam commemorat aut ad eam alludit.

R. Deerat occasio in J, cum ibi omittantur sermo eschatologicus et alii discursus in quibus Iesus praedixerat destructionem Jerusalem et templi.

Speciatim quoad *Mt*. In Mt varia dicta Iesu leguntur de vocatione gentium, de observatione legis mosaicae etc. quae inopportune scripta essent post 70.[38]

Dices: Mt non potest esse scriptum nisi in *fine saec. 1*. Nam a) bis dicitur "usque in hodiernum diem" (27, 8; 28, 15)—id quod supponit scriptionem libri multum *distare* ab eventu narrato; b) bis insinuatur parousiam nimis *tardare* (24, 48; 25, 5)—id quod iterum supponit auctorem scribere in fine saec. 1; c) bis alluditur ad *persecutiones* quas Christiani iam passi sunt (5, 11; 10, 18); atqui persecutiones non invaluerunt nisi in fine saec. 1.[39]

R. *N.ass.* Ad rationes allatas: ad a) Talis phrasis potest indicare tempus vel absolute vel relative longum.—ad b) Gratis asseritur ibi esse quaestionem de parousia.—ad c) *Dist.* Christus ibi praedicit persecutiones suorum *C.* dicta haec supponunt Christianos iam passos esse persecutiones *N.*

Urg. In Mt narratur fundatio Ecclesiae. Atqui ante 100 nemo cogitabat de Ecclesia vel primatu.

R. *C.M. N.min.* Cf. infra, De Ecclesia.

Speciatim quoad L. Idem est auctor L et Act, idque ita ut L scriptum sit *ante Act* (uti patet ex Act 1, 1); atqui Act probabilissime scripti sunt ante 70 (infra p. 162); ergo etiam L.

Obiciunt rationalistae: L scriptum est post 70. Nam uti iam adverterat S. Augustinus, vaticinium de destructione urbis est multo *clarius* in L (21, 20 "cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem etc.") quam in Mt (24, 15) vel Mc (13, 14). At haec obiectio a) gratis supponit vera vaticinia esse impossibilia, et b) positivis argumentis refutatur.[40]

Dices: L pendet ab "Antiquitatibus" *Fl. Josephi;* atqui hic liber non est scriptus nisi ca. 93.

R. *N.* Schürer, Harnack, Goodspeed etc. hanc dependentiam negant.

Urg. In L 1, 1 dicitur *"multos"* descripsisse vitam Iesu ante L; atqui id vix dici potuit ante 70.

R. Nescimus quid "multi" illi scripserint. Eos scripsisse biographias Iesu, gratis supponitur.

b. Mt fuit *primum* evangelium scriptum. Id enim testatur traditio antiquissima et firma: a) S. Irenaeus, Clemens Alex., Origenes, S. Epiphanius, Eusebius, S. Hieronymus etc.; b) in fere omnibus codicibus et versionibus, Mt ponitur primo loco; cuius facti ratio alia non videtur esse nisi quod Mt scriptum est ante alia evangelia; c) idem suadetur ex defectu chronologiae.[41]

---

[38] supra p. 103; D 2150; Rosadini I p. 109-110; Gächter p. 51-5.

[39] Ita E. F. Scott, Lit. of N.T. p. 67.

[40] Gächter p. 114-5; Rosadini I p. 170; Lebreton, Life etc. II p. 118; Lagrange, L p. xxiii-xxiv.

[41] D 2149; Gächter p. 54.

Post G. J. Herder autem omnibus criticis firmiter persuasum est *Mc* fuisse primum evangelium. Sic ait Streeter (Four Gospels p. 10) : "Modern scholars are unanimous in accepting the view that Mark is the oldest of the Gospels, and was one of the main sources from which Matthew and Luke drew their information". Similiter G. A. Barton (in JTS 1935 p. 358) : "For at least sixty years the fact demonstrated by the late E. A. Abbott that St. Mark was employed as a source by the authors of Matthew and Luke has been accepted by all writers on the subject".[42]

c. Mc scriptum est *ante L.*

d. J scriptum est in *fine saec. 1.*

e. Ulterior determinatio temporis quo composita sunt evangelia, probabilitatem non excedit. Unde critici (etiam Catholici) multum inter se differunt.

Schol. 2. *"Ioannes presbyter"* (John the Elder)

Magna exstat controversia de exsistentia alicuius Ioannis qui a) sit distinctus a Ioanne Ap., b) floruerit Ephesi ca. 100, c) vocatus sit "presbyter" (post Papiam).

Eius exsistentiam probare iam conatus est S. Dionysius Alex. (ca. 250) ex eo quod "duo apud Ephesum sepulchra fuisse traduntur, utrumque Ioannis nomine insignitum" (ap. Eusebium, Hist. III 39; VII 25). Cum enim negaret Apocalypsim scriptam esse a Ioanne Ap., et tamen auctor se nominet Ioannem, S. Dionysius alium Ioannem quaesivit distinctum ab Apostolo huius nominis.[43] Ob eandem rationem, Eusebius postea probavit exsistentiam "Ioannis presbyteri" ex hac narratione Dionysii et ex eo quod Papias bis nominat Ioannem (supra p. 110). Tandem S. Hieronymus (De viris ill. 18) admisit exsistentiam alterius Ioannis, cui tribuit 2 et 3 J.

Hodie multi critici (etiam Catholici; v.g. Lagrange, Allo, Höpfl, Grandmaison, Vannuttelli) tenent eius exsistentiam, eique Harnack aliique tribuunt J. Plerique tamen Catholici strenue negant exsistentiam "Ioannis presbyteri" ut distincti a Ioanne Ap.

Quid dicendum?

a. Etiamsi admittatur exsistentia "Ioannis presbyteri", a) nil sequitur contra genuinitatem strictam J; Ioannem Ap. enim fuisse

---

[42] Eorum argumenta apud Streeter l.c. p. 157-169; refutatio apud Merk p. 705-711; Dausch p. 10-12; Lagrange, Mt p. lviii-lxxvii; Rosadini I p. 196-8

[43] Eum tamen non nominavit "presbyterum".

auctorem J, nititur rationibus optimis externis et internis; b) neque minueretur valor historicus testimonii Papiae de Mt et Mc (supra p. 109-111); Papiam enim fuisse discipulum Ioannis Ap., etiam aliunde constat.

Hinc solutio huius quaestionis non est magni momenti apologetici.

b. Videtur autem dicendum "Ioannem presbyterum" esse merum *figmentum historicum.*

Duo enim sunt argumenta quibus probare conantur eius exsistentiam: a) duo sepulchra vel monumenta ephesina, et b) duplex mentio Ioannis in eodem contextu proximo apud Papiam.

Atqui neutra ratio est cogens. Nam ad a) Nemo umquam testatur se vidisse duo illa monumenta; neque si revera exstitissent, multum probarent; ipse S. Hieronymus notat: "Nonnulli putant duas memorias eiusdem Ioannis evangelistae esse" (De viris ill. 9). —ad b) Verba Papiae etiam intellegi possunt de eodem Ioanne, scil. Apostolo. Papias enim videtur prius narrare ea quae *mediate* audierat ab Apostolis et discipulis Domini, dein ea quae ipse *immediate* habuit ex ore Aristionis et Ioannis Apostoli. Quae interpretatio suadetur ex eo quod tempora verborum sunt diversa (*εἶπεν* - *λέγουσιν*), et quod Ioannes secundo loco nominatur *ὁ πρεσβύτερος*, i.e. solus adhuc superstes Apostolus.[44]

c. Quid autem dicendum de Eusebio et S. Hieronymo? a) Eusebius, quamvis recte nobis servaverit verba Papiae, ea male interpretatus est, scil. ob praeiudicium. Cum enim negaret Ioannem Ap. fuisse auctorem Apocalypsis, alium Ioannem quaerere debuit; neque unquam commemorat alium Ioannem nisi ubi agit de auctore Apocalypsis. b) S. Hieronymus in hac re mere secutus est Eusebium.[45]

---

[44]Exemplum simile habes quoad Gladstone (in Thought, March 1932 p. 578).

[45]Opus classicum de hac controversia est Dom Chapman, John the Presbyter and the Fourth Gospel (1911). Cf. etiam Donovan p. 99-111; Sanday, Criticism of the Fourth Gospel p. 60-3; Zahn, Einl. II p. 209-211, 221-2; Grandmaison I p. 138-141; Lagrange, J p. xxix-xxxiv; Gächter p. 58-60; Tillmann p. 16-17; Allo p. clxxvi-viii; Höpfl-Gut p. 16-18; Knabenbauer, J p. 5-9; Ruffini p. 279-285, 402.

ARTICULUS 4

CRITICA TEXTUALIS

Articuli 4 et 5 non sunt necessarii ad scopum huius Apologeticae. Articulus 4 tamen ponitur a) ut magis pateat firmitas textus N.T., b) ut tiro assuefiat problematis textualibus; in articulo 5 evolvitur quaestio quae hodie multum agitatur.

In hoc articulo 4 quattuor praestabimus: a) pauca dicemus de natura criticae textualis; b) dein enumerabimus fontes praecipuos textus librorum N.T.; c) dein videbimus qualis dici debeat textus hodie communiter receptus; d) tandem examinabimus textus quosdam 4 evangeliorum de quibus mota sunt dubia.[1]

A. Natura

1. *Definitio.* Critica textualis est scientia historico-critica cuius finis est *reconstruere* textum originalem documentorum, i.e. eum quem scripsit ipse auctor. Critica textualis saepe opponitur "criticae altiori" cuius finis est a) eruere verum sensum documentorum (exegesis), b) aestimare eorum valorem.

2. *Necessitas*

a. Quandocunque agitur de documento antiquo (nisi exstet ipsum autographum), semper incipiendum est a critica ipsius textus. Quod principium est historice evidens. Nam fieri non potest quin mutationes (voluntariae vel involuntariae) irrepserint in apographa et versiones, praesertim ubi documentum est paulo longius et transiit per multas manus. Unde videmus editiones criticas scriptorum antiquorum (v.g. Homeri) de facto continere multas *"lectiones variantes"* (variant readings). Atqui auctor scripsit *unam* lectionem. Finis criticae textualis igitur est inter lectiones variantes seligere (vel ex eis recuperare) lectionem unice genuinam.

b. Haec etiam valent quoad libros N.T. Etiam hi transierunt per multas manus et scatent lectionibus variantibus, uti patet inspicienti

---

[1] Kenyon, Textual Crit. of the N.T.; idem, The Text of the Greek Bible; idem, The Story of the Bible; Vaganay, An Introd. to the Textual Crit. of the N.T.; Nestle-Dobschütz, Einführung in das griechische N.T.; CE s.v. Criticism, Textual; Rosadini I p. 86-8; Vaccari, in IB p. 238-256, 331-8; Merk p. 224-231; idem, Prolegomena ad N.T.; Feder p. 168-180.

editiones nostras criticas (v.g. Nestle vel Merk). Unde patet necessitas incipiendi a critica textuali in Apologetica scientifica, quatenus haec arguit ex libris N.T.

Nota. Accedit alia ratio (dogmatica). Libri N.T. enim sunt inspirati; atqui id tantum est inspiratum quod hagiographus ipse scripsit, non vero mutationes postea introductae.

3. *Methodus.* Critica textualis a) incipit cum collectione testium. Scil. *colliguntur* fontes omnes ex quibus aliquid disci potest de textu autographi: apographa, versiones, citationes, allusiones etc. b) Testes dein inter se *comparentur,* et colligantur lectiones variantes. Tandem c) *iudicium* ferendum est quae lectiones sint praeferendae.

Quod iudicium respiciat oportet rationes externas, scil. qualitatem testium (v.g. per se praeferendus est testis antiquior), et rationes internas, scil. contextum, stilum vel indolem auctoris etc.

Nota. a) Ex usu recenti, "codex" est liber individualis; potest esse apographum (v.g. codex quem Tischendorf invenit in monasterio Sinaitico) vel versio (v.g. codex syro-sinaiticus Ss); "familia" vel "typus" est classis codicum similium sub aliquo respectu (v.g. quia orti sunt in eadem urbe, vel quia continent eadem menda); "editio" vel "recensio" est fructus criticae textualis (v.g. editio N.T. quam Merk curavit).—b) Classificatio testium N.T. per "familias" est adhuc nimis dubia; unde ea non utemur in Apologetica.[3]

B. Testes textus N.T.

Testes ex quibus erui potest textus librorum N.T. dividi possunt in 3 classes: *codices* graeci antiquissimi seu apographa, *versiones* antiquissimae, *citationes* et *allusiones* apud scriptores primorum saeculorum.

1. *Codices graeci*

Codices N.T. dividuntur in 'maiusculos' et 'minusculos'. *Maiusculi* (ante saec. 10) scripti sunt literis maioribus (capitals, uncials) et vocibus non separatis ab invicem (scriptio continua); hodie designantur per A, B, C etc. *Minusculi* (post saec. 9) scripti sunt literis minoribus et cursive (fere sicut nostri libri graeci typis impressi); hodie notantur per 1, 2, 3 etc.

Cum igitur maiusculi proximius accedant ad tempus compositionis, eorum testimonium per se praeferendum est in critica textuali.

Praecipui codices maiusculi sunt: S seu Codex Sinaiticus (ex

---

[3]Vaccari, in IB p. 247-251; Kenyon, The Story of the Bible p. 127-132.

saec. 4); A seu Codex Alexandrinus (ex saec. 5); B seu Codex Vaticanus (ex saec. 4); C seu Codex Ephraemi rescriptus i.e. palimpsestus (ex saec. 5); D seu Codex Bezae (ex saec. 6); W seu Codex Washington (ex saec. 4 vel 5).[4]

In Aegypto inventa sunt multa fragmenta N.T. Quae vocantur *"papyri"* et hodie notantur per P (cum aliquo numero). Eorum plurima scripta sunt saec. 3 vel 4; sed fragmentum ex J 18 (31-33, 37-38) dicitur scriptum esse ca. 120.[5]

Tandem anno 1931 inventus est *"Chester Beatty Papyrus"*, qui continet sat magnas partes evangeliorum, Actuum, epistolarum Paulinarum, et scriptus esse dicitur initio saec. 3.[6]

Nota. *"Ferrar group"* est familia minusculorum ex saec. 12, quae recens magni aestimatur; ad eam pertinent 13, 69, 124, 346 etc.[7]

Codices graeci librorum N.T. exstant a) completi 53; b) partiales: unciales 210, minusculi 2400, papyri 50, lectionaria (i.e. quae continent partes N.T. legendas in liturgia) 1610. Hinc nulla est inopia testium.

2. *Versiones*

a. Versio *latina.* N.T. in linguam latinam versum est sub fine saec. 2 (ut videtur). Haec versio vocatur "Itala" vel "vetus latina". Eius codices, quorum numerus est exiguus, notantur per a, b, c etc.

b. *Diatessaron.* Tatianus (ca. 120-180) concinnavit harmoniam 4 evangeliorum, quae vocatur Diatessaron (διά - τέσσαρα). Non quidem exstat exemplar textus originalis (graeci?), sed habemus tres versiones antiquas (latinam, arabicam, neerlandicam) et versionem armeniacam commentarii S. Ephraemi Syri (ex saec. 4).[8]

c. Versiones *syriacae.* a) Versio evangeliorum ("separatorum", uti dicitur, in oppositione ad Diatessaron) continetur in duobus codicibus nuper inventis, scil. in Codice syro-Curetoniano (Sc) et syro-sinaitico (Ss); ille scriptus est ca. 450, hic saec. 4 vel 5; ipsa versio autem est ex saec. 3 vel 4. b) *Peshitto,* versio communis inter Syros, facta esse videtur saec. 5, atque aliqua eius exemplaria videntur esse ex eodem saeculo.

---

[4]CE s.vv. Codex (ubi dantur historiae singulorum codicum), Editions, Manuscripts of the Bible, Testament (New); Merk p. 127-133, 1053-8 (ubi habes specimina).

[5]Fonseca, in VD 1935 p. 94-6; Cerfaux, in EphL 1935 p. 579-581; Merk, in Biblica 1936 p. 99-101; Kenyon, The Text of the Greek Bible p. 195.

[6]Kenyon, The Story of the Bible p. 112-126.

[7]Kenyon, The Text of the Greek Bible p. 105, 173-4; Suppl. s.v.

[8]Kenyon, The Story of the Bible p. 96-8.

d. Versiones *copticae*.[9] N.T. in linguam copticam versum esse videtur exeunte saec. 2. Certum est exstitisse versionem sahidicam initio saec. 4, atque his ultimis decenniis non pauci codices huius versionis inventi sunt, qui aetate non cedunt codicibus graecis antiquissimis.—Quando orta sit versio bohairica, non constat.

e. Versio *aethiopica* (Abyssinia). Secundum traditionem, S. Scriptura versa est in linguam aethiopicam saec. 4; sunt tamen qui dubitent atque assignent saec. 5 vel 6.

f. Aliae versiones antiquae (gothica, armeniaca, georgica, arabica, persica, slavonica etc.), cum sint recentioris originis (saec. 5 etc.), per se minus utiles sunt ad textum originalem recuperandum.

3. *Citationes et allusiones*

Hae colliguntur ex operibus eorum qui scripserunt primis saeculis aerae christianae (cf. supra p. 92-97). Quantum sit momentum horum testium textus N.T., apparet ex numero citationum; sic S. Irenaeus habet 1819, Clemens Alex. 2406, Origenes 17,922, Tertullianus 7,258 etc.; "immo hae citationes interdum maioris momenti esse possunt quam testimonium codicum, quia tempus et patria auctoris nobis magis nota sunt". Ex altera parte, a) hi scriptores saepe citabant ex memoria, b) non omnia eorum opera critice edita sunt.[10]

Huc pertinent magni *commentarii Patrum* (supra p. 103-4).

C. Textus receptus

1. Olim "textus receptus" N.T. graeci vocabatur textus qui saec. 16-17 *primo typis impressus* est. Exstabant tunc quidem variae "editiones", quae aliquomodo inter se differebant; sed differentiae hae neglegi poterant. Praecipuae editiones hae erant: Card. Ximenes de Cisneros (1514), Desiderius Erasmus (1516), Robertus Stephanus (1546) etc. Editio Stephani anni 1550 diu in Anglia praevaluit. "It is this text which (with very slight alterations) continued to be reprinted for the next three hundred years,

---

[9]Lingua coptica erat lingua Aegypti a saec. 2 ad 16 post Chr. Erat quidem affinis linguae veteris Aegypti (ante saec. 2), sed multum ab ea differebat; scribebatur literis graecis, quibus Aegyptii addiderant 7 alia signa.—Duae erant dialecti linguae copticae: *Sahidica* in Aegypto superiore, et *Bohairica* in Aegypto inferiore (i.e. circa Kairo).—Dialectus bohairica etiamnunc adhibetur in liturgia sacra (sicut apud nos lingua latina).

[10]Rosadini I p. 71-3; Höpfl, Introd. p. 204-5.

and is still to be found in our ordinary Greek Testaments" (Kenyon, The Story of the Bible p. 45).

At textus hic non est magnae auctoritatis criticae; eius editores enim non consuluerunt nisi *paucos* testes eosque nimis *recentes*.[11]

2. Inde a saec. 18, ac praesertim saec. 19 et 20, plurimi periti incubuerunt criticae textuali N.T., ita ut consulerent omnes testes qui inveniri poterant. Et quamvis non sit consensus quoad omnes locos N.T., tamen omnes editiones criticae hodiernae—catholicae et non-catholicae—textus graeci N.T. continent *textum substantialiter eundem*.

3. Unde deducimus 3 corollaria ad usum practicum:

a. Ei qui discedit a textu N.T. hodie communiter recepto, incumbit onus probandi.[12]

b. Textus particularis N.T. iure dicitur *"critice certus"* (sive quoad ipsissima verba sive saltem quoad sensum) a) si testes omnes consentiunt, vel b) si saltem tot testes eum continent ut iure inferamus eum esse genuinum, vel c) ubi exstant lectiones variantes, si hae sunt paucae, nullius momenti critici, facile explicari possunt. Quae interdum confirmari possunt rationibus internis; v.g. si mutatio fuerit impossibilis, si contextus postulet hunc textum etc.

c. *Practice* dici potest: Textus particularis N.T. est certus a) si adest in omnibus editionibus criticis hodiernis, vel b) ubi unus vel alter criticus dubitat, si facile ostendi potest eum non esse ductum principiis sanis criticae textualis.

D. Specimina criticae textualis

Examinabimus quosdam locos 4 evangeliorum, qui leguntur in Vulgata latina, sed a quibusdam criticis putantur esse mutandi vel etiam omittendi. Non omnes sunt eiusdem momenti (apologetici aut dogmatici); praecipui sunt, si mere consideratur critica textualis: finalis Mc, sudor sanguineus (L 22, 43-44), angelus piscinae (J 5, 3-4), mulier adultera (J 7, 53—8, 11).

A. **Ex Mt** (D 2154)

1. *Historia infantiae* (Mt 1-2)

Saec. 18 aliqui critici negaverunt haec duo capita esse genuina. Rationes *externae*: Haec capita deerant a) in Diatessaron Tatiani,

[11] Merk, p. 133-4; Lagrange, Mc p. clxv; Kenyon, The Text of the Greek Bible p. 156-7.

[12] supra p. 105.

b) in 'evangelio Ebionitarum' (teste Epiphanio), c) in quibusdam codicibus graecis. Rationes *internae*: Narratio a) continet fabulas (v.g. conceptum virginalem, stellam magorum), b) contradicit narrationi parallelae Lucae.

R. *In genere*: Duo capita sunt critice certa; leguntur enim in omnibus codicibus graecis completis (maiusculis et minusculis) et in omnibus versionibus antiquissimis. Etiam Patres saec. 2 et 3 ea citant vel ad ea alludunt; v.g. S. Ignatius M., S. Justinus, S. Irenaeus, Clemens Alex., Tertullianus etc.—*In specie*. Ad rationes *externas*: ad a) *N*. Sola genealogia Iesu videtur esse omissa a Tatiano; nescimus cur. ad b) Ebionitae, secta saec. 2, hanc narrationem reiecerunt non ob rationes criticas, sed doctrinales. Distinguentes enim inter Iesum et Christum, docuerunt Iesum natum esse merum hominem, sed factum esse Christum et Filium Dei in baptismate. Cum igitur secundum Mt Iesus iam esset Filius Dei a sua conceptione, Ebionitae omiserunt hanc pericopen. ad c) Horum codicum tam exigua est auctoritas textualis ut critici hodierni eos simpliciter neglegant.—Ad rationes *internas*: ad a) Haec obiectio gratis supponit miracula esse impossibilia. ad b) *N*. Est sat magna diversitas inter duas narrationes, sed non vera contradictio.[13]

Nota. Ex hac diversitate duo videntur sequi: a) Matthaeus et Lucas non sunt usi iisdem *fontibus* hac in re; b) Lucas *non novit* Mt.

2. *Mt 12, 47* deest in S, B, L, in f et k, in Ss et Sc. Hinc versus omittitur a Tischendorf, Hort, von Soden, Lagrange; includitur in uncis a Nestle.

R. Multo maior est numerus testium qui habent textum; unde iure eum retinent Vogels, Knabenbauer, Merk.

3. *Mt 16, 2-4* deest in 5 maiusculis, aliquibus minusculis et versionibus. S. Hieronymus notat: "Hoc in plerisque codicibus non legitur". Tandem v. 3 multum variatur.

R. Textus iure retinetur ut genuinus.[14]

4. *Promissio primatus* (Mt 16, 17-19)

a. Aliqui rationalistae dixerunt hunc locum esse *interpolatum*

---

[13]Knabenbauer, Mt I p. 119, 145-7, 157-8; Rosadini I p. 123-5; Lagrange Mt p. 39-44; Lahousse I p. 227-236; Machen, The Virgin Birth p. 170-3, 210-229; Lattey, Mt p. xxxiii-v; Dausch p. 41-61; Prumm I p. 256-281.

[14]Knabenbauer, Mt II p. 43, 45; Lagrange, Mt p. 315-6; Simón I p. 396.

saec. *2*. Eorum ratio: Christus numquam cogitavit de Ecclesia fundanda.[15]

R. Textus est *critice certus*. Legitur enim in omnibus codicibus graecis et versionibus antiquissimis, et Origenes, qui bene novit quaestiones textuales suae aetatis, nullum dubium novit de hoc loco. Hinc textus legitur in omnibus editionibus criticis hodiernis, etiam non-catholicis.

Dein theoria interpolationis impossibilis est ob duo: a) Textus totus est evidenter *coloris semitici*—uti patet ex lusu verborum "Petrus" et "petra" impossibili in lingua graeca (vel latina), ex phrasibus "beatus es", "Bar Jona", "Pater qui in caelis est", "portae inferi", "claves regni caelorum", "ligare", "solvere". Atqui saec. 2 versio graeca Mt ubique diffusa erat loco textus semitici. Unde incredibile est textum tam alienum a lingua graeca tunc interpolatum esse.—b) Si quis voluerit interpolare textum ut augeret auctoritatem Romani Pontificis (uti dicunt quidam rationalistae), cur eum non inseruit in *Mc,* quod scriptum esse credebatur a discipulo Petri? Et cur non delevit reprehensionem Petri in v. 23?

Dices: Textus non citatur ante finem saec. 2.

R. a) Hoc silentium est mere negativum. b) De facto, S. Justinus ad eum alludit.

b. Speciatim Harnack spurium declaravit *v.18* ("et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam"). Eius ratio duplex: a) v.18 numquam citatur ante saec. 3; b) non cohaeret cum contextu.

R. Etiam v.18 est *critice certus*. ad a) Ad eum alludunt Pastor Hermae et Odae Salomonis. ad b) Harnack solus imaginatur defectum cohaerentiae.

c. Saltem textus sic mutari debet: "et portae inferi non praevalebunt adversum *te"*. Sic enim textus legitur apud Ephraem Syrum. Cur autem "te" mutatum sit in "eam", Harnack sic explicat: Christus hic promiserat Petro eum non esse moriturum ante parousiam; post mortem Petri ergo hic error corrigi debuit; unde substituerunt "eam" pro "te".

R. Textus noster est *critice certus*—ob argumenta ab initio allata.—Quoad Ephraem: Hic ter habet "eam" (uti Harnack concedit); neque in iis locis ubi substituit "te", cogitavit de immortalitate Petri, sed de eius perennitate ut fundamenti Ecclesiae.[16]

---

[15]Linton p. 157-183.

[16]Fillion, Life of Christ II p. 703-713; Lercher I p. 304-7; Dorsch II p. 46-8;

5. *Mt 23, 14* videtur esse interpolatus ex Mc 12, 40 et L 20, 47 atque assimilatus stilo Mt. Unde omittitur a Nestle, Merk.[17]

6. *Mt 28, 19*

a. Harnack negat hunc v. esse genuinum, quia clare enuntiet missionem universalem Apostolorum ("docete omnes gentes"), cum scopus Mt potius sit efferre particularismum Judaicum Iesu.

R. Textus est *critice certus*—ex omnibus testibus textus. Speciatim contra Harnack probabimus indolem universalem doctrinae Iesu efferri in Mt.

b. Conybeare, Ed. Meyer, Loisy, Cadoux etc. negant *formulam trinitariam baptismi* esse genuinam. Arguunt ex silentio Eusebii, qui ante Conc. Nicaenum (anno 325) numquam utatur hac formula, sed alia, scil. "baptizantes eos *in nomine meo*". Unde Conybeare infert formulam trinitariam defuisse in codicibus antenicaenis, saltem in iis quos Eusebius prae manibus habuit.

R. Textus est *critice certus*. Etenim a) formula trinitaria legitur in omnibus codicibus graecis et versionibus; b) citatur in Didache, apud Justinum, Pastorem Hermae, S. Irenaeum etc. Praeterea sic arguere possumus: In controversiis trinitariis saec. 4, Patres fidenter usi sunt hac formula tamquam argumento firmo scripturistico; atqui nisi textus fuisset indubie genuinus, adversarii facile negassent suppositum argumenti. Tandem ipse Eusebius ter citat plenum nostrum textum, ubi probare vult Trinitatem.[18]

B. **Ex Mc**

1. In *Mc 1, 1* υἱοῦ θεοῦ deest in S et 2 minusculis, atque omittitur ab aliquibus Patribus qui v. citant. Hinc deletur a Tischendorf (ed. 8), Westcott-Hort, Nestle; etiam Gächter v. habet suspectum (p. 73, 74).

R. Duo haec verba sunt *critice certa*. Nam a) fere omnes codices graeci et versiones ea habent; eorum omissio autem in paucissimis codicibus facile explicatur ex incuria unius vel alterius librarii. b) Non erat scopus Patrum illorum citare textum integrum.[19]

DieckmannE I p. 290-7; d'Herbigny, Eccl. II p. 325-6; Rosadini I p. 126-7; Ruffini p. 46-52; Grandmaison II p. 335-8; Pesch I n. 289; Lagrange, Mt p. 319-321; Arendzen, Prophets etc. p. 11-19; DA III col. 1339-1345; DThC s.v. Primauté col. 251-4.

[17]Knabenbauer, Mt II p. 287, 289-290; Lagrange, Mt p 442; Simón p. 491.

[18]Rosadini I p. 127; Lepin p. 375-9; Lagrange, Mt p. 544-5; Suppl. s.v. Baptême col. 859-862; Lebreton, Hist. I p. 599-610.

[19]Merk p. 659; Knabenbauer, Mc p. 25-6; Lagrange, Mc p. 3.

2. *Mc 3, 14.* In aliquibus codicibus graecis (Ferrar group), post ἐποίησεν δώδεκα additur: οὓς καὶ ἀποστόλους ὠνόμασεν. Additio haec non est genuina.

3. *Finalis Marci* (Mc 16, 9-20)

Multi critici hodierni (Tischendorf, Westcott-Hort, von Soden, Nestle, Lohmeyer, R. H. Lightfoot) hanc pericopen reiciunt. Rationes *externae*: a) Pericope haec deest in S, B, Ss atque in multis codicibus versionis sahidicae et armeniacae; b) Eusebius et S. Hieronymus testantur eam deesse in maiore numero codicum graecorum suorum (qui erant utique multo antiquiores quam nostri); c) Tertullianus et S. Cyprianus positive silere videntur; licet enim explicite agant de baptismo, numquam citant Mc 16, 16.—Praeterea in codice armeniaco ex saec. 10 (quem Conybeare invenit anno 1910), pericope adscribitur Aristioni.—Tandem textus multum variatur; scil. a) post v. 14 vel 15 legitur additamentum, breve apud S. Hieronymum, longius in W (Freer Logion); b) alia finalis legitur in k et in 2 codicibus aethiopicis.—Rationes *internae*: a) Deest nexus cum praecedentibus. b) Narratio videtur esse merum summarium eorum quae leguntur in aliis evangeliis. c) Stilus differt a stilo Mc.

R. *In genere*: Quamvis hae rationes non careant omni pondere, tamen non demonstrant pericopen esse spuriam (D 2156). Immo textus est *probabilissime genuinus.* Etenim a) textus noster iam exstabat saec. 2 (Tatianus totum textum posuit in Diatessaron; S. Justinus alludit ad 16, 9; S. Irenaeus citat ultima verba, et Origenes loquitur de iisdem); b) Plurimi codices graeci et versiones habent nostrum textum; unde arguimus: Id factum est quod facilius fieri potuit; atqui facilius fuit omittere textum in paucis codicibus quam addere in pluribus. c) Ex ratione interna: Pericope congruit cum praedicatione Petri; nam sicut Petrus praedicat (1 Petr 3, 21) Dominum ascendentem in caelum et sedentem a dextris Patris, ita Mc 16, 19; atqui Marcus scripsit evangelium iuxta praedicationem Petri.

In specie, rationes allatae contra genuinitatem pericopes solvi possunt. Rationes *externae*: ad a) In S pericope per errorem omissa est, postea addita est ab eodem scriba.[20] In B relinquitur spatium liberum post Mc 16, 8, quod fere sufficeret pericopae

---

[20] Revue biblique 1938 p. 610.

excipiendae; ergo is qui scripsit B, non simpliciter reprobavit eam; porro in B etiam alii textus omittuntur qui sunt critice certi. In Ss habetur signum peculiare in fine evangelii. ad b) Eusebius et S. Hieronymus videntur exaggerasse, et S. Hieronymus retinuit textum in sua emendatione Italae. ad c) Ratio huius silentii potuit esse quia noverunt pericopen deesse in aliquibus codicibus. Quoad cetera: Et codex iste armeniacus et manuscripta aethiopica sunt nimis recentia. Additamenta autem non putantur esse genuina ab ullo critico.—Ad rationes *internas*: ad a) Obiectio haec non est futilis, et manet aliqua obscuritas. Fortasse Marcus subito impeditus est ne finiret opus inceptum, addidit tamen conclusionem praeliminarem, et factae sunt copiae evangelii cum hac conclusione; postea Marcus addidit nostram conclusionem et vulgavit librum. ad b) *N*. Habentur propria in v. 16. ad c) *N*. Narratio tamen est magis summaria.[21]

C. **Ex L** (D 2157-8)

1. *Historia infantiae* (L 1, 5-2, 52)

Haec narratio olim expuncta est a Marcione, eumque sequitur Wellhausen. Recentius rationalistae quidam (Eichhorn, Baur, Usener, Conybeare) eam reiecerunt a) ob indolem aramaicam, b) ob miracula ibi narrata, c) ob discordantiam cum Mt.

R. Textus est *critice certus*. Nam continetur in omnibus codicibus graecis et versionibus antiquis, atque citatur a S. Justino, in fragmento Muratoriano, a S. Irenaeo etc. Rationes contrariae: ad a) Harnack ex stilo et vocabulario arguit eundem esse auctorem horum capitum et reliqui evangelii. ad b) et c) cf. supra p. 128.[22]

2. *L 2, 14* "Gloria in altissimis Deo etc.". Cf. Holzmeister, in VD 1938 p. 354-5.

3. *L 9, 55-6* "Et dixit: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare". Valde dubitatur

---

[21]Knabenbauer, Mc p. 446-455; Ruffini p. 80-90; Rosadini I p. 147-151; Merk p. 656-8; Holzmeister p. 47-52; Dausch p. 17-18; Simón I p. 40-3; Gächter p. 77-8; Lagrange, Mc p. 456-468; Dean, Mark p. xii-xiv; Arendzen, Prophets etc. p. 26-40; Suppl. s.v. Freer; Höpfl-Gut p. 85-91; Lattey, in Cath. Bibl. Qu. 1940 p. 197-203.

[22]Merk p. 676; Rosadini I p. 172-3; Ruffini p. 118; Lahousse I p. 227-236; Machen p. 44-74, 210-229;—Omittimus 3 alios textus, scil. de conceptu virginali (L 1, 34-35), de Magnificat (L 1, 46), de baptismo (L 3, 22). De quibus legi possunt Ruffini p. 119-124, 133-6, 194-6; Machen p. 88-93, 120-168.

num hoc dictum sit genuinum; omittitur a Lagrange, Nestle, Merk.[23]

4. *Institutio Eucharistiae* (L 22, 17-20)

Huius pericopes exsistunt tres formae: textus longior, textus brevior, textus mixtus. a) Textus *longior* (quem habes apud Merk), legitur in omnibus codicibus graecis (praeter D), in aliquibus codicibus veteris latinae, in versionibus coptica, armeniaca, georgica, aethiopica; eum videntur etiam testari Marcion, Justinus, Tatianus. b) Textus *brevior,* in quo omittitur v. 19 b-20, legitur in D et aliquibus codicibus veteris latinae; ei favent Westcott-Hort, Nestle, Schürer etc. Peshitto omittit v. 17-18. c) Textus *mixtus* habet partes v. 19 b-20, sed eas miscet cum v. 17-18.

R. Textus *longior* est *critice certus*: testes sunt plurimi et optimi; rationes internae eum postulant; lectiones variantes ex eo explicari possunt, sed non ex textu breviore aut mixto.[24]

5. *Sudor sanguineus* (L 22, 43-44)

Desunt hi duo versus a) in 6 codicibus graecis maiusculis et in 7 minusculis, b) in Ss, in optimis manuscriptis versionis bohairicae et in nonnullis manuscriptis versionis sahidicae, c) in commentariis S. Cyrilli Alex. et S. Ambrosii. Tandem in "Ferrar group" narratio legitur post Mt 26, 39.—Hinc critici quidam (Lachmann, Westcott-Hort, von Soden, Nestle) narrationem uncis includunt—velut dubiae genuinitatis.

R. Textus videtur esse *critice certus.* Etenim a) testes genuinitatis sunt plurimi et optimi. b) Nulla probabilis ratio assignari potest cur talia fingantur et interpolentur; e contrario, erat bona ratio ea omittendi; nam Ariani hoc textu abutebantur ut negarent divinitatem Christi.[25]

6. *Petitio veniae* (L 23, 34) deest in B et D, in 38 et 435, in a, b, d, Ss, et in versionibus copticis.—Hinc Hort eam omittit; Nestle eam ponit inter uncos.

R. Verba Iesu sunt *probabilius genuina.* Leguntur enim in

---

[23]Knabenbauer, L p. 333-4; Merk p. 677; Zahn II p. 363; Dausch p. 484; Lebreton, Life etc. II p. 46; Simón I p. 441.

[24]DThC s.v. Eucharistie col. 1062-5; Lagrange, L p. 545-7; Zahn II p. 363-5; Lebreton, Life etc. II p. 236; Benoit, in Revue biblique 1939 p. 357-393; Suppl. II col. 1170-1.

[25]Merk p. 677; Ruffini p. 125; Holzmeister p. 53; Lagrange, L p. 561-3; Grandmaison II p. 202; Prat, J.-Chr. II p. 331.—Num sudor sanguineus fuerit miraculum, cf. Dausch p. 552; Ruffini p. 127-8; Knabenbauer, L p. 598-9.

omnibus aliis codicibus graecis et versionibus antiquis, etiam in Diatessaron Tatiani, atque citantur a multis scriptoribus primorum saeculorum. Hinc critici fere omnes ea retinent (Tischendorf, von Soden, Vogels, Merk).[26]

7. *Ascensio Domini* (L 24, 51-2). D, pauci codices versionis latinae, versio syriaca omittunt "et ferebatur in caelum . . . ipsi adorantes". At ratio in aperto est; textus enim videbatur contradicere Act 1, 1-14 (infra p. 165).

D. **Ex J**

1. *Angelus piscinae* (J 5, 4)

Hic versus deest in S, B, C, D et in 2 minusculis; aliqui codices graeci qui eum retinent, eum notant asterisco. Versus etiam deest in d, f, l, q, in Ss et Sc, in antiquioribus codicibus versionis copticae, in versione armeniaca. Manuscripta autem quae versum retinent, eum tradunt sub triplici forma. Tandem mirum est quod scripta rabbinica illius aetatis silent rem tam stupendam.—Hinc versus reicitur ut spurius a Tischendorf, Westcott-Hort, von Soden, Nestle; item ab aliquibus Catholicis: Schanz, Calmes, Le Camus, Belser, Brassac, Tillmann, Lagrange, Gächter.

R. *Probabilius* est versum esse *genuinum*. Cum enim rationes externae fere aequae sint ex utraque parte, praevalere videtur ratio interna, scil. J 5, 7 intellegi nequit nisi supponatur J 5, 4.[27]

2. *Inversiones*

Ut interpretatio facilior fiat, aliqui critici (v.g. Bernard, Streeter), etiam Catholici (v.g. Meinertz, Lagrange, Grandmaison, Braun, Tillmann, Sigge, Sutcliffe) invertere volunt capita 5 et 6, scil. ita ut caput 6 statim ponatur post J 4, 54. Quam inversionem iam fecerat Tatianus in suo Diatessaron.—Alii mutare volunt ordinem capitum 14-16.—Alii tandem ponunt v. 18, 24 statim post 18, 13 (sicut legitur in Ss et intellegebatur a S. Cyrillo), vel putant vv. 18, 14-23 esse similiter dislocatos.[28]

---

[26] Knabenbauer, L p. 619; Grandmaison II p. 202; Prat, J.-Chr. II p. 396; Dausch p. 557; Lagrange, L p. 587-8.

[27] Merk p. 766; Ruffini p. 304-6; Rosadini I p. 257-9; Knabenbauer, J p. 199-200; Prat, J.-Chr. I p. 403; Fouard, The Christ I p. 393-4; Simón I p. 280.—Si versus est genuinus, tria sequuntur (dogmatice): a) versus est etiam inspiratus et canonicus (ex D 784), b) phaenomenon nequit dici mera popularis explicatio vis medicinalis aquae (Tillmann, Lagrange), c) neque motio aquae neque sanatio aegroti primi explicari potest naturaliter.

[28] Lagrange, J p. cxx.

R. Verum omnino est interpretationem multo faciliorem fieri his inversionibus. Hucusque autem obstabat traditio textualis, quae ne suspicionem quidem creavit eas fuisse originales. Hodie tamen, post inventos novos papyros, rem sic *probabiliter* explicant: J scriptum est non in forma voluminis, sed codicis, qui constabat paginis et foliis; potuit igitur esse ut in compositione codicis quaedam paginae vel folia dislocarentur.[29]

3. *Mulier adultera* (J 7, 53-8, 11)

Multae rationes adducuntur contra genuinitatem huius pericopes. Rationes *externae*: a) Pericope deest in S, B, N, T, X, W et in 100 minusculis; A et C mutili sunt in hoc loco, sed probabilius caruerunt textu; in L relinquitur spatium vacuum; alii codices graeci qui retinent pericopen, eam notant asterisco. Tandem in "Ferrar group" pericope legitur non in J, sed post L 21, 38. b) Pericope deest in a, f, l, q, et in versionibus syriaca, armeniaca, sahidica, gothica. c) Nullus scriptor graecus ante medium aevum ad hanc pericopen refert; ex scriptoribus latinis, neque Tertullianus neque S. Cyprianus eam commemorant; 'Catenae' medii aevi eam aut omittunt aut asterisco notant.—Rationes *internae*: a) Narratio non cohaeret cum contextu. b) Stilus alienus est a stilo J, atque potius concordat cum stilo L. c) In J alias numquam legitur "scribae et pharisaei", neque inimici umquam "tentant" Iesum.

Hinc pericopen reiciunt Tischendorf, Westcott-Hort, von Soden, Nestle; eam esse dubiae genuinitatis iudicant aliqui Catholici: Vogels, Belser, van Kasteren, Lagrange, Sickenberger, Tillmann, Gächter, Höpfl-Gut.

R. Pericope *probabilius genuina* est. Imprimis eam mutuatam esse ex Mt vel L (uti volunt Belser, van Kasteren), prorsus incredibile videtur. Dein multo facilius explicatur omissio pericopes quam eius interpolatio. Scil. pericope omittebatur ne adulterium excusari videretur (ita iam S. Augustinus); sed nulla ratio probabilis excogitari potest cur interpoletur.

Quoad rationes *externas*: ad a) Pericope tamen legitur in ceteris maiusculis (etiam in D) et in plurimis minusculis. S. Hieronymus testatur eam legi "in multis codicibus graecis et latinis", atque ipse eam retinuit. ad b) Pericope adest in aliis codicibus latinis, in una

---

[29] Zerwick, in VD 1939 p. 219-224; Lagrange, Gospel II p. 216; B. Orchard, in Downside Rev. 1939 p. 315-327.

versione syriaca, in bohairica et aethiopica, in Diatessaron latino etc. ad c) Pericopen iam allegant Papias et Didascalia.—Ad rationes *internas*: Hae habent aliquam vim, sed laborant infirmitate generali rationum internarum in his rebus.[30]

4. *Conclusio Evangelii* (J 21)

a. Hoc caput esse genuinum, *critice certum* est. Continetur enim in omnibus codicibus graecis et versionibus antiquissimis, neque ullus scriptor antiquus dubitavit de eius genuinitate.

At inde a saec. 16 rationes *internae* dubium genuerunt. Etenim a) caput videtur esse additamentum, et quidem b) scriptum post mortem auctoris evangelii (ex v. 23), immo a pluribus ("scimus"). Tandem vocabula occurrunt quae non leguntur in reliquo evangelio.

R. Caput 21 esse additamentum seu *appendicem,* negari nequit; id iam notatum est a S. Augustino et S. Thoma. At a) caput hoc additum est antequam evangelium vulgaretur; nam ne vestigium quidem exsistit evangelii sine eo. Immo b) certum esse videtur caput additum esse ab auctore totius evangelii. Harnack non dubitavit quin esset ex eadem manu ac reliquum evangelium; ad eandemque conclusionem pervenit Walter Bauer, philologus peritus (in 3a ed. sui commentarii 1933).

b. Dubium tantum manere potest quoad *vv. 24-25*; atque etiam ex Catholicis sunt qui dubitent de eorum genuinitate; v.g. Huby (p. 155), Holzmeister (p. 71), Lagrange (J p. xv, 534-5), Höpfl-Gut (p. 224), Gächter (p. 174).

R. Imprimis pro *v. 24* saltem critica textualis est aeque certa ac pro toto capite 21; lingua et stilus autem distincte produnt characteristica J.

Quoad *v. 25*: a) Tischendorf putavit hunc versum aliena manu additum esse in S; b) Blass autem iudicavit eum "dicendi genere a Ioanne genuino longe distare".—Nihilominus versus hic iure retinetur (v.g. a Nestle, Merk). Nam ad a) verum est versum in S postea additum esse, sed eadem manu;[31] ad b) Blass exaggeravit diversitatem stili.[32]

---

[30] Knabenbauer, J p. 283-5; Rosadini I p. 261-3; Ruffini p. 306-311; Höpfl-Gut p. 220-3; Lagrange, J p. 221-6; Joüon p. 508-510; Gächter p. 147-8; DA I col. 1619; Prat, J.-Chr. II p. 47; Lebreton, Life etc. II p. 18-20.

[31] VD 1938 p. 63-4; Merk, in Biblica 1938 p. 202-3.

[32] Rosadini I p. 246, 261-3; Ruffini p. 299-300; Donovan p. 151-8; Joüon p. 600; Milligan p. 117; Simón I p. 85; Zahn II p. 492-507; Vaganay, in Revue biblique 1936 p. 512-528; Lepin, L'origine du quatrième évangile p. 286-333; Sanday, Criticism of the Fourth Gospel p. 63-4.

ARTICULUS 5

PROBLEMA SYNOPTICUM

A. Origo Problematis

Tria prima evangelia nostra (Mt, Mc, L) vocantur ***synoptica*** quia tanta inter ea cernitur similitudo ut dicenda sint referre *eundem conspectum* vitae publicae Domini (supra p. 84). At simul cum hac similitudine cernitur mira *dissimilitudo*. Quae similitudo et dissimilitudo apparet in tribus:

a. Quoad *selectionem materiae*. a) *Similitudo* adest. Nam 3 synoptici narrant ministerium galilaicum; fere nihil dicunt de iis quae Iesus fecit in Judaea (de quibus in J). Insuper omnes narrant fere eadem facta, eadem miracula, eosdem sermones Domini, quamvis Iesus multa alia fecerit ac dixerit, etiam in Galilaea (v.g. miraculum Canae). b) *Dissimilitudo* adest. Nam unusquisque synopticorum habet sibi propria: Mt promissionem primatus, L historiam Zachaei et duas parabolas, Mc duo miracula. In Mc deest historia infantiae Iesu.

b. Quoad *ordinem materiae*. a) *Similitudo* adest. Nam omnes synoptici sequuntur idem schema generale, quod continet 4 partes: praeparationem Iesu ad ministerium publicum, ministerium galilaicum, iter ultimum ad Jerusalem, passionem et resurrectionem. Insuper eadem facta saepe narrantur eodem ordine, quamvis neque chronologia neque contextus videatur eum postulare; sic una series factorum est haec: sanatio paralytici—vocatio Matthaei—quaestio de ieiunio (Mt 9, 1-18; Mc 2, 1-22; L 5, 17-39); alia series communis est haec: sedatio tempestatis—sanatio possessorum—sanatio mulieris cum fluxu sanguinis—suscitatio filiae Iairi (Mt 8, 23-9, 26; Mc 4, 35-5, 45; L 8, 22-56). b) *Dissimilitudo* adest. Nam schemati generali historia infantiae praemittitur in Mt et L, non vero in Mc. In Mt omnes fere sermones Domini uniuntur initio evangelii; in L sparguntur et variis occasionibus assignantur.

c. Quoad *modum dicendi*. a) *Similitudo* adest. Nam saepe eadem facta narrantur verbis fere iisdem ab omnibus synopticis; v.g. sanatio paralytici (Mt 9, 2-6; Mc 2, 5-11; L 5, 20-24). Immo eaedem voces et phrases rarae interdum leguntur in eodem contextu

apud omnes; v.g. τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ in Mt 4, 5 et L 4, 9. Etiam citationes ex V.T. interdum sunt eaedem, quamvis concordent neque cum textu nostro hebraico neque cum LXX; v.g. Mt 3, 3; Mc 1, 3; L 3, 4. b) *Dissimilitudo* adest ubi exspectares concordiam perfectam; v.g. in oratione Dominica (Mt 6, 9-13; L 11, 2-4), in formula consecrationis (Mt 26, 26-28; Mc 14, 22-24; L 22, 19-20), in titulo crucis (Mt 27, 37; Mc 15, 26; L 23, 38).

Unde problema synopticum hoc est: Quomodo *explicanda* est haec similitudo et dissimilitudo evangeliorum synopticorum?

B. Explicationes falsae

Mira haec similitudo et dissimilitudo tribui nequit a) *casui;* casu talia fieri, simpliciter impossibile est. Neque b) explicari potest ex *inspiratione* evangeliorum; cur enim Spiritus s. inspiraret divergentias v.g. in oratione Dominica vel in titulo crucis?

Aliqui, obliti dissimilitudinis mirae, duplicem explicationem dederunt similitudinis, scil. a) *necessitatem,* quasi synoptici non potuerint aliter describere vitam Iesu, vel b) tendentiam librariorum (copyists) *harmonizandi,* i.e. mutandi textum unius evangelii ita ut concordaret cum textu alterius. At a) problema synopticum non est solutum nisi etiam explicetur mira dissimilitudo inter synopticos; b) vitam Iesu etiam aliter describi potuisse, patet ex J; c) ex critica textuali constat has harmonizationes fuisse raras.

C. Explicationes insufficientes

1. *Evangelium primitivum* (proto-evangelium)

a. G. E. Lessing (1784) et J. G. Eichhorn (1794) hanc solutionem problematis synoptici excogitabant: Paulo post Christi mortem conscriptum est ab Apostolis breve *compendium* (semitice) praecipuorum factorum et sermonum Domini. Quod dein versum est in linguam graecam et vulgatum inter Christianos. Sed paulatim variae modificationes ortae sunt, et servatae nobis sunt 3 formae huius compendii modificati, quae sunt Mt, Mc, L.[1]

Iudicium: a) Theoria haec caret fundamento historico; nemo enim testatur exsistentiam talis proto-evangelii. b) Theoria etiam neglegit traditionem de modo quo ortum est Mc. c) Theoria vix tangit miram dissimilitudinem synopticorum.

---

[1]Scott, Lit. etc. p. 25-6; Fascher p. 8-10.

b. Aliter rem concipit *Vannutelli*: Primus Matthaeus scripsit evangelium hebraice vel aramaice; quod mox versum est graece, fortasse a Matthaeo ipso. Inde derivantur evangelia synoptica. Scil. a) Mt, licet redactio anonymi, substantialiter concordat cum evangelio graeco Mt; b) Mc est opus Marci, qui et secutus est catechesim Petri et abbreviavit evangelium Matthaei; c) L est opus Lucae, qui pendet a Mc et Paulo, sed addidit quaedam ex penu suo.

Iudicium: a) Haec theoria nimis neglegit dissimilitudinem miram inter synopticos. b) Si Mc comparatur cum Mt, in multis apparet ut magis originale.[2]

2. *Catechesis oralis*

Parens huius theoriae est J. C. Gieseler (1818). Iuxta eam (quae etiam placet quibusdam Catholicis), ortus est paulatim in Ecclesia primitiva *modus uniformis* narrandi et praedicandi gesta ac dicta Domini. Praesertim pro instructione catechumenorum a) seligebatur eadem materia, b) servabatur idem ordo, immo c) figebantur phrases quaedam ac voces. In praxi tamen catechesis aliquomodo diversificari debuit pro diversis classibus catechumenorum. Atque ortae sunt 3 formae: una pro Judaeis (Jerusalem), altera pro Graecis (Antiochiae), tertia pro classe mixta (Romae). Tandem Matthaeus literis consignavit primam formam catechesis, Marcus tertiam, Lucas secundam.[3]

Iudicium: Haec theoria a) non explicat dissimilitudinem in rebus in quibus exspectanda erat uniformitas absoluta; si quid figebatur pro catechesi, cur non figebatur oratio Dominica, formula consecrationis, titulus crucis? Adde b) quod Lucas (1, 1) dicit "multos" ante se conatos esse describere vitam Iesu; cur synoptici non potuerunt uti his scriptis?

3. *Dependentia mutua*

Haec theoria rem sic explicat: Is qui primo scripsit, usus est catechesi orali; secundus usus est primo evangelio; tertius usus est primo vel secundo vel utroque.

Iudicium: Haec theoria bene quidem explicat miram concordiam synopticorum in rebus minoris vel nullius momenti, immo in ipsis verbis; talis concordia enim vix explicatur nisi ex aliqua dependentia literaria. At a) theoria omittit dissimilitudinem in rebus

[2]Holzmeister, in Biblica 1937 p. 211-4; Benoit, in Revue biblique 1938 p. 111-5.

[3]Simón I p. 70.

summi momenti. b) Critici quibus praeplacet haec theoria, non concordant inter se quo ordine orta sint synoptica (Griesbach: Mt, L, Mc; Lachmann: Mc, Mt, L; Wilke: Mc, L, Mt).

4. *Theoria fragmentorum*

Haec theoria, olim proposita a Schleiermacher, hodie nota est sub nomine 'Form Criticism' (supra p. 86).

Iudicium: Haec theoria a) neglegit similitudinem miram synopticorum, b) negat unitatem literariam evangeliorum, c) de facto est crasse rationalistica.

5. *Theoria duorum fontium* (Zweiquellentheorie)

Inde a saec. 19, plerique non-Catholici (et pauci Catholici) sic solvebant problema synopticum: Initio exstabant duo documenta scripta, scil. *Mc et Q*. Mc erat vel Ur-Markus vel nostrum Mc; Q erat vel documentum hodie deperditum vel "Logia" de quo loquitur Papias. Auctores Mt et L dein usi sunt his duobus documentis.[4]

Iudicium: a) In hac theoria pessumdatur genuinitas et integritas Mt, atque ordo chronologicus quo, secundum traditionem, orta sunt synoptica; unde mirum non est quod Commissio biblica eam ne ut probabilem quidem admittit (D 2151, 2165). b) Si discursus Domini hausti sunt ex eodem documento (Q vel Logia), cur tantopere differunt?

Speciatim *contra Q* tria urgeri possunt: a) Recte dicit J. H. Ropes (The Synoptic Gospels p. 37): "The grounds on which its existence is inferred by modern scholars are far less secure than is commonly represented or supposed". b) Cur traditio nihil habet de eius exsistentia? Si audimus criticos, Q fuit collectio copiosa summae auctoritatis et antiquitatis, scripta graece ac proinde omnibus accessa, adhuc superstes in fine saec. 1; estne credibile tale documentum disparuisse sine ullo vestigio? c) Critici non consentiunt quae res fuerint in eo contentae; utrum omnia quae leguntur in Mt et L, sed non in Mc, an saltem ea quae communia sunt Mt et L, an tantum sermones Domini. Multi quidem conati sunt reconstruere Q (v.g. Harnack, The Sayings of Jesus; Easton, What Jesus Taught), sed hae reconstructiones sunt nimis arbitrariae.

Nihilominus critici pergunt loqui de Q quasi prae manibus habuerint eius autographum.

---

[4]supra p. 107.

6. *Theoria plurium documentorum*

Quia "theoria duorum fontium" multa non explicat, his ultimis decenniis critici assumunt plura documenta primitiva, scil. praeter Mc et Q. Sic Harnack eis addidit L, documentum ex quo desumpta sit materia propria evangelio tertio; Streeter assumpsit L pro tertio evangelio et M pro primo; W. Bussmann postulat 8 fontes.[5]

Iudicium: Theoria haec supplet quidem quasdam lacunas prioris theoriae, sed retinet eius defectus radicales.

D. **Solutio probabilis**

Solutio problematis synoptici quae hic proponitur, non tantum sumit ea quae vera esse videntur in variis theoriis reiectis, sed nititur etiam iis quae aliunde certa sunt vel solide probabilia. Ad haec pertinent a) unitas literaria, integritas substantialis, genuinitas evangeliorum synopticorum (theses 6-8), b) ea quae traduntur de lingua originali, de tempore et ordine compositionis eorum (supra p. 81-82, 119-121), c) ea quae aliunde scimus de vita Ecclesiae primitivae eiusque evolutione historica.

1. Generatim loquendo synopticis praesto erant *5 fontes* ex quibus, data occasione, suam cognitionem haurire poterant: a) *memoria Apostolorum* aliorumque testium oculatorum, b) *traditio oralis* in genere, atque in specie c) *liturgia* primitiva ac praesertim d) *catechesis,* tandem e) documenta *scripta.* Qui 5 fontes tamen non sunt concipiendi ut adaequate inter se distincti, sed ut magis vel minus inter se dependentes. Percurramus singulos:

a. Cum singuli *Apostoli* fuissent testes oculati totius vitae publicae Iesu (Act 1, 21-22), ipsi saltem ex memoria propria poterant et narrare et praedicare. Hunc fuisse fontem praecipuum synopticorum, patet ex natura rei et ex traditione antiquissima.— Praeter Apostolos autem praesto erant multi alii *testes oculati,* saltem aliquorum eventuum; v.g. B. V. Maria, piae mulieres, Lazarus, Joseph ab Arimathaea etc.

b. Ea quae Apostoli narrabant et praedicabant de vita Iesu, a primis Christianis conservabantur ac coram aliis repetebantur. Sic naturaliter orta est *traditio* quaedam oralis.[6]

c. Speciatim usus *liturgicus* Ecclesiae mox postulabat ut res

---

[5]Scott, Lit. etc. p. 32-48.

[6]Lebreton, Life etc. I p. xiii-xv.

quaedam praedicarentur modo definito, ita ut etiam voces, phrases etc. fierent fixae ac determinatae.

d. Simile aliquid fieri poterat ad usum *catecheticum,* ita ut oriretur determinata collectio miraculorum, parabolarum, dictorum, praesertim eventuum passionis et resurrectionis. Neque absurde dicitur Apostolos ad hunc usum adoptasse schema generale quo tota vita Iesu publica distribueretur per 4 capita (supra p. 137).[7]

e. A priori non est negandum quasdam ex his rebus iam esse *scriptas* ante Mt, sive ab Apostolis sive ab eorum discipulis sive ab aliis—uti Lucas (1, 1) innuere videtur. Neque ab evangelistis alienum erat uti documentis scriptis.

2. *Evolutio rerum*

Historia nobis tradit successionem eventuum qui huc pertinent.

a. In Ecclesia infante, qualis exsistebat a die Pentecostes in Jerusalem, plurimi erant *Judaeo-Christiani.* Hinc scopus (saltem partialis) catechesis primitivae erat probare Iesum fuisse Messiam diu exspectatum a Judaeis; Apostoli id probaverunt ex impletione prophetiarum V.T. (cf. brevem synopsim sermonum Petri in Act 2, 14-36 et 3, 11-4, 4). Porro Judaei illi bene cognoverunt vitam et miracula Iesu; ipsi enim ea viderant vel non potuerant non ea audire ab aliis. Hinc nulla erat necessitas indicandi exactum tempus aut locum factorum.[8]

b. Mox advenerunt multi Judaei ex *diaspora* (qui in Act vocantur Ἑλληνισταί), inter quos erat Stephanus. Cum hi loquerentur graece, evangelium eis praedicabatur graece. Atque sic multa dicta Iesu receperunt suam vestem graecam, quam retinuerunt usque ad compositionem evangeliorum.

c. Hellenistae dispersi ex Jerusalem praedicabant evangelium Damasci et Antiochiae; et Barnabas eo missus est ut invigilaret praedicationi. Cum autem plurimi catechumeni ibi essent *gentiles,* catechesis elementaris variari debuit. Scil. a) Iesus praedicabatur ut legatus divinus et Deus magis quam ut Messias; b) omittebantur prophetiae messianicae atque oppositio inter Iesum et pharisaeos;

---

[7]Aliqui putant fuisse distinctionem inter catechesim elementarem et altiorem. Catechesis *elementaris* ostendit a) pro Judaeis, Iesum fuisse Messiam ab eis exspectatum, b) pro non-Judaeis, Iesum fuisse legatum divinum. Hanc catechesim synoptici nobis tradunt. Catechesis *altior* his addidit explicitam probationem divinitatis Iesu aliorumque mysteriorum (v.g. Eucharistiae). Haec catechesis continetur in J. Cf. Tillmann p. 30-2.

[8]Ruffini p. 35-43; Merk p. 639; Simón I p. 6-8.

c) accuratius describi debuerunt eventus, sermones, miracula, quae omnia ignota erant catechumenis istis (cf. brevem synopsim sermonis Petri in Act 10, 34-43).

d. Petrus ex Antiochia *Romam* venit, ubi catechesis iterum adaptari debuit auditoribus.

e. Antiochiae *Paulus* non tantum ipse audierat catechesim apostolicam, sed eam etiam tradidit suis sociis, inter quos Lucas.

3. *Origo evangeliorum synopticorum*

a. *Matthaeus* Apostolus scripsit primarie secundum memoriam suam. Sed a) secutus est schema generale catechesis elementaris; b) etiam usus est aliis fontibus (oralibus vel scriptis), praesertim pro historia infantiae Iesu, cuius Apostoli non fuerant testes oculati. —Is qui vertit Mt in linguam graecam, emendavit dictionem et res quasdam minimas addidit; videtur etiam cognovisse Mc.

b. *Marcus,* socius Petri, scripsit evangelium iuxta huius praedicationem, quae substantialiter erat catechesis elementaris, licet adaptata Romanis. Non videtur pendere a Mt aut usus esse aliis fontibus.

c. *Lucas* usus est Mc; nam sequitur illud pro vita publica. Sed usus est etiam aliis fontibus (oralibus et scriptis): pro historia infantiae et passionis, pro L 3, 1-4, 30, pro 6, 20-8, 3, pro 9, 51-18, 14.—Valde dubium est num usus sit Mt (sive originali sive graeco). Si enim usus esset primo evangelio, non esset tanta discrepantia a) in historia infantiae (cur v.g. omisit adorationem magorum, quae ad eius finem optime fecisset?), b) neque in compositione discursuum Domini.

4. *Solutio brevis ac generalis*

Similitudo evangeliorum synopticorum quoad schema generale debetur catechesi primitivae; similitudo quoad materiam et formam autem explicari potest ex eo quod versio graeca Mt et Lucas pendent a Mc.—*Dissimilitudo* debetur vel memoriae personali (in Mt) vel documentis propriis (praesertim in L) vel indoli personali.[9]

---

[9]CE s.v. Synoptics; DA I col. 1623-1634; Dict. prat. s.v. Synoptiques; LThK s.v. Synoptische Frage; Holzmeister p. 54-63; Gáchter p. 116-135; Rosadini I p. 179-203; Ruffini p. 140-167; Simón I p. 62-73; Merk p. 697-713; Dausch p. 20-32; Knabenbauer, Mt I p. 39-53; Lebreton, Life etc. I p. xiii-xxi; II p. 1-6; Grandmaison I p. 91-118; Huby p. 11-44; Höpfl-Gut p. 146-185; Rideau, in Biblica 1934 p. 484-504; Cerfaux, in EphL 1935 p. 5-27; Suppl. II col. 1218-1230; Lagrange, Mt p. xxxii-lxxvii; idem, Mc p. cviii-cxxv; idem, L p. xlviii-xciv.

ARTICULUS 6

CREDIBILITAS EVANGELIORUM

Thesis 9

Quattuor nostra Evangelia auctoritate historica gaudent, saltem per se et quoad substantiam.

Cf. Dausch p. 33-39; Falcon p. 162-204; Felder, Christ etc. I p. 66-117; Gächter p. 135-8, 158-164; Grandmaison I p. 117-124, 172-183; Höpfl-Gut p. 224-250; van Laak, Rev. p. 25-56; Lepin p. 29-56; Merk p. 714-733, 756-772; Pesch I n. 98-104; Rosadini I p. 203-223, 263-282; Ruffini p. 167-220, 313-356; Simón I p. 90-5; Tillmann p. 22-40.

In thesibus 9-11 ponitur fundamentum historicum remotum Apologeticae scientificae (cf. supra p. 16); patet igitur momentum earum gravissimum.

Auctoritas historica libri est illa qualitas propter quam credi possunt ea quae in eo narrantur ut facta, seu propter quam eius narrationibus historicis fides (humana) praestari potest. Vocatur etiam 'credibilitas', 'historicitas', 'authentia'.

Asserimus igitur facta narrata in 4 nostris evangeliis credi posse. Nondum dicimus ea esse etiam credenda (cf. supra p. 29).

Hanc assertionem tamen dupliciter modificamus:

a. Dicimus '*per se*'. Scil. asserimus evangeliis fidem praestari posse nisi forte *in casu particulari* obstet ratio valida. Quo in casu onus probationis incumbit negantibus et dubitantibus. Negamus igitur principium methodologicum quod olim statuit W. Wrede, scil. evangelia legenda esse cum magna circumspectione et skepticismo.

b. Dicimus '*quoad substantiam*'. Id quod dupliciter sumi potest. a) Liber historicus *qua totum* est substantialiter credibilis si eius finis, subiectum etc. respondent veritati; sic liber qui describeret Napoleonem ut virum timidum, humilem etc., esset substantialiter falsus, etsi partes aliquae essent forte historice verae. b) *Partes* libri historici sunt substantialiter credibiles si substantialiter respondent veritati. Tandem c) utroque sensu, substantia opponitur *accidentalibus,* quae sunt minoris vel nullius momenti in contextu.

Asserimus igitur evangelia qua tota et quoad partes substantiales

respondere obiectivae realitati. Non autem asserimus evangelia esse vera etiam quoad res minimas.

c. Dicimus *'saltem'*, quia postea plus probabimus. Historice autem plus probari nequit; neque plus requiritur pro Apologetica.

Tria adhuc notanda:

a. Loquimur de evangeliis qua *historicis*. Nihil directe dicimus de veritate doctrinarum quas evangelistae proponunt (v.g. prologus in J) vel citant; aliud enim est testimonium historicum, aliud doctrinale.

b. *Distinctio* inter substantiam narrationis et accidentalia communis est omni historiae humanae; atque nisi fiat, historia impossibilis fit. Nihilominus rationalistae eam recusant ubi agitur de evangeliis, vel saltem de miraculis.[1]

c. In altero tractatu probabimus inerrantiam *absolutam* evangeliorum. Sed ne apologetice quidem concedimus (contra Bruce, The Mirac. Element etc. p. 97) adesse ullam veram contradictionem aut errorem, etiam in rebus minoris vel nullius momenti; secus enim haberemus theoriam "duplicis veritatis".

ADVERSARII

In genere, thesi adversantur *rationalistae* ("critici altiores", "critici biblici"). Hi quidem retinent principia philosophica deistarum, sed cum potius agant de re historica, scil. de facto revelationis, eis addiderunt sua principia historica (supra p. 37). Cum autem examinarent evangelia in luce horum principiorum, ad varia *problemata* pervenerunt. Breviter ea describamus (systematice, non chronologice), atque addamus solutiones excogitatas a rationalistis.

A. *Problema generale*

1. Evangelia qua tota evidenter agunt de vita et persona Iesu Nazareni. Atque transmissa eius infantia (de qua agitur tantum in Mt et L), 4 evangelistae narrant Iesum in ultima periodo suae vitae se proclamasse legatum Dei et qua talem a) auctoritative praedicasse varias doctrinas omnibus accipiendas, b) instituisse Ecclesiam tamquam societatem religiosam universalem, c) designasse personas quibus in ea esset munus regendi, docendi, sanctificandi. Etiam narrant Iesum se dixisse Messiam a Judaeis exspec-

---

[1]Thorburn, Resurr. etc. p. xiii; Scott, The Gospel etc. p. 50; Lagrange, Christ and Renan p. 52-3.

tatum et Filium Dei. Tandem narrant eum plurima miracula patrasse et a mortuis resurrexisse ut sibi conciliaret fidem, atque ascendisse in caelum.

Haec substantialiter est *imago Iesu* qualis depingitur in 4 nostris evangeliis.[2]

2. Inde igitur oritur problema generale: *Quid dicendum* de hac imagine Iesu? Atque rationalistae uno ore respondent: *Falsa est.*

3. Sed statim oritur aliud problema aeque generale: *Quomodo orta est* (logice vel psychologice) haec imago Iesu? Vix enim datur alius homo de quo talia narrentur.

Generalis responsio rationalistarum haec est: Primi Christiani (Apostoli vel eorum discipuli) *idealizaverunt* personam et vitam Iesu, atque 4 nostra evangelia nobis exhibent Iesum idealizatum.

Unde rationalistae concludunt: Distinctio facienda est inter *"Iesum fidei"* et *"Iesum historiae"*. Iesus fidei est Iesus ut depingitur in evangeliis, et est mera idealizatio; Iesus historiae autem est Iesus sicut vere exstitit in terra. Retineri quidem debet vel saltem potest (si cui placet) Iesus fidei.[3] Sed quaestio urget: Qualis fuit *Iesus historiae?*

4. Laborem improbum igitur impenderunt rationalistae iam per saeculum ut invenirent Iesum historiae. Non tantum enim in genere difficile est detegere realitatem sub idealizatione, sed in casu nostro sola fere documenta historica quae possint invocari, sunt ipsa evangelia. Haec autem a priori suspecta sunt; nam scripta esse dicuntur ab iis qui vel ipsi Iesum idealizaverunt vel cooperabantur ad eius idealizationem.

B. *Problemata specialia*

Rationalistae, secuti sua principia, generatim putant se restituisse veram imaginem Iesu seu Iesum historiae, si historice explicaverint tria: Iesu miracula (praesertim resurrectionem), doctrinam, originem Ecclesiae. Atque inde a saec. 18 variae theoriae propositae

---

[2]Sunt quidem qui id negent (v.g. schola eschatologica); sed nimis evidens est hos vel omittere plurima quae etiam leguntur in evangeliis, vel detorquere verba evangeliorum in sensum alienum, vel alibi sibi contradicere. Mentione autem vix digni sunt pauci qui dicunt Iesum numquam exstitisse.

[3]Sic dixit Strauss: "The supernatural birth of Christ, his miracles, his resurrection, remain eternal truths, whatever doubts may be cast on their reality as historical facts".

sunt quibus reduceretur imago Iesu idealizata ad dimensiones pure humanas et naturales.[4]

1. Quoad *miracula* Iesu

a. *Theoria fraudis*—excogitata ab H. S. Reimaro (1694-1768). Secundum Reimarum, discipuli Iesu firmiter crediderunt eum esse Messiam et mox instituturum esse "regnum Dei". Morte eius autem hac spe privati sunt. Ut eam recuperarent, Christo affinxerunt varia miracula, praesertim resurrectionem. Atque cum non dubitarent quin Iesus fuerit Messias promissus in V.T., ei affinxerunt miracula similia iis quae narrantur de prophetis V.T. vel quae continentur in vaticiniis messianicis. Evangelistae tandem hanc mixturam factorum et fictorum literis consignaverunt, et sic orta est imago Iesu in 4 nostris evangeliis.[5]

b. *Theoria explicationis naturalis*—proposita a Gottlob Paulus (1761-1851) et postea pervulgata ab Ernest Renan (1823-1892). Secundum hanc theoriam, miracula evangelica revera acciderunt. At erant facta pure naturalia, quae discipuli Iesu vel evangelistae mutaverunt in praeternaturalia. Scil. multi eventus veri in vita Iesu ita narrabantur et nunc narrantur in evangeliis (addendo, omittendo, exaggerando) ut videantur esse miraculosi. Si quis igitur vult invenire Iesum historiae, debet quaerere "nucleum veritatis" sub cortice harum narrationum.[6]

c. Quoad *theoriam mythorum* propositam a Strauss, cf. supra p. 100.

d. Similes theorias rationalistae etiam applicant *resurrectioni* Iesu. Eam dicunt mythum, vel explicant per fraudem aut per visiones et hallucinationes. Cf. thes. 22.

2. Quoad *doctrinam* Iesu

Versus finem saec. 19 orta est nova schola rationalistarum, quae potius id agit ut removeat quodvis praeternaturale a religione Iesu per *comparationem cum aliis religionibus.* Quem ad finem appellat ad principium analogiae: Duo quae similia (analoga) sunt sub uno respectu, etiam similia sunt sub aliis. In luce huius principii igitur

---

[4]Rationalistae iure dicuntur critici *negativi* seu *destructivi;* nam id praecipue agunt ut a Iesu removeant quidquid est vel videtur esse superhumanum et praeternaturale. Quis positive fuerit, quid revera egerit et docuerit, vix dicunt. Et ubi id tentant, tot fere sunt sententiae quot pennae.

[5]Felder, Christ etc. I p. 67-9.

[6]Felder, ib. p. 69-71.

comparat religionem Iesu, prout legitur vel putatur legi in 4 evangeliis, cum aliis religionibus et culturis antiquis (cum Buddhismo et Hellenismo, cum religionibus Judaeorum, Babyloniorum, Aegyptiorum, Persarum, cum secta obscura Essenorum etc.). Hae religiones enim putantur esse naturaliter ortae; si ergo detegitur *analogia* etiam tenuissima in aliqua doctrina (praecepto, ritu, caeremonia) Iesu, statim infertur religionem Iesu ortam esse sicut istas, vel eam ex istis mutuatam esse.—Idem modus arguendi saepe extenditur ad totam religionem catholicam.[7]

3. Quoad *originem Ecclesiae*

Non solum rationalistae, sed etiam multi Protestantes negant Iesum instituisse Ecclesiam, saltem ut hierarchice organizatam. Putant eum nihil voluisse nisi renovationem internam, Ecclesiam autem ortam esse evolutione naturali.[8]

C. *Problemata resultantia*

Neque problema generale, neque problemata specifica totaliter removentur his solutionibus. Nam etsi quis eas recipiat, tria alia problemata sponte nascuntur:

a. Quomodo *sine miraculis* explicari potest non tantum ipsa idealizatio Iesu, sed praesertim influxus eius historicus? Speciatim quaeritur: Quomodo orta est fides in resurrectionem Iesu si Iesus mansit in sepulchro? Idealizatio enim, influxus historicus immensus, fides firmissima Christianorum sunt facta, ac proinde postulant causam adaequatam (logicam vel psychologicam). Atqui homo mediocris et ordinarius non esset causa adaequata.

Rationalistae generatim vel non respondent huic quaestioni, vel vage asserunt similia alibi facta esse sine elemento praeternaturali.

b. Quomodo naturaliter excogitari potuit religio tam *excellens* qualis est religio Iesu vel catholica?

Rationalistae generatim appellant ad principium evolutionis, dicentes Iesum suam religionem hausisse ex V.T. et rabbinis Judaeis, eamque perfecisse.—Aliter *Paulinismus*. Secundum hanc theoriam, vita ac praesertim doctrina Iesu totaliter transformata

---

[7]Schola haec non uno nomine designatur. Vocatur "syncretismus", "evolutionismus", "school of comparative religion", "religionsgeschichtliche Schule" etc. Cf. Brunsmann-Preuss II p. 601-692; Falcon p. 163-5, 204; Fillion, Study of the Bible ch. 42; Pinard de la Boullaye, Etude comparée etc. I p. 459-482; Prümm, Der christliche Glaube und die altheidnische Welt; idem, Christentum als Neuheitserlebnis.

[8]Linton p. 3-30.

est a Paulo Apostolo, et sic transformata exhibetur in 4 nostris evangeliis. Paulus enim erat non tantum ingenium religiosum excellens, sed percepit universalismum religionis Iesu et usque eo progressus est in idealizatione Iesu ut eum faceret Deum.[9]

c. Cur et quomodo orta est *organizatio Ecclesiae?* Praesertim primatus Romani Pontificis? Hodie enim conceditur Ecclesiam Catholicam cum primatu exstitisse ca. 150.

Rationalistae iterum appellant ad evolutionem historicam. Atque generatim assignant has causas naturales et contemporaneas: periculum gnosticismi, ambitum aliquorum officialium in Ecclesia, exemplum imperii romani, influxum paganismi vel Judaismi, ideas religiosas (v.g. unitatem Dei) etc.[10]

D. *Problema Iohanninum*

1. Hoc est problema speciale, et dicitur Iohanninum quia oritur ex comparatione synopticorum cum J. Scil. qui, lectis evangeliis synopticis, incipit legere J, quasi novum mundum sibi videtur ingredi. Tanta enim est diversitas inter illa et hoc quoad res narratas, quoad personam Iesu, quoad eius doctrinam et modum loquendi, quoad miracula.

In specie hae diversitates enumerantur:[11]

a. Quoad *res narratas*: a) Apud synopticos Iesus fere semper versatur in Galilaea, apud J in Judaea; unde pauca facta sunt eadem in synopticis et J. b) Iuxta synopticos ministerium Iesu duravit unum annum, iuxta J saltem 3 annos.

b. Quoad *personam Iesu*: a) In synopticis Iesus exhibetur ut homo et praedicator popularis, qui se miscet turbis, agit cum peccatoribus, manifestat affectus humanos (amoris, irae, misericordiae etc.) ; in J Iesus est Deus vivens, qui loquitur mysteria et vitat contactum cum peccatoribus, pharisaeis, leprosis etc. b) In synopticis Iesus se non profitetur Messiam nisi sub fine vitae (Mt 16, 17) ; sed in J discipuli eum agnoscunt ut Messiam statim ab initio (J 1, 41), et ipse se manifestat mulieri Samaritanae (J 4, 27).

c. Quoad *doctrinam Iesu*: a) In synopticis, Iesu doctrina est

---

[9]Ita v.g. Emerton, Unitarian Thought; Kohler, Jewish Theology; H. Frank, Jesus; B. W. Bacon, Jesus and Paul.

[10]Goebel p. 238-241; Dorsch II p. 20-21; Rosadini II p. 232-4; DieckmannE I p. 480-492; van den Eynde p. xii-xiii; Zeiger, in StZ April 1935 p. 38-46.

[11]Cf. Wernle, The Sources etc. p. 26-39.

facilis et simplex; in J excitat stuporem neque a Judaeis intellegitur. b) In synopticis, discursus Iesu referunt ad mores; in J fere omnes sunt theologici. c) Iuxta synopticos, Iesus mere praedicavit regnum Dei; in J Iesus postulat fidem in seipsum.

d. Quoad *modum loquendi Iesu*: a) In synopticis, Iesus loquitur concrete et modo populari, in J abstracte et modo solemni. b) Parabolae quae tantopere nos delectant in synopticis, desunt in J.

e. Quoad *miracula Iesu*: a) Miracula narrata in J sunt stupenda. b) Plurima miracula narrata in J desunt ex synopticis (5 ex 7); e contra, multae expulsiones daemonum leguntur in synopticis, nulla in J. c) In synopticis Iesus patrat miracula ex misericordia, in J autem ut manifestet gloriam suam; unde in J omnia miracula habent finem apologeticum, non ita in synopticis.

Unde problema novum: Estne haec mera diversitas, quae fortasse explicari potest, an vera contradictio? Et si est contradictio, uter fons meretur fidem: evangelia synoptica an J?

2. Rationalistae diversimode respondent:

a. *K. G. Bretschneider* (1820) firmiter tenuit synopticos esse fide dignos; sed cum existimaret J eis totaliter contradicere, asseruit illud neque mereri ullam fidem neque esse opus Ioannis.[12]

b. Multi rationalistae non eo usque procedunt, sed legunt J cum magno *skepticismo*. Sic dicit J. H. Ropes: "Whether rightly or wrongly, the historical and critical study of the life of Jesus today largely concentrates its attention on the Synoptic gospels, and confesses itself baffled in any effort to determine how much credible historical knowledge can be drawn from John" (Synoptic Gospels p. 91).

c. Alii distinguunt: Narrationes *factorum* in J sunt magis vel minus historicae; sed *discursus* qui ponuntur in ore Iesu, sunt vel purae fictiones auctoris vel piae eius meditationes mixtae cum veris dictis Iesu. Sic dicit H. Rashdall: "It is admitted by practically all scholars, however orthodox and conservative they may be, that the discourses of the Fourth Gospel have been more or less colored by the ideas, the reflections, the interpretations of the Evangelist" (Jesus Human and Divine p. 39; cf. ib. p. 12).[13]

---

[12] Ita etiam Wernle (l c. p. 46): "As an historical source John must make room for the Synoptics. Jesus was such as the Synoptics depict him, not such as he is displayed in John".

[13] Opinionem haud dissimilem olim tenuerunt Catholici quidam (v.g. Calmès, Battifol, Lagrange). Cf. D 2016.

Thesis est historice *certa.* Dogmatice est saltem *theologice certa;* sequitur enim ex inerrantia absoluta S. Scripturae. Cf. D 2013-8, 2188.

Thesis probatur

Nota 1. Probatio nostra erit *valde generalis.* Minus generalis erit thesis 12, quae agit de persona Iesu. In thesibus 13-22 et 25-29 distincte agemus de quibusdam dictis et factis Iesu.

Nota 2. Duo argumenta, cum sint *independentia,* se invicem confirmant, ita ut iure sumantur ut unum.

Arg.1 (*supposita genuinitate stricta*)

Quattuor nostra evangelia sunt per se et quoad substantiam fide digna, si eorum auctores erant *scientes* et *veraces,* vel (negative) si neque ipsi decipi poterant quoad res narratas neque alios decipere volebant.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Ad M. Notentur verba *"quoad res narratas",* scil. in evangeliis. Transmittimus quaestionem num evangelistae erraverint vel mentiti sint in aliis rebus. Argumentum est a fortiori si ostendi potest adfuisse motiva peculiaria discendi has res vel non mentiendi de eis.

Prob. min.

1. *Scientia*

Nota. Ut probetur scientia testis, sufficit duo ostendere: a) eum *facile* cognoscere potuisse res quas narrat, et b) hanc cognitionem ei *bono* fuisse. Si enim haec duo constant, sequitur testem has res de facto cognovisse; nam "omnis homo scire desiderat" i.e. de facto discit ea quae facile cognoscere potest, et quae ei bono sunt.

a. Evangelistae vel erant testes *immediati* eorum quae nobis narrant, vel ea *facile* haurire poterant ex testibus fide dignis. Etenim a) *Matthaeus,* utpote Apostolus, fuerat testis oculatus fere omnium quae narrat; quoad reliqua autem, ea facile cognoscere poterat ex testibus oculatis; v.g. ex Maria (quoad infantiam Iesu), ex aliis discipulis, ex ipso Iesu.—b) *Marcus* quidem non erat testis oculatus eorum quae narrat, sed omnino credibilis est traditio antiquissima eum voluisse fideliter reproducere praedicationem Petri Apostoli; Petrus autem fuerat testis oculatus eorum quae praedicabat, vel ea facile cognoscere poterat ex testibus oculatis.—c) Neque *Lucas* fuerat testis oculatus. At in prooemio (L 1, 1-4) asserit se diligenter investigasse omnia quae narraturus sit, secundum traditionem eorum "qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt

sermonis", i.e. Apostolorum.—d) *Ioannes* Apostolus fuerat testis oculatus plurimorum eventuum quos narrat in suo evangelio; immo qua "discipulus dilectus" magis quam alii sensus et affectus Domini cognoscere potuit.

b. Cognitio haec *bono* fuit evangelistis. Nam a) specialis electio Apostolorum et amor quo prosequebantur Dominum, debuit eos (inter quos *Matthaeus* et *Ioannes*) facere attentos ad ea quae Iesus faciebat et dicebat coram eis. Quae ratio valet praesertim pro Ioanne. b) *Marcus* fideliter describere voluit praedicationem Petri (uti testantur Papias et S. Irenaeus); ergo sine dubio ad eam attendit. c) *Lucas* accuratius instruere voluit Theophilum "optimum" (uti ipse testatur); ergo sine dubio res diligenter investigavit.

Quattuor adhuc notanda:

a. Facta quae narrantur ab evangelistis, plerumque erant *publica* ("non in angulo", uti dicit S. Paulus, Act 26, 26) atque facile percipi poterant, etiam ab hominibus rudibus.

b. Licet evangelia non sint scripta statim post eventus, tamen timendum non est ne forte *memoria* fefellerit Apostolos. Immo Apostoli, dum essent in Jerusalem, memoriam suam confirmare et augere poterant. Etenim a) dubium non est quin constanter revocaverint facta et dicta eius quem amaverunt toto corde. b) Apostoli, praesertim Petrus, a die Pentecostes non cessaverunt praedicare et catechizare; erant autem conscii sui muneris, scil. se debere esse "testes", non poetas aut fictores somniorum. c) Scimus Apostolos, praesertim Petrum et Ioannem, in magno honore fuisse apud primos Christianos, praecise quia fuerant testes oculati vitae Iesu.[14]

c. Aliud est error memoriae, aliud *oblivio*. Transmittimus quaestionem num Apostoli aliqua (miracula, parabolas, dicta) obliti sint (cf. Simón I p. 8); sed negamus eos errare potuisse in iis quae praedicabant.

d. Evangelistae sunt testes aliquomodo *independentes* inter se; nam suam cognitionem hauserunt ex diversis fontibus (supra p. 143.

2. *Veracitas*

a. *Nullum motivum* mentiendi vel fingendi excogitari potest in

---

[14]supra p. 141-2; Dausch p. 36-7; infra p. 193-4.

evangelistis. Et si forte unus tale consilium cepisset, quomodo ceteris eandem fraudem persuadere potuisset? Id quod fuisset necessarium, cum omnes *consentiant* quoad substantiam.

Dices: Aderat motivum *exaggerandi.* Nam, uti constat ex thesi 6, evangelistae voluerunt probare Iesum fuisse Messiam et Deum. Apud Deum autem omnia sunt possibilia. Hinc magna saltem erat tentatio exaggerandi facta et dicta Iesu ut magis appareret eius messianitas et divinitas.

R. *Dist.* aderat tentatio *Tr.* evangelistae ei cesserunt *N.* vel *subd.* per se et quoad substantiam narrationis *N.* in rebus minoris vel nullius momenti *Tr.* a) Si *synoptici* voluissent exaggerare, magis extulissent *divinitatem* Iesu, in quam certo crediderunt (cf. thes. 15); atqui quamvis divinitas Iesu ex eorum evangeliis probari possit, eam non probant de industria; et synoptici narrant facta et dicta quaedam quae potius derogare videntur eius divinitati (cf. infra p. 154-5). b) Quoad *Ioannem* Apostolum: Ne rationalistae quidem dubitant quin fuerit vir sincerus et pius erga Deum; atqui in tali viro sana ratio mentiendi aut fingendi supponi nequit.

b. Aderant *motiva peculiaria* quae Apostolos et evangelistas a tali fraude absterrere debuerunt. Nam a) uti constat ex Actibus, a Judaeis Apostoli praedicantes Iesum nihil exspectare poterant quam persecutiones, a Deo autem iram et poenam, scil. ob falsum testimonium; ergo si Apostoli mentiti essent, seipsos damnassent in hac et proxima vita. b) Saltem cum synoptici scriberent (scil. ante 70), testes oculati vitae publicae Iesu (amici et inimici, officiales et privati) adhuc superstites erant; ergo fraus vel mendacium facile detegi potuisset. Atqui nemo pervulgat mendacium quod facile detegitur.

Arg. 2 (*non supposita genuinitate stricta*)

Nota. Hoc argumentum est *cumulativum.* Licet autem singulae partes dent meram probabilitatem, omnes simul videntur gignere veram certitudinem.

a. *Tota antiquitas* christiana admisit credibilitatem substantialem 4 evangeliorum. Immo neque haeretici neque Judaei neque pagani negaverunt substantiam narrationum esse veram.[15]

b. Si plurimae res narratae in aliquo libro, etiam minimae, iam *probatae* sunt verae (etiam contra negantes), iure inferimus credibilitatem generalem libri.[16] Atqui verum est antecedens quoad 4 nostra evangelia (cf. supra p. 102-3). Ergo etiam consequens.

---

[15] Falcon p. 182-8.

[16] Recte Machen: "It is not scientific, but highly unscientific, to accord to a witness who has already been shown to be generally reliable, no more credence than would be accorded a witness who is either demonstrably unreliable or else unknown" (The Virgin Birth p. 73).

c. 4 nostra evangelia comparari possunt et comparata sunt cum evangeliis *apocryphis,* quae scripta sunt diu postea. Iamvero, quo plus aliunde discimus de rebus Palaestinae illius aetatis, eo magis confirmantur 4 nostra evangelia et infirmantur apocrypha; haec enim manifestant puram imaginationem in unaquaque fere pagina.

d. Ubi idem eventus narratur a pluribus testibus independentibus, adest certa quaedam *concordantia et discordantia.* Ergo vice versa—ubi talis concordantia et discordantia adest in libris qui agunt de iisdem eventibus, eorum testimonium est independens et credibile. Atqui talis concordantia et discordantia habetur in 4 nostris evangeliis.[17]

e. *Modus dicendi* ubique est candidus, sincerus, simplex, "sine ira et studio".[18]

f. Evangelia prorsus *alia* essent si eorum substantia esset ficta; multa enim omissa sunt quae fictor introduxisset, et multa introducta sunt quae fictor omisisset. Sic auctor Mt probare voluit Iesum esse Messiam seu Christum; nihilominus Iesus raro inducitur ut de se loquens sub hoc titulo tunc populari.[19] Similiter auctor J certo probare voluit divinitatem Iesu (J 20, 31), et ubi ipse loquitur, divinitatem Iesu clarissime proponit; nihilominus ipse Iesus generatim inducitur loquens de sua divinitate indirecte, ita ut mentes audientium quasi ancipites haererent (v.g. J 10, 24). Et quamvis ipse auctor ab initio proclamet Iesum Logon, eum numquam inducit dicentem de se: Ego sum Logos. Tandem auctor Mc probare voluit messianitatem et divinitatem Iesu ex eius miraculis; nihilominus narrat Iesum non potuisse patrare miraculum in Nazareth (6, 5-6) et denegasse signum petentibus (8, 12); neque omnia adiuncta miraculorum immediate conferunt ad aedificationem (v.g. porci Gerasenorum); porro in Mc multa alia leguntur quae a Schmiedel vocantur "pillar truths", sed quae contradicere videntur

---

[17]Cf. problema synopticum, supra p. 137-8; Falcon p. 179-181.—Hoc argumento iam usus est *S. Chrysostomus* (Hom. in Mt 2): "Si omnia accurate consonassent et quantum ad tempus et quantum ad loca et quantum ad verba, ex inimicis nemo crediturus erat, sed ex mutuo humanoque consensu (i.e. ex conspiratione) haec scripta fuisse putassent, atque huiusmodi consonantiam non ex simplicitate sinceritateque procedere. Iam vero illa quae in exiguis rebus deprehendi videtur *diversitas,* omnem ab ipsis suspicionem depellit scribentiumque fidem clare vindicat". Cf. Merk p. 652, 721-2.

[18]Feder p. 257; Ruffini p. 168-9, 171-2; Falcon p. 181.

[19]Alia mira habes in Mt 12, 32; 19, 17; 27, 46.

thesi auctoris: Iesus enim habetur ut amens a suis (3, 1), recusat vocari bonus (10, 18), ignorat diem ultimi iudicii (13, 32), deseritur a Patre (15, 34) etc.[20]

g. Si persona et vita Iesu, qualis depingitur in 4 nostris evangeliis, vera esse admittitur, *origo religionis christianae* bene explicatur: zelus Apostolorum, enthusiasmus primorum Christianorum, eorum pietas intensa, gaudium et constantia qua mortem subire parati erant pro Iesu, cura qua servabant eius doctrinam etc. E contra, haec fiunt aenigma insolubile si credibilitas evangeliorum negatur.[21]

Cor. 1. Ergo ubi 4 nostra evangelia *discrepant,* per se conciliianda sunt, non damnanda.[22]

Cor. 2. Ergo evangelia *apocrypha* relinquenda sunt saltem ubi contradicunt 4 nostris.

Cor. 3. Ergo probatio credibilitatis evangeliorum *non pendet* a solutione problematis synoptici aut problematis Iohannini. Uti enim patet ex argumentis, credibilitas haec certo probari potest a) ex qualitatibus personalibus evangelistarum et b) ex multis rationibus internis. Parum ergo refert quae fuerit relatio inter evangelistas qua tales.—Ob easdem rationes, probatio credibilitatis evangeliorum non pendet a) ab accurata determinatione temporis (i.e. huius vel illius anni) quo scripta sunt singula evangelia, neque b) a valore theoriae 'Form Criticism'. Negandum autem est (id quod asserit haec theoria) synopticos arbitrarie inseruisse adiuncta temporis, loci, personarum etc.[23]

Obiectiones

Nota. Fere innumerae sunt obiectiones quae proferuntur a rationalistis contra credibilitatem evangeliorum. Nostrum non est respondere omnibus et singulis; opus esset scribere encyclopaediam (sicut Dict. Apol.) vel cursum exegeticum (sicut Knabenbauer vel Lagrange). Sed sicut diximus quoad probationem (supra p. 151), respondebimus obiectionibus quibusdam *generalibus.* Alias magis particulares solvemus in decursu huius Apologeticae; alias relinquimus exegesi.—Quoad singulas obiectiones tales autem duo notentur in genere: a) Obiectio ne accipiatur ex versionibus (v.g. anglica vel latina) nisi fundetur in textu *graeco,* qui

---

[20] Lagrange, Mc p. cxxx-cxxxii; Grandmaison III p. 151.

[21] Falcon p. 181. Ipse Renan vidit vim huius argumenti: "The faith, the enthusiasm, the constancy of the first Christian generation is only explicable on the supposition that at its inception there existed a man of transcendent greatness" (Life of Jesus p. 258).

[22] Machen p. 191-2.

[23] Orr, Resurr. p. 61-72.

est originalis. b) Consulantur *lectiones variantes;* neque enim omnis lectio (etiam textus graeci) certa est.

1. Adsunt multi *errores* et mutuae *contradictiones* in evangeliis.

R. *Dist.* quoad substantiam narrationum *N.* quoad accidentalia *Tr.* vel *subd.* multi errores et contradictiones *N.* pauci *Tr.*

Antequam duo evangelistae accusentur mutuae contradictionis, videndum etiam est num agant *de eadem re.* Id saepe difficile est dictu. Ipsi Patres et hodierni exegetae Catholici interdum ancipites haerent utrum duo evangelistae loquantur de eodem eventu an de diversis (infra p. 194).

2. Multi viri docti et *periti* dubitant de credibilitate substantiali 4 evangeliorum. Atqui tale testimonium gignit saltem probabilitatem. Ergo credibilitas evangeliorum non est certa.

R. *Dist.M.* dubitant ob rationes historicas *N.* ob sua praeiudicia *Tr.*

3. Finis 4 evangeliorum est *apologeticus* (cf. thes. 6). Ergo evangelia non sunt fide digna.

R. *Dist.ant.* pure apologeticus *N.* historico-apologeticus *C.*

Duo notentur ad hanc obiectionem: a) Non ideo neganda est credibilitas libro quia in eo apparet *scopus practicus* (v.g. probandi aliquid, docendi, defendendi); tali scopo utique determinatur selectio et dispositio materiae, omissio vel emphasis quarundam rerum etc.; sed per se lector peritus non ducitur in errorem. b) Evangelistae debuerunt et voluerunt probare suam thesim *ex historia;* ergo tota eorum thesis corrueret nisi narratio esset historice vera.[24]

Urg. Liber historicus qui non sequitur *chronologiam,* non gaudet auctoritate historica. Atqui evangelia volunt esse historica, neque tamen sequuntur ordinem chronologicum eventuum (supra p. 89).

R. *Dist.M.* liber pure historicus *Tr.* historico-apologeticus *N.*

4. Evangelistae ignoraverunt artem scribendi historiam *criticam.*

R. a) *N.supp.* Praeter criticam scientificam datur etiam critica naturalis, licet haec sit imperfectior. b) Lucas videtur novisse hanc artem suae aetatis.[25]

Urg. (Renan, Streeter) Evangelistae erant scriptores *antiqui* et *orientales.* Atqui hi res narrandas ita imaginibus orientalibus deformare solebant ut difficile esset discernere verum a falso.

R. *Tr.M.* (Sed Lucas potius erat Graecus, et Marcus suum evangelium scripsit Romae) *N.min.* Haec accusatio est nimis generalis, gratuita, iniusta. Concedi potest aliquos scriptores antiquos res narrandas nimis ornasse, vel indulsisse libertati cuidam in fingendis orationibus. Sed a) stilus synopticorum est tam ieiunus et agrestis ut magna bona voluntas requiratur ad ibi videndum imagines orientales. b) Si scriptoribus antiquis error subrepsit, id accidit contra eorum intentionem; nam etiam scriptores antiqui, generatim loquendo, investigaverunt res narrandas easque describere voluerunt prout evenerant.[26]

5. Evangelia synoptica sunt fide digna. Atqui est maximus *dissensus* inter ea et J. Ergo J non est fide dignum.

R. *N.supp.* a) Diversitas quae adest, non est ita exaggeranda quasi nulla sit similitudo inter J et synoptica. De facto, J multa habet communia

---

[24]D 2153; Feder p. 258-9; Huby p. 185-7; Lagrange, The Gospel I p. 1-3.
[25]Rosadini I p. 214; DA III col. 568; Goebel p. 119.
[26]Testimonia Herodoti, Thucydidis, Titi Livii, Fl. Josephi apud Fernandez, in IB p. 405; Lattey, Acts p. xxxii-iv.

cum synopticis, sive dicta Domini spectas sive facta. b) Interdum diversitas explicari potest—sive ex fine evangelii sive ex adiunctis in quibus ortum est.

Urg. Auctor J voluit illud *substituere* synopticis. Ergo iudicavit ea non esse fide digna. Ita Schmiedel, Ed. Meyer, Windisch etc.[27]

R. *N.ant.* Auctor J ne uno verbo quidem talem intentionem indicat. Sed efferre voluit *alium aspectum* personae et vitae Iesu, praesertim eius disputationes cum "Judaeis", i.e. iis qui potentia et educatione eminebant inter Judaeos.[28]

Urg. Leguntur in J 5 pericopae quae videntur esse *parallelae* narrationibus synopticis; scil. purgatio templi (J 2, 12-22), multiplicatio panum (J 6, 1-3), ambulatio super aquas (J 6, 16-21), unctio pedum (J 12, 1-8), ingressus triumphalis (J 12, 12-19). Hae narrationes aut dicuntur referre ad eosdem eventus aut ad diversos. Si primum, adsunt apertae contradictiones, praesertim in chronologia; sin alterum, oriuntur improbabilitates historicae.

R. Verum est exegetas nondum pervenisse ad plenam solutionem; alii tenent eventus esse identicos, alii diversos. Sed a) contradictiones primae solutionis non sunt tam apertae quam dicuntur a rationalistis, neque tangunt substantiam factorum; b) improbabilitates quae sequi dicuntur ex secunda solutione non debent nimis urgeri; eventus enim nimis distant et documenta historica nimis deficiunt quam ut possimus pervenire ad certitudinem.—Quoad singula, cf. exegetas.

Urg. J multa propria habet quae si vera essent, non potuissent *omitti* a synopticis; v.g. colloquium Iesu cum muliere Samaritana (4, 5-42), promissio Eucharistiae (6, 50-71), sanatio caeci nati (9, 1-10, 21), suscitatio Lazari (11, 1-53), collatio primatus (21); haec enim erant magni momenti in vita publica Iesu.

R. Finis secundarius Ioannis erat praecise *supplere* evangelia synoptica.—Cur autem haec omissa sunt a synopticis? Nescimus; sed poterant esse rationes internae (v.g. scopus scribendi) vel externae (v.g. familia Lazari).

6. Evangelia sunt *legendae,* saltem quoad maximam partem; nam similia sunt aliis legendis; v.g. de Buddha, de primis monachis, de Faust etc. Ita 'Form Criticism'.

R. *N.ass.* Ad prob. *Dist.* similia sunt sub omni respectu *N.* sub uno vel altero respectu *Tr.*[29]

7. Matthaeus saepe videt *impletionem* vaticinii V.T. ubi nullum erat vaticinium.

R. *Dist.* in rebus substantialibus *N.* aliis *Tr.* (cf. theses 52-3).

Schol. *Errores methodici rationalistarum*

Oportet ut in luce ponantur *methodi* quaedam, quas rationalistae plurimi sequuntur neque tamen aperte profitentur:

a. Una est constructio *aprioristica* historiae. "It must be recognized that much of what is called criticism consists in first constructing a theory of what ought to have been the teaching of Jesus,

---

[27]Cf. Sigge p. 34-40.

[28]Tillmann p. 32-3; Sigge p. 46-60; Revue biblique 1935 p. 630-2; Cerfaux, in EphL 1936 p. 112-3.

[29]Grandmaison I p. 44-52; Rosadini I p. 205-6; Gächter p. 73.

and then cutting out or rewriting such portions of the Gospel teaching as conflict with that reconstruction. This method is called by its adherents scientific. It is, of course, nothing of the sort" (Headlam, The Church of England p. 4-5).[30]

b. Alia est abusus *coniecturae*. "It is characteristic of certain modern criticism that it never accepts any statement in original documents if it can avoid doing so, and prefers to reconstruct history in a purely conjectural manner" (Headlam, Life etc p. 158).

c. Tertia est *tendentia skeptica,* quatenus ita exaggerant condiciones ut certitudo historica fiat impossibilis. Sic G. A. Barton accusat rationalistas: "They are so skeptical about everything in the Bible that they demand of it standards of certainty that would not be required in any other book" (Apost. Age p. 4-5). Atque citat tamquam exemplum Windisch ("The Case against the Tradition" in Beg. of Chr. II p. 298-348): "Windisch there sets up standards of consistency and accuracy . . . that would condemn his own writing and that of most modern scholars".

d. Recte etiam queritur Leo XIII de quibusdam historicis "qui sic fidunt *profanis* libris et documentis memoriae priscae perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae sacrae, ex opinata tantum erroris specie neque ea probe discussa, vel parem abnuunt fidem" (Provid. Deus).

---

[30]Cf. quae de hac methodo dicit Edw. Meyer, Ursprung etc. III p. 35.

ARTICULUS 7

CREDIBILITAS ACTUUM

Thesis 10

Liber Actuum Apostolorum iam ca. 100 exsistebat substantialiter idem ac nunc est; totus autem scriptus est a Luca, socio Pauli Apostoli, atque saltem per se et quoad substantiam gaudet auctoritate historica.

Cf. Boudou, Introd.; CE s.v. Acts of the Apostles; Chase, Credibility of the Acts; DA s.v. Apôtres (Actes des); DThC s.v. Actes des Apôtres; Gächter p. 105-9; Holzmeister p. 87-93; Höpfl-Gut p. 258-262, 269-280; Jacquier, Introd.; Lattey, Acts of the Apostles, Introd.; Merk p. 679-682, 690-4, 730-5; Rosadini II p. 1-41; Ruffini p. 223-260; Simón II p. 1-41; Steinmann, Einl.

Quoad necessitatem huius thesis, cf. supra p. 144.

1. *Actus Apostolorum* (Πράξεις Ἀποστόλων) est ille liber qui sic inscribitur in Vulgata latina (cf. supra p. 83).[1]

2. *Lucas*

Auctor libri se non nominat ut talem, neque nomen Lucae in eo occurrit. Sed intellegimus eum Lucam qui erat socius Pauli in suis itineribus et ter ab eo nominatur (Col 4, 14; Phm 24; 2 Tim 4, 11).

Thesim explicabimus et probabimus per 5 partes. Scil. omissa indole historica (de qua nemo umquam dubitavit), agemus a) de antiquitate et b) integritate textus nostri, c) de libri unitate literaria, d) de eius genuinitate, e) de eius credibilitate.[2]

Thesis est critice et historice *certa.* Dogmatice: *Commissio bibl.* affirmat libri unitatem (D 2167-8), genuinitatem (D 2166), credibilitatem (D 2170-1). Credibilitas est saltem *theologice certa* (ut supra p. 151).[3]

---

[1]Titulus non videtur appositus ab auctore libri; nam multum variatur in manuscriptis. Quamvis autem nesciatur a quo aut quando sit appositus, est tamen *antiquissimus.* Rosadini II p. 1-2; Simón II p. 1-3; Jacquier p. 1.

[2]Quoad indolem historicam Actuum autem similis distinctio facienda est ac fecimus quoad evangelia (supra p. 145). Patet legenti.

[3]Genuinitas Actuum *non* est definita a Conc. Trid. (D 784), quamvis dicatur: "Actus Apostolorum a Luca evangelista conscripti". His verbis mere designatur liber noster et discernitur ab Actibus apocryphis.

I. Antiquitas

1. *Adversarii.* Olim "schola Tübingensis" docuit Actus non esse scriptos nisi ca. 150. Hodie tamen, postquam Harnack plurimis argumentis criticis restauravit traditionem veterem, nemo criticus hanc theoriam defendit. Zahn (Einl. II p. 388) dicit eam non egere refutatione.

2. *Probatio*

a. Arg. *directum*: S. Clemens Rom., S. Ignatius M., S. Polycarpus saltem alludunt ad Actus.[4] Ergo Actus exsistebant ante 100.

b. Arg. *indirectum*: In fine saec. 1, epistolae Paulinae ubique sparsae erant et magna auctoritate gaudebant. Ergo si quis tunc scribere voluisset biographiam Pauli, eas non neglexisset. Atqui auctor Actuum eas plane *ignorat*; quamvis enim saepe agat de iisdem rebus ac Paulus in suis epistolis, ab eis multum differt.

II. Integritas

1. *Probatur* (cf. supra p. 103-4).

Non tantum codices graeci ex saec. 5 et 4 continent Actus et inter se concordant substantialiter quoad textum, sed idem est dicendum de Chester Beatty papyro ex saec. 3, et de versionibus antiquissimis saec. 3 et 2.

Ergo liber Actuum exstitit ca. 100 substantialiter idem ac nunc est.

2. *Textus duplex*

a. A criticis hodiernis duplex textus Actuum recensetur: orientalis et occidentalis. Textum *orientalem* habent S, A, B, C; versio bohairica et Vulgata latina; eum sequuntur Clemens Alex., Origenes, S. Hieronymus, fere omnes scriptores ecclesiastici post saec. 4. Textum *occidentalem* habent D et alii codices graeci, aliquae versiones antiquae; eum sequuntur S. Irenaeus, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Augustinus. Chester Beatty papyrus stat quasi in medio.[5]

b. *Peculiaritates* textus occidentalis: a) Quamvis hic textus careat aliquibus locis (8, 29-10, 14; 21, 1-10; 21, 15-18; 22, 10-20;

---

[4]Ruffini p. 224-5; Jacquier p. cci-cciv.

[5]Recenter incipiunt distinguere tertium textum: *Caesariensem* vel Alexandrinum. Cf. Boudou p. xxxviii; Streeter, The Four Gospels p. 77-108; Kenyon, Textual Crit. of the N.T. p. 334-8; Porporato, in VD 1936 p. 82.

in D 22, 29 ad finem), multo saepius redundat. b) In eo frequentia sunt participia et genetivi absoluti. c) Quaedam "ideae" magis efferuntur; actio visibilis Spiritus s. est magis manifesta; nomina Iesu sunt solemniora.—At textus occidentalis non est unius typi, sed eius testes valde inter se differunt; generatim tamen D sumitur tamquam repraesentativus.

c. Quaerunt ergo critici quae sit *relatio* inter hos duo textus et uter sit genuinus? Atque 3 sunt opiniones: a) Westcott-Hort: Genuinus est textus orientalis ("neutralis"), praesertim prout legitur in B; variationes textus occidentalis sunt spuriae. b) A. C. Clark: Textus occidentalis est genuinus; textus orientalis est mera abbreviatio. c) Blass: Uterque textus est genuinus; scil. Lucas hunc librum suum bis edidit: prius in forma occidentali, dein in forma orientali (breviore et magis polita). Eum secuti sunt Zahn, Belser etc.[6]

d. Hodie tamen, reiectis duabus ultimis theoriis, critici generatim accipiunt textum *orientalem* ut genuinum, eumque ponunt in suis editionibus. Tres sunt eorum rationes praecipuae: a) *Chester Beatty papyrus,* codex noster antiquissimus, concordat cum textu orientali multo magis quam cum occidentali. b) *Redundantia*: Generatim ea quae adduntur in textu occidentali, sunt merae amplificationes, explicationes, glossae etc.; certe redundat "regula aurea" in decreto apostolico (15, 29) et additio ad 28, 31. Atqui talia facile explicantur ut additiones librarii cuiusdam. c) *Stilus*: In D occurrunt fere 65 lectiones quae secus non occurrunt in scriptis Lucae; immo non paucae videntur pendere a versione latina vel syriaca. Atqui haec inexplicabilia sunt si (id quod certum est) Lucas est auctor Actuum.[7]

e. Cum autem nulla sit contradictio inter duos textus, tota quaestio est minoris momenti pro Apologetica. Sequemur igitur textum *orientalem.*

Neque tamen prorsus neglegemus occidentalem. Nam aliquae lectiones huius textus continent aliquid novum (v.g. 11, 2; 11, 28; 12, 10; 18, 27; 19, 9; 20, 15) atque possunt esse historice verae,

---

[6]Blass similem theoriam etiam excogitavit quoad L; sed vix quisquam eum secutus est. Cf. Boudou p. xli; Höpfl-Gut p. 279; Jülicher, Introd. p. 452.

[7]Multo fortiores sunt rationes contra duplicem editionem quam proposuit Blass. Cf. Boudou p. xli.

scil. scriptae cum gesta Actuum adhuc servabantur in memoria Christianorum.[8]

Schol. *Tempus compositionis.*

Critici valde dubitant quando scriptus sit liber Actuum. Goodspeed (Introd. p. 191-7) adducit 15 rationes tamquam argumentum cumulativum quo "demonstretur" Act scriptos esse ca. 90.

Desunt testes externi. Sed ex variis *rationibus internis,* quas optime exposuit Harnack, duo dici possunt:

a. Probabilissimum est Act esse scriptos *ante 70.* Nam a) in toto libro nulla fit allusio ad eventus anni 70; Judaei adhuc inducuntur ut persecutores, ipsi non obnoxii persecutioni. Saepius etiam sermo est de urbe Jerusalem, de porticu Salomonis, de arce Antonii etc., neque ullo modo innuitur haec non iam exsistere; atqui si Act scripti essent post horum destructionem, auctor vix neglexisset id innuere; fuisset enim optimum argumentum ad probandam abrogationem legis mosaicae. b) Dies et eventus adhuc describuntur secundum morem Judaeorum; v.g. dies Dominica adhuc vocatur (20, 7) ἡ μία τῶν σαββάτων. c) Christologia est adhuc valde primitiva; 'Christus' nondum est nomen proprium Iesu, sed adhuc retinet veterem significationem 'Messias'.

Dices: Auctor Act cognovit "Antiquitates" Fl. Josephi; sic narratio in Act 5, 36-7 (seditiones Theudae et Judae Galilaei) evidenter *pendet* a narratione "Antiquitatum"; atqui "Antiquitates" scriptae sunt ca. 94.[9] R. *N.M. et prob.*[10]

b. Immo Act probabilius scripti sunt "sub finem primae captivitatis romanae" S. Pauli (D 2169), i.e. *ca. 63.* Id eruitur a) ex conclusione libri, b) ex eo quod nulla allusio fit ad persecutionem Neronis vel ad martyrium Petri et Pauli.

c. Sed credibilitas Actuum non pendet ab exacta determinatione temporis quo scripti sunt.

III. Unitas literaria

1. Actus gaudere unitate literaria, recenter negatum est ob *"nos-sectiones"* (Wir-Stücke, We-document, We-sections). Cum

---

[8]Merk p. 690-4; Rosadini II p. 38; Ruffini p. 235-7; Prat, Theol. I p. 418-422; Boudou p. xxxvii-xliii; Jacquier p. cxxi-cxxxvi; Steinmann p. 18-19; Kenyon, Text of the Greek Bible p. 224-236; Jülicher p. 451-6; Ropes, Beg. of Chr. III; Hatch, The 'Western' Text of the Gospels (1937); Kenyon, The Western Text in the Gospels and Acts (1939).

[9]Knopf, Einl. p. 133-4.

[10]Rosadini II p. 30; Jacquier p. ccxxx-ccxxxiii.

enim narratio ab initio procedat in tertia persona, adsunt 4 sectiones in quibus auctor loquitur *in prima persona plurali* ("nos"). Hae sunt: a) profectio in Macedoniam 16, 10-17; b) ultimum iter Pauli in Jerusalem 20, 5-15 et c) 21, 1-18; d) iter romanum 27, 1-28, 16.[11]

Unde critici distinguunt in Act 2 (vel 3) sectiones: a) cap. 1-12; b) cap. 13 ad finem; (a quibus alii separant cap. 6-8). Atque multi ex eis (Schleiermacher, de Wette, Davidson, Ramsay, Torrey) negant *unum* fuisse auctorem totius libri; ad summum admittunt unum redactorem.

2. *Probatur*

a. Ratio *externa*: Nullus scriptor antiquus umquam loquitur de pluribus auctoribus Actuum; e contra, omnes citationes, ex quacunque parte libri desumptae sunt, eidem auctori tribuuntur.

b. Rationes *internae*: Unum fuisse auctorem totius libri, constat ex unitate *finis* (scil. narrare propagationem evangelii cum auxilio speciali Spiritus s.), ac praesertim ex unitate *stili* et *linguae*. Quae unitas nuper fere ad evidentiam demonstrata est a peritis primi nominis (Hawkins, Stanton, Moulton, Harnack). Pauci (v.g. Loisy, Cadbury) qui adhuc respuunt hanc conclusionem, neque proferunt nisi argumenta vaga neque respondent rationibus peritorum.[12]

Dices 1. Stilus non est idem per totum librum. Nam a) in cap. 1-12 graecitas est minus idiomatica quam in nos-sectionibus (vel in L); occurrunt enim multi semitismi. b) In nos-sectionibus leguntur multo plura 'hapax legomena' quam alibi.

R. *N.ass.* ad a) Ratio potest esse quod auctor ibi uti debuerit fontibus semiticis. ad b) Id facile explicatur ex eo quod ibi describitur iter maritimum et naufragium.

Urg. Unitas stili et linguae satis explicatur si unus dicitur fuisse *redactor* totius operis.

R. *Dist.* in aliis libris *Tr.* in Act *N.* Merus redactor certo mutavisset in nos-sectionibus primam personam in tertiam; talem mutationem faciendam esse, nimis evidens fuisset cuivis redactori.

Dices 2. Act 1, 3-13 (historia Ascensionis) est interpolatio. Nam a) ascensio corporalis contradicit legibus physicis; b) transitio a prooemio ad ascensionem prodit manum alienam.[13]

R. *N.ass.* Fontes textus id non suadent. Ad rationes: ad a) Hinc est physice impossibilis, sed non ideo metaphysice. ad b) Imprimis id negatur ab Harnack, Jackson-Lake, Cadbury. Dein similes transitiones leguntur in aliis libris historicis illius aetatis.[14]

---

[11] In aliquibus codicibus 3 alii loci adduntur: 11, 28; 16, 8; 20, 13.

[12] Ruffini p. 227-9; Grandmaison I p. 225-7; Scott, Lit. etc. p. 90-1; Goodspeed, Introd. p. 201-4.

[13] Ita Gerke, Norden, E. Meyer, Goguel etc.

[14] Prümm II p. 55-56; Larranaga, in VD 1937 p. 129-139.

Urg. Saltem 8, 5-11 (prima propagatio evangelii extra Jerusalem) est interpolatio; nam in 8, 4 narratur initium persecutionis, quae non continuatur nisi in 11, 19.[15]

R. *N*. Nullus fons textus suadet hanc esse interpolationem.

IV. Lucas auctor Actuum

Arg. 1 (*Ex rationibus externis*)

a. In fine saec. 2 *traditio* erat *firma et universalis* Lucam, evangelistam et socium Pauli, esse auctorem Actuum. Scil.

Fragmentum Muratorianum: "Acta autem omnium Apostolorum sub uno libro scripta sunt. Lucas optimo Theophilo comprendit, quia sub praesentia eius singula gerebantur".[16]

S. Irenaeus habet fere 50 citationes ex Act (et quidem ex omnibus sectionibus) et septies vel textum citatum vel totum librum tribuit Lucae, socio Pauli.

Clemens Alex.: "Lucas in Actibus Apostolorum commemorat Paulum dicentem: Viri Athenienses etc." (Stromata 5, 12). Cf. Hypot. 1.

Origenes nominat Lucam auctorem Actuum ubi est occasio, neque ullum dubium novit hac de re.

Tertullianus: "Porro cum in eodem commentario Lucae et tertia hora demonstretur sub qua pro ebriis habebantur Apostoli etc." (De ieiunio 10).

Eusebius et *S. Hieronymus* nullum dubium norunt hac de re.

b. Unde etiam sic arguere licet: Nisi Lucas, socius Pauli, fuisset verus auctor Actuum, haec traditio firma explicari non posset; nam a) Lucas non fuit discipulus praecipuus Apostolorum, ne Pauli quidem; atqui viguit tunc potius mos adscribendi libros viris illustribus. b) Neque ipse liber ansam dedit eum adscribendi Lucae Antiocheno.[17]

Dices: Traditio haec non erat firma. Nam a) non pauci *haeretici* reiecerunt Actus, scil. Ebionitae, Marcion, Manichaei. b) Ipse *S. Chrysostomus* dubitavit, uti patet ex eius homiliis in Actus et in Ascensionem.

R. *N.ass.* Ad rationes: ad a) *Dist.* hi negaverunt Lucam esse auctorem Actuum *N.* negaverunt auctoritatem dogmaticam libri *Tr.* ad b) *N.* Haec obiectio orta est ex incuria legentium. In priore homilia S. Chrysostomus tantum dicit multos nescire quis sit auctor Actuum (id quod valet etiam hodie), sed dein probat Lucam esse auctorem libri. Eadem probatio

---

[15] Ita J. Weiss.

[16] Merk p. 1020.

[17] Boudou p. xiv; Gächter p. 111.

habetur in altera homilia. Dubitatur autem num haec (talis qualis exstat hodie) sit S. Chrysostomi.[18]

Arg. 2 (*Ex rationibus internis*)

a. *Idem* est auctor Actuum et tertii evangelii.

Atqui Lucas, socius Pauli, est auctor tertii evangelii.

Ergo etiam Actuum.

Prob. M. a) In prologo (1, 1) auctor revocat τὸν πρῶτον λόγον (i.e. priorem librum) quo descripserat facta et dicta Iesu usque ad Ascensionem; auctor etiam loquitur ad "Theophilum" quendam; atqui utrumque concordat cum solo L. b) L et Act in omnibus suis sectionibus exhibent eundem stilum, eandem linguam; id quod etiam ad evidentiam probatum est ab iisdem peritis ac supra (p. 163). c) Plurimi critici hodie concedunt eundem esse auctorem utriusque libri.[19]

Dices: Idem non potest esse auctor Actuum et L. Nam iuxta Act 1, 3 Iesus post resurrectionem mansit in terra per 40 dies; sed iuxta L 24 *eodem die* surrexit a mortuis et ascendit in coelum; atqui nemo sibi tam palam contradicit.

R. In L 24 eventus summatim narrantur, omissa accurata chronologia.[20]

Urg. In Act 13, 29 *inimici Iesu* dicuntur deposuisse eius corpus de cruce et sepelivisse; sed iuxta L 23, 50-3 haec facta sunt a Iosepho ab Arimathaea.[21]

R. Aliae interpretationes saltem possibiles sunt. a) Ipse Chase (ib.) concedit Act 13, 29 grammaticaliter aliter construi posse. b) Vel Paulus non distinxit inter amicos et inimicos Iesu, qui utrique pertinebant ad synedrium; Paulus enim aliud probare voluit, scil. Iesum vere mortuum esse. c) Vel auctor Act non distinxit cum scribere vellet merum summarium orationis Pauli.[22]

b. Lucas, socius Pauli, erat *medicus* (cf. Col. 4, 14). Atqui auctor Actuum se prodit medicum vel saltem bene versatum in lingua medicinali.[23]

c. Auctor Actuum fuit *socius Pauli* in eius itineribus, et tamen se clare distinguit a ceteris sociis Pauli, scil. a Sila, Timotheo, Tito, Marco, Dema etc. Ergo fuit Lucas. Ad M. a) Inde a cap. 16 narratio fere semper procedit in prima persona plurali ("nos");

---

[18] Jacquier p. lvii; VD 1931 p. 265-276.

[19] Ruffini p. 225-6; Gächter p. 113; Boudou p. xv; Jacquier p. lx-lxxiii.— Quidam putant Lucam *ab initio* intendisse scribere hos duos libros, seu eos esse partes eiusdem operis. Ita v.g. Chase p. 16-17.

[20] Etiam in Mc 16, 14-19 eventus ita summatim narrantur ut quis putare possit Iesum resurrexisse et ascendisse *eodem die*.

[21] Ita Chase, Credib. etc. p. 184.

[22] Jacquier p. 401.

[23] Ruffini p. 226; Grandmaison I p. 89; Boudou p. xxi; Jacquier p. xcvii-ci.

b) lingua et ideae doctrinales Actuum concordant cum epistolis Pauli, quamvis auctor eas non cognoverit.[24]

Dices: Narratio in prima persona plurali potest esse mera fictio literaria. R. *Dist.* in aliis libris *Tr.* in Act *N.* Si auctor Actuum haec finxisset, se sine dubio fecisset socium Pauli in omnibus eventibus maioris momenti; atqui auctor interdum abest; v.g. a conversione Pauli, ab itinere primo in Jerusalem etc.

Obicit Streeter: "The Acts show very little trace . . . of anything that we call *specifically Pauline Christianity.* The question, then arises, can Acts have been written by a pupil of Paul?" (The Four Gospels p. 553). J. H. Ropes hoc argumentum non admittit, tamen inde infert "a real limitation of Luke's capacity for exactness in matters of profounder thought" (Syn. Gospels p. 78).

R. a) *N.ant.* Qui sunt "we"? b) *N.supp.* Obiectio supponit discipulum vel socium Pauli ita imbutum esse eius theologia propria ut non iam potuerit scribere bonam historiam; quo iure Streeter id supponit? c) Lucas noluit describere opus theologicum, sed historicum.[25]

V. Auctoritas historica

1. *Adversarii*

a. *Schola Tübingensis* olim haec docuit: Finis Actuum erat *conciliare duas factiones* tunc exsistentes in Ecclesia (supra p. 100). Quem ad finem auctor *adulteravit* totam historiam Ecclesiae infantis. Scil. non tantum servavit altum silentium de controversia inter Petrum et Paulum, sed etiam Petrum induit vestibus Pauli, et Paulum vestibus Petri. Id quod apparet a) in utriusque *modo agendi.* Nam Petrus dicitur admisisse gentiles in Ecclesiam et praedicasse universalitatem salutis (Act 10), i.e. sicut Paulus; Paulus ex sua parte dicitur circumcidisse Timotheum (Act 16), affirmasse suam subiectionem sub lege mosaica (Act 22), prius praedicasse Judaeis quam gentibus (Act 9, 20-27), i.e. sicut Petrus. Eadem tendentia apparet b) in *parallelismo miraculorum.* Miracula enim quae in prima parte Actuum narrantur de Petro, in altera narrantur de Paulo, ne Paulus minor videatur Petro; v.g. sanatio claudi (Act 3, 2-8 et 14, 8-10), suscitatio mortui (Act 9, 36 et 20, 6), liberatio e carcere (Act 12, 3-17 et 16, 23-27).[26]

b. Critici hodierni generatim *distinguunt*: admittunt *facta* narrata in Act (exceptis utique miraculis) esse magis vel minus

---

[24] Ruffini p. 227; Rosadini II p. 16; Boudou p. xx-xxi.

[25] Lattey, Act p. xxxv-xxxvi; Boudou p. xxi; Jacquier p. lxxii.

[26] Baur, Church History I p. 133-6.—Licet autem schola Tübingensis iam diu sit mortua, tamen eadem opinio apparet apud Wellhausen, Davidson, Knopf etc. Cf. Rosadini II p. 19.

historica; sed 18 *orationes* quae ibi leguntur, putant esse compositas ab ipso Luca, non ab iis quibus tribuuntur.[27]

Ratio generalis ob quam hodie dubitatur de credibilitate Actuum est vita et fides *Ecclesiae* qualis ibi depingitur. Rationes speciales autem ob quas *orationes* dicuntur fictae a Luca, hae fere sunt: a) deerant documenta scripta harum orationum; quomodo ergo Lucas eas cognoscere poterat? b) Stilus et doctrina eadem sunt in orationibus Petri, Pauli, Stephani—id quod a priori improbabile est. c) Modus citandi V.T. non potest esse genuinus; quis credet Petrum citasse LXX coram Judaeis (Act 2, 27)? d) In Act 1, 16-22 Petrus utitur vocibus (διακονία, ἐπισκοπή) quibus uti nondum potuit. e) Argumentum Pauli in 17, 28-9 contradicit Rom 1, 18-32.[28]

c. *Harnack* non tantum probat Lucam evangelistam fuisse auctorem Actuum, sed admittit etiam plenam libri auctoritatem historicam—exceptis narrationibus miraculorum, quas dicit legendas.[29]

d. Tandem citemus *E. F. Scott* (Introd. to the N.T.), qui putat invenisse hos defectus in Act: a) Quoad facta: "Luke is too ready to sacrifice accuracy to effect; he is often careless in detail, and the many small errors can be so massed together as to throw serious doubt on the whole narrative" (p. 103). "We must always be careful to distinguish between the thing he records and the halo of marvel or mystery with which he invests it" (p. 101). b) Quoad orationes: "Some of the speeches have all the appearance of having been composed by himself, with little to guide him except his own sense of dramatic fitness" (p. 100). Quae utique si vera essent, etiam Actus legendi essent cum magno skepticismo.[30]

2. *Probatio*

Nota 1. Probatio nostra erit valde *generalis*. Sed theses 14 et 15 agent de fide Ecclesiae infantis (de qua Actus multa dicunt), et thesis 33 de miraculis Apostolorum (quae narrantur in Act).

Nota 2. Duo argumenta, cum sint *independentia*, se invicem confirmant, ita ut iure sumantur ut unum.

Arg. 1 (*supposita genuinitate stricta*)

Arg. idem est ac supra p. 151; sed probanda est minor.

---

[27]Ita Renan, Schmiedel, Jülicher (Introd. p. 443-5), von Soden (Hist. p. 224), J. H. Ropes (Syn. Gospels p. 61).

[28]Jacquier p. cclix-cclxi.

[29]Felder, Christ etc. I p. 324-9.

[30]Obiectiones omnes collegit Windisch, in Beg. of Chr. II p. 298-348.

1. *Scientia*

Lucas *facile* cognoscere poterat ea quae narrat in Act. Nam a) erat testis oculatus eorum quae narrat in nos-sectionibus. b) Ea quae respiciunt Paulum, Lucas facile discere poterat ex ipso; erat enim eius socius. c) Ea quae respiciunt varias ecclesias (Antiochiae, Ephesi, Jerusalem, Caesareae, Romae), discere poterat ex Apostolis eorumque discipulis, quibuscum diu familiariter conversatus est.—Lucae haec cognitio *bono* fuit; nam voluit describere propagationem initialem Ecclesiae in variis partibus imperii romani, et quidem eidem Theophilo cui antea promiserat accuratam investigationem rerum scribendarum.

Speciatim quoad *discursus*: a) Imprimis Lucas potuit habere hos discursus scriptos; v.g. sermonem Petri et apologiam Stephani; vel potuit eos habere ab auditoribus. b) Discursus singuli de facto concordant cum iis quae aliunde scimus de eorum auctoribus et adiunctis. Tandem c) si discursus essent ficti a Luca, dubium non est quin manifestarent maiorem artem.[31]

Nota. a) Non asserimus Lucam tradere vel voluisse tradere ipsissima verba aut totos discursus, sed eorum summarium vel ea quae ei videbantur maioris momenti. b) A priori exspectandum est Lucam eos aliquomodo adaptasse suo stilo et generi dicendi; videtur tamen hanc adaptationem fuisse minimam (infra p. 194).

2. *Veracitas*: Nemo gratis mendax, et Lucas, utpote Christianus bonus, abhorrere debuit mendacium, praesertim in rebus religiosis.

Arg. 2 (*non supposita genuinitate stricta*)

Nota. Quoad vim huius arg., cf. supra p. 153.

a. *Epistolae S. Pauli* fide dignae sunt—saltem quoad facta quae in eis narrantur (id quod probabitur in thesi 11 independenter ab hac). Atqui Actus non tantum numquam eis contradicunt, sed in multis explicite cum eis concordant (Harnack enumeravit 39 locos, quibus Jacquier addidit 17 alios). Id quod eo magis est mirandum cum auctor Actuum non legerit epistolas S. Pauli.

Dices: Actus *contradicunt* epistolis Pauli. Nam a) iuxta Act 9, 20-30 Paulus post suam conversionem venit in Jerusalem; sed in Gal 1, 15-24 Paulus asserit se abisse in Arabiam, dein revertisse Damascum, ac tandem venisse in Jerusalem.[32] b) Iuxta Act 15, 25 et 16, 4 Paulus et Barnabas promulgaverunt "decretum apostolicum" nomine Apostolorum; sed in 1 Cor 8 Paulus dicit se propria auctoritate vetuisse escam idololythorum; immo iuxta Gal 2, 10 Paulo tantum promulgandum erat ut Christiani essent memores pauperum.[33]

---

[31]Jacquier p. cclxiii-cclxxxvi.

[32]Haec discrepantia valde urgetur a K. Lake, in Beg. of Chr. V p. 192-5.

[33]Hanc obiectionem urget Knopf, Einf. p. 135.

R. *N.ass.* ad a) Iter arabicum non excluditur in Act, potius innuitur cum dicitur "cum iam impleti essent dies multi" (ἡμέραι ἱκαναί); his diebus potuit Paulus peragere ea quae ipse narrat in Gal 1.—ad b) Concilio apostolico peracto, Paulus quidem egit legatum Apostolorum; sed postea (1 Cor 8) propria auctoritate usus est. Gal 2, 10 autem non refert ad decretum apostolicum.[34]

Urg. Iuxta Gal 2, 16, *Ecclesia* ante Paulum professa erat necessitatem observationis legis mosaicae; sed iuxta Act 10, 9-16 Petrus diu antea edoctus erat de hac re in visione.

R. Contradictio disparet si Gal 2, 16 recte intellegitur.

Urg. *Paulus* alius est in Actibus, alius in suis epistolis. Nam in Act Paulus se exhibet ut fidelem observatorem legis mosaicae; sed in suis epistolis reicit cultum et leges Judaeorum.

R. *N.*[35]

b. Adiuncta minima, obiter dicta, tituli magistratuum, res geographicae etc. plene concordant cum documentis profanis, et quo plura documenta inveniuntur, eo magis *confirmatur* veritas historica Actuum. Falsarius vel fictionista aut vaga scripsisset aut in multis errasset; id quod admittitur a Ropes (p. 75), E. F. Scott (p. 103) etc.[36]

c. Idem est auctor Actuum et L. Atqui iam constat *auctorem L* fuisse testem fidelem eorum quae narrat. Ergo a priori exspectanda est similis fidelitas in Actibus.

d. Auctor Actuum a) nusquam se extollit; etiam in nos-sectionibus sibi tribuit locum modestum. b) Paulus est evidenter 'heros' auctoris; nihilominus aequo animo narrat ea quae ei non favent; sic narrat eius cooperationem ad lapidationem Stephani (7, 58), eius controversiam cum Marco et Barnaba (15, 36-40), effectum soporificum longi eius sermonis (20, 9), parvum successum eius praedicationis (28, 24) etc. c) Quamvis auctor extollat pietatem primorum Christianorum, non silet mendacium Ananiae (5, 1-11), "murmur Graecorum" (6, 1) etc.

e. Speciatim contra scholam Tübingensem: Is qui vult conciliare duas factiones, sedulo cavet ne offendat alterutram aut utramque. Atqui auctor Actuum talia non curat; sic in Act 1, 21-22 tales statuuntur condiciones apostolatus ut Paulus videatur excludi, et ex altera parte Judaei acerrime impugnantur in Act 7, 51-3.

---

[34] Ruffini p. 248-9; Rosadini II p. 28-9; Simón II p. 62; Merk p. 833-4; Jacquier p. lxxvii-lxxix, 296.

[35] Steinmann p. 5-6; Jacquier p. lxxiv-v, lxxxix-xcii.—Bene his et aliis obiectionibus respondet C. W. Emmet, in Beg. of Chr. II p. 265-297.

[36] Ruffini p. 241-5; Rosadini II p. 25-8; Simón II p. 19-27; Lattey, Acts p. xxx-xxxii; Boudou p. xix, 429-430, 270-1.

3. *Obiectiones*

1. Scopus Lucae erat *apologeticus,* scil. probare propagationem religionis christianae deberi Spiritui s. Ergo Actus non sunt fide digni.

R. *C.ant. N.cons.* Cf. supra p. 156; Feder p. 259.

2. (Schola Tüb.) Auctor Actuum *adulteravit* totam historiam Ecclesiae infantis.

R. *N.* Positive probavimus auctorem Actuum esse testem fidelem. Quoad obiectiones (p. 166): Imprimis estne silentium de controversia illa positivum? Controversia certo exaggerata est a rationalistis, et tempore quo scripti sunt Actus, iam oblivioni data est.—Dein num incredibile est Paulum circumcidisse Timotheum ne offenderet Judaeos?—Etiam evangelium prius praedicandum esse Judaeis, erat mandatum Domini (Act 1, 8); atque ipse Paulus scribit: Evangelium "virtus Dei est in salutem omni credenti, Judaeo primum et Graeco" (Rom 1, 16).—Tandem quoad parallelismum miraculorum: Cum munus Petri et Pauli simile esset, a priori credibile est utrique similia accidisse (sicut duobus militibus in bello). Nihilominus si miracula illa accurate comparantur, inter se valde dissimilia esse apparebit.[37]

3. *Orationes Petri* et *Pauli* tam similes sunt ut certo non sint habitae sicut leguntur in Act.[38]

R. *N.* De facto, orationes exhibent diversitatem characteristicam in indole loquentium et audientium, in adiunctis etc.

4. Ficta est *oratio Gamalielis* in Act 5, 36-9. "It must be remembered that, as no Christian was present at the meeting of the Sanhedrin, Luke's version of the speech can only be what he supposed to have been said" (Carpenter, Christianity acc. to St. Luke p. 229). "His words contain such manifest errors on the part of the historian, that all historical foundation must be denied them" (Weizsäcker, ib. I p. 25).

R. *N.* a) Cur non poterant exsistere acta officialia? b) In synedrio erant qui faverent religioni christianae; cur Lucas non poterat audire ab his quid dictum esset? c) Anachronismus, cuius Weizsäcker arguit Lucam, refert ad Theudam, de quo statim.

Urg. Ficta est *oratio Stephani* in Act 7, 2-53. Ita Weizsäcker, ib I p. 68-71.

R. *N.* Cf. Jacquier p. 201-2; Steinmann p. 76-77.

Urg. Ficta est *oratio Pauli* in Act 13, 16-41.

R. *N.* Vix est alia oratio Pauli quae clarius exhibeat characteristicam eius indolem; hinc immerito ei denegatur.

Urg. Ficta est *oratio Pauli* in Act 17, 22-31. Ita Weizsäcker, ib. I p. 246; Norden etc.

R. *N.* Ipse Harnack explicite defendit historicitatem huius orationis.[39]

5. In Act 15, 16-17 Jacobus, episcopus Jerusalem, traditur citasse V.T. (Amos 9, 12) *secundum LXX.* Atqui id improbabile est, cum Jacobus fuerit Judaeo-Christianus rigidus.

---

[37]Ruffini p. 245-7; Boudou p. 306-7.—"Probabile est Lucam voluisse in suo libro ea magis efferre quibus Petrus et Paulus *inter se convenerint.* Paulus ipse in suis epistolis pluries urget suum evangelium non esse aliud ac evangelium Petri" (Merk p. 731). Cf. Simón II p. 12.

[38]Ita Weizsäcker, Apost. Age I p. 40-1.

[39]Ruffini p. 253-7; Prat, Theol. I p. 11, 54-7; Lattey, Acts p. xxxiii-v; Boudou p. 391-4; Suppl. I col. 65-68.

R. 1. *Tr.* Esset enim res nullius momenti.

R. 2. Maior non est certa; olim enim exstabant duae recensiones textus hebraici (cf. infra p. 699).[40]

6. Est aperta contradictio inter Act 1, 18-19 et Mt 27, 3-10 quoad *mortem Judae Iscariotes.*

R. *N.* Duae narrationes se non excludunt invicem.[41]

7. Actus non possunt conciliari cum historia *Fl. Josephi.* Sic a) mors Herodis aliter narratur in Act 12, 19-24 quam in "Antiquitatibus"; b) iuxta Act 5, 36 Theudas seditionem movit ante Judam Galilaeum (i.e. ante annum 6), sed iuxta Fl. Josephum ca. 45.

R. 1. Essent res minoris momenti. Praeterea ea quae narrantur de Theuda, sunt dicta Gamalielis, quae mere citantur a Luca.

R. 2. Cur Fl. Josephus errare non potuit?

R. 3. Lucas et Josephus conciliari possunt. ad a) Duae narrationes referunt diversas circumstantias mortis Herodis, sed non vere inter se contradicunt. ad b) Fortasse Lucas non loquitur de eodem Theuda ac Josephus, vel nomen Theudae interpolatum est in libro Josephi.[42]

8. *Conversio Pauli* ter narratur in Actibus, scil. in 9, 3-19; 22, 6-16; 26, 12-18. Iamvero hae tres narrationes tantopere inter se differunt ut omnes verae esse non possint.

R. a) Si adsunt contradictiones tam evidentes, cur est quod Lucas ipse, scriptor diligens, eas non percepit et correxit? b) *Dist.* narrationes differunt quoad substantiam facti *N.* quoad adiuncta prorsus secundaria et nullius momenti *Tr.* Ipsi Sabatier et Scott, qui ibi vident contradictiones, substantiam retinent.

Tres autem dicuntur esse apertae *contradictiones*:

a. Secundum 9, 7 comites Pauli 'stabant' inter apparitionem; sed secundum 26, 14 'ceciderunt' in terram.—Contradictio solvitur recte vertendo verba graeca; scil. in 9, 7 εἱστήκεισαν significat 'erant', non proprie 'stabant'.

b. Secundum 9, 7 comites Pauli 'audierunt' vocem de caelo, id quod negatur in 22, 9.—Quae contradictio solvitur dicendo verbum aramaicum quo Paulus usus est in Act 22, 9 significare 'intellegere', vel (melius) distinguendo duplicem constructionem et significationem verbi graeci, scil. ἀκούειν τῆς φωνῆς (hear) vel τὴν φωνήν (understand).

c. Secundum 9, 6 et 22, 10 Paulus de sua missione instruendus erat Damasci ab Anania; sed secundum 26, 16 Paulus statim instruitur a Iesu. —Resp. In 26, 16 Paulus eventus narrat summatim, ac proinde non distinguit clare inter mandatum directum et indirectum. Idem dicendum de narratione Lucae ipsius.[43]

---

[40]Jacobus quidem stricte observavit legem mosaicam, sed non erat ex zelatoribus rigidis, de quibus in Act 21, 20-25 et Gal 2, 11-12.

[41]Boudou p. 19.

[42]Ruffini p. 251-2; Rosadini II p. 29-30; Höpfl-Gut p. 273-4; Lattey, Acts p. 37, 86; Boudou p. 113; Merk p. 688.

[43]Ruffini p. 249-251; Rosadini II p. 47-8; Murillo p. 6-8.—Kirsopp Lake duas priores obiectiones dicit nullius momenti, sed maxime urget tertiam (in Beg. of Chr. V p. 189-191).

ARTICULUS 8

EPISTOLAE PAULINAE

THESIS 11

Saltem 13 Epistolae Paulinae sunt stricte genuinae.

Cf. Cornely, Rom p. 16-21; Grandmaison I p. 21-35; Holzmeister p. 113-5; Höpfl-Gut p. 313-4; Knabenbauer, Eph p. 11-17; Merk p. 812-5; Prat, Theol. I p. 325-335, 466-472; Rosadini II p. 78-9, 93-8, 115-7, 123-6, 138-140, 146-153, 168-9, 175-7, 186-9, 194-6, 215-226; Simón II p. 113, 130, 161, 164-5, 231-3, 324-6, 334-5, 337-8, 340-1, 376-381.

S. Pauli Apostoli epistolas esse maximi momenti pro historia Ecclesiae infantis, nimis evidens est; ipse enim mortuus est ca. 67.

1. *Epistolae Paulinae* sunt epistolae quae in Vulgata latina tribuuntur Paulo Apostolo. *Paulus* autem est vir huius nominis cuius conversio et itinera apostolica narrantur in secunda parte Actuum, et cuius laus iam celebratur a Clemente Romano (RJ p. 5).

2. In Vulgata latina 14 epistolae tribuuntur Paulo Apostolo. Ex his 9 scriptae sunt ad varias ecclesias, scil. Rom, 1 et 2 Cor, Gal, Eph, Phil, Col, 1 et 2 Thess; 4 scriptae sunt ad individua, scil. 1 et 2 Tim, Tit, Philm; una est "ad Hebraeos".[1]

Omissa epistola ad Hebraeos, cuius valor apologeticus minor est, agimus de reliquis 13.

Ex his 4 dicuntur "epistolae maiores" (Rom, 1 et 2 Cor, Gal) quia sunt multo longiores quam ceterae. 4 vocantur "epistolae captivitatis" (Eph, Col, Phil, Philm), quia scriptae esse putantur dum S. Paulus primo Romae tenebatur captivus (Act 28, 30). 3 dicuntur "epistolae pastorales" (1 et 2 Tim, Tit), quia diriguntur ad pastores ecclesiarum et agunt de munere pastorali recte implendo.

3. *Quid probandum in hac Apologetica?*

a. Nullum dubium est de *genere literario* horum documentorum; non tantum dicuntur, sed evidenter sunt epistolae missae ad varias ecclesias vel individua.[2]

---

[1]Uti fere patet per se atque etiam ex 1 Cor 5, 9, S. Paulus alias epistolas scripsit, quae tamen hodie deperditae sunt. Cf. Rosadini II p. 66-7; Höpfl-Gut p. 312; Holzmeister, in VD 1937 p. 313-6.

[2]Quoad aliquam disputationem hac de re, cf. Rosadini II p. 69; Höpfl-Gut p. 316; Holzmeister p. 118; Gächter p. 197-8; Prat, Theol. I p. 64-8: Deissmann, St. Paul p. 8-25.

b. Neque ullum dubium est de *credibilitate* (humana saltem) eorum quae in his epistolis narrantur vel supponuntur ut facta (non agimus de doctrinis). Paulum enim facile scire potuisse ea quae narrat, patet ex eius familiaritate cum Ecclesia infante; eius veracitas autem est nimis evidens.

c. Neque dubium est quin textus noster harum epistolarum sit substantialiter *integer.* Sunt quidem 3 loci de quibus aliqui dubitant: Rom 15-16; 2 Cor 6, 14—7, 1; 2 Cor 10-13. Sed critici generatim concedunt haec esse scripta a Paulo; solum negant ea originarie fuisse partes epistolarum in quibus nunc leguntur; putant ea esse fragmenta epistolarum deperditarum.[3] Unde in Apologetica hanc quaestionem transmittere possumus.

d. 13 hae epistolae etiam sunt *genuinae sensu lato,* i.e. scriptae aetate apostolica. Nam "Patres apostolici" se valde familiares ostendunt cum omnibus; unde omnes exstiterunt et pervulgatae erant ca. 100.

e. Una igitur manet quaestio: Suntne hae 13 epistolae *stricte genuinae,* i.e. vere scriptae a Paulo Apostolo?

Thesis est historice et critice *certa.* Dogmatice est *de fide* (ex clara Scriptura); Paulus Apostolus enim se nominat auctorem omnium 13.

Thesis probatur

I. *Quoad 13 Epistolas in genere*

1. *Adversarii*: *Schola Tübingensis* olim tantum 4 "epistolas maiores" admisit ut genuinas; ceteras dixit infectas indole Judaica. Sed mox *Bruno Bauer* eandem indolem detexit in 4 istis, ac proinde omnes reiecit ut spurias. Eum secuta est *"schola Hollandensis"* et *"Encyclopaedia biblica"* (1899). Hodie tamen critici generatim admittunt 7 vel etiam 10 epistolas Paulinas ut genuinas.

2. *Probatur*

a. Rationes *externae*

Summi momenti sunt duo testimonia de genuinitate 2 epistolarum: a) *S. Clemens Rom.* (ca. 95) Corinthiis scripsit: "Epistolam beati Pauli in manus sumite; quid primum vobis in principio evangelii scripsit?" b) *S. Polycarpus* (ca. 115) scripsit ad Philippenses: B. Paulus, "qui cum esset apud vos . . . firmiter verbum veritatis docuit, qui et absens vobis scripsit epistolam" (RJ p. 24).

---

[3]Merk p. 861-3; Kenyon, The Story of the Bible p. 121-2.

In medio saec. 2, *fragmentum Muratorianum* omnes 13 epistolas enumeravit ut Pauli. Eodem tempore *Marcion* saltem 10 agnovit ut genuinas.

In fine saec. 2, *Clemens Alex.* et *Origenes* omnes 13 explicite adscripserunt Paulo, *Tertullianus* et *S. Irenaeus* saltem aliquas.

Eusebius nullum dubium novit de genuinitate 13 epistolarum.

b. *Ratio interna*: Nisi hae 13 epistolae essent Pauli Apostoli, essent opus *falsarii;* omnes enim eius nomen habent in exordio. Atqui consequens est impossibile; nam nullus falsarius illius aetatis fingere potuit virum talem qualem se prodit auctor.

c. Confirmatur: a) ex epistolis apocryphis, quarum indoles est prorsus aliena a nostris; b) ex nota vigilantia Ecclesiae ne libri canonici adscribantur falsis auctoribus.[4]

II. *Quoad Epistolas pastorales*

1. *Adversarii*: Inde a Schleiermacher, multi critici (Baur, Holtzmann, Jülicher, Dibelius) simpliciter negaverunt has epistolas esse Pauli Apostoli. Eorum rationes: a) *Eventus* qui in eis narrantur, nequeunt collocari in vita Pauli aliunde nota. b) *Lingua* mire differt a lingua epistolarum certo genuinarum; occurrunt enim multae voces et phrases quae alias non leguntur apud Paulum; e contra desunt phrases characteristicae Pauli.[5] c) *Stilus* est nimis languidus, diffusus, macescens. d) Vivo Paulo, *organizatio Ecclesiae* nondum eo progressa erat qualis supponitur in epistolis pastoralibus. e) Adversarii qui in his epistolis spectantur, nondum exsistebant aetate apostolica, sed sunt *Gnostici* saec. 2; immo ἀντιθέσεις τῆς γνώσεως in 1 Tim 6, 20 erat titulus libri Marcionis; ergo 1 Tim scripta est post Marcionem.[6]

Hodie critici admittunt genuinitatem partialem, quatenus earum auctor anonymus adhibuerit *"fragmenta"* ex genuinis epistolis Pauli. Ita Harnack, Knopf etc.[7]

2. *Commissio biblica* tria responsa edidit: a) Genuinitas epis-

---

[4]Zahn, Einl. II p. 112-6.

[5]Hanc obiectionem urget praesertim P. N. Harrison, The Problem of the Pastoral Epistles 1921.

[6]Linton p. 17-18, 116.

[7]Sic Scott, in suo libro "The Pastoral Epistles" (1936), putat eas esse "the work of an unknown Christian teacher, writing probably in the second century and making use of some fragments of genuine Pauline correspondence" (in JTS 1937 p. 273). Cf. Edw. Meyer III p. 132-4.

tolarum pastoralium est certa, atque etiam traditio de earum genuinitate (D 2172) ; b) "hypothesis fragmentaria" omni fundamento caret (D 2173) ; c) obiectiones contra earum genuinitatem sunt vanae (D 2174).

3. *Probatur*

a. Rationes *externae*: a) Rationes quas adduximus pro genuinitate 13 epistolarum, etiam probant genuinitatem epistolarum pastoralium. b) Et quidem valent pro his epistolis integris (contra hypothesim fragmentariam) ; nam testes laudati citant ex variis partibus harum epistolarum, et tamen eas semper tribuunt Paulo.[8]

b. Rationes *internae*: a) Paulus Apostolus se nominat ut auctorem etiam harum epistolarum, scil. in exordiis; et multa leguntur quae bene congruunt Paulo, sed vix scriberentur a falsario posteriore. b) Lingua et stilus non variantur intra singulas epistolas; hinc non est dubitandum de earum unitate literaria.

4. *Responsa ad obiectiones*

ad a) *C*. Sed cur non possunt esse *lacunae* in vita Pauli prout haec colligitur ex Actibus et aliis epistolis Pauli? Neque Lucas neque Paulus ipse unquam promisit biographiam completam.

ad b) et c) Non negamus diversitatem sat magnam linguae et stili, at inde non licet statim inferre alium auctorem. Etenim a) tanta non potest esse diversitas cum ipsi rationalistae supponant auctorem anonymum imitatum esse stilum Pauli, et cum ante Schleiermacher nemo eam senserit. b) Stilus harum epistolarum parum differt a stilo quem Paulus adhibet in sectionibus moralibus aliarum epistolarum. c) Diversitas satis explicatur ex scopo peculiari epistolarum pastoralium (scil. instruere pastores) et ex indole versatili Pauli.[9]

ad d) Termini hierarchici (episcopus, presbyter, diaconus) quibus Paulus utitur in epistolis pastoralibus, etiam alibi occurrunt (Act, 1 Cor, Phil). Ea autem quae Paulus dicit de his ordinibus ecclesiasticis, non iam congruunt modo loquendi saec. 2 (uti constat ex epistolis S. Ignatii).

Dices: Novo prorsus sensu adhibentur ἐκκλησία, εὐαγγέλιον, πίστις.

R. *N*. Idem sensus harum vocum occurrit in aliis epistolis Pauli.

Urg. Vox παλιγγενεσία (Tit 3, 5) est non tantum hapax legomenon, sed etiam mutuata ex religionibus paganis. Atqui talis mutuatio repugnat Paulo Apostolo.

R. Ante Christum haec vox adhibebatur quidem sensu generico, non vero religioso. Notio autem quae ei subest in Tit 3, 5, plane concordat cum doctrina Pauli, sed aliena erat a religionibus paganis.[10]

---

[8]Prat, Theol. I p. 466-7; Simón II p. 376-8.—E. F. Scott admittit: "They seem to have been known in their present form to Ignatius and Polycarp about the year 116 A.D., and were possibly quoted by Clement of Rome, nearly twenty years earlier" (Lit. etc. p. 194).

[9]Aliqui (v.g. Gächter p. 216) supponunt diversitatem partim deberi amanuensi (fortasse Lucae).

[10]Revue biblique 1938 p. 456-7; Lagrange, J p. 83-6.

ad e) *N.* Imprimis inter rationalistas non convenit qui sint hi adversarii. Dein Paulus potius arguit contra eos qui in ecclesiis christianis movebant "stultas quaestiones et genealogias et contentiones et pugnas legis" (Tit 3, 9), i.e. Judaeo-Christianos, qui vocantur οἱ ἐκ τῆς περιτομῆς in Tit 1, 10.[11]

III. *Quoad Epistolam ad Ephesios*

1. Non defendimus *titulum* huius epistolae. Critici enim dubitant num ἐν Ἐφέσῳ 1, 1 sit genuinum, et suspicantur epistolam potius dirigi ad Laodicenses vel esse encyclicam.[12]

2. *Adversarii*: Inde a Schleiermacher, multi critici negant hanc epistolam esse Pauli Apostoli. Eorum rationes: a) *Stilo* haec epistola valde differt ab epistolis Paulinis; nam constructiones sententiarum sunt multo difficiliores. b) Epistola etiam differt *lingua*; nam leguntur 36 hapax legomena et 43 voces quibus Paulus non utitur. c) In Eph occurrunt *ideae* prorsus novae et alienae a mente Pauli: Ecclesia ut una et universalis, Christus ut caput Ecclesiae etc. d) Eph tam *similis* est Col ut dicenda sit mera retractatio huius; atqui talis retractatio nequit tribui Paulo.[13]

3. *Probatio* genuinitatis huius epistolae eadem est ac pro epistolis pastoralibus. Recte Scott (Lit. etc. p. 180): "The weight of evidence is decidedly in favor of Paul's authorship".

4. *Responsa ad obiectiones*

ad a) Stili diversitas tanta non est ut Eph deneganda sit Paulo; diversitas autem quae adest, facile explicatur ex diversitate adiunctorum (scopi, materiae, destinatariorum etc.).

ad b) Etiam in Gal, de cuius genuinitate nemo dubitat, leguntur 31 hapax legomena et 39 voces quibus Paulus alibi non utitur.

ad c) Eph sane manifestat profundiorem cognitionem revelationis; sed num talis evolutio incredibilis est in ingenio tam vivaci et originali quale erat Paulus?—Porro idea Ecclesiae unius et universalis iam adumbratur in 1 Cor 10, 32; 15, 9; Gal 1, 13; Phil 3, 6. Similiter idea Christi ut capitis Ecclesiae iam adest in 1 Cor 6, 17; 12, 12; Rom 12, 4-5.[14]

ad d) Haec similitudo potius confirmat genuinitatem Eph. Neque tanta

---

[11] Prat, Theol. I p. 326-333, 470-2; Gächter p. 214-6; Meinertz p. 15-24; Merk p. 890-9; Höpfl-Gut p. 442-450; Rosadini II p. 222-5; Simón II p. 378-380.

[12] Merk p. 874-5; Meinertz p. 51-7; Gächter p. 213-4; Höpfl-Gut p. 397-400.

[13] Cf. H. J. Holtzmann, Einl. p. 257-266. Dicit J. Knox, in Journal of Rel. 1938 p. 145: "Ephesians is almost certainly pseudonymous". Et W. R. Inge confitetur (in Hibbert J. 1938 p. 462): "When I read Ephesians in English I think it may have been written by St. Paul, when I read it in Greek I do not recognize his manner".

[14] Jacquier, Hist. des livres du N. T. I p. 302-311; Benoit, in Revue biblique 1938 p. 115-9.

est ut Paulus dicendus sit a seipso mutuasse, sed eaedem locutiones aliter adhibentur ut exprimantur ideae aliae. Falsarius aliter scripsisset.[15]

Dices: Sunt doctrinae in Eph quae *contradicunt* doctrinis aliarum epistolarum: a) Pagani dicuntur "athei" (2, 12)—contra Rom 1, 18-32; b) nullum asseritur esse discrimen inter Judaeos et gentes—contra Rom 3, 1-5 et 9, 1-6; c) Christus non est persona historica, sed aliquid caeleste.

R. *Dist. ass.* adest vera contradictio *N.* efferuntur diversi respectus eiusdem doctrinae *C.* ad a) Uti patet ex contextu, pagani dicuntur athei quatenus non pertinuerunt ad populum electum. ad b) Discrimen valuit in V.T., sed non iam valet in N. T. ad c) Quamvis magis efferatur Christi dignitas caelestis, tamen etiam recolitur eius praedicatio (2, 17), eius mors in cruce (1, 7; 2, 12-16), eius resurrectio (1, 20).

---

[15]Jacquier ib. p. 311-3.

APOLOGETICAE

PARS QUARTA

Exsistentia Iesu Nazareni

Thesis 12

Iesus Nazarenus non tantum fuit persona vere historica, sed etiam substantialiter talis qualis describitur in 4 nostris evangeliis.

Cf. Braun p. 157-212; Brunsmann-Preuss II p. 249-278; DA II col. 1310-2; DieckmannR p. 364-390; Dorsch I p. 569-580; Felder, Christ etc. I p. 5-8, 75-9; Kneib p. 537-549; van Noort, Rev. p. 98-100; Pesch IV n 28-38; Ruffini p. 441-7.

Hac thesi ponitur fundamentum historicum proximum nostrae Apologeticae.[1]

Iesus Nazarenus est is cuius vita et doctrina, passio et mors describuntur in 4 nostris evangeliis.

Nota. Lucas narrat (1, 31) nomen *Iesu* ei impositum esse ab angelo qui nuntiavit conceptum virginalem Mariae, matri eius.—In multis locis N.T. autem vocatur *Nazarenus* (Ναζαρηνός vel Ναζωραῖος), non quod natus sit in Nazareth, urbe Galilaeae (uti volunt multi rationalistae), sed quia ibi commoratus est ante vitam publicam.—In Act 24, 5 etiam primi Christiani appellantur οἱ Ναζωραῖοι.

Thesim probabimus per 3 partes:

a. In prima parte probabimus circa initium aerae christianae (i.e. ante fere 19 saecula) exstitisse in Palaestina *virum huius nominis* eumque fuisse substantialiter talem qualis describitur in *4 nostris evangeliis.*—Speciatim contra antiquos haereticos probabimus eum fuisse verum *hominem.*

b. Dein descendemus ad minus generalia. Non quidem explicite probabimus omnia quae pertinent ad substantiam biographiae Iesu (cf. supra p. 145-6). Fere omittimus ea quae pertinent ad nativitatem, infantiam, adolescentiam Iesu; vix enim intrant in Apologet-

---

[1]Contra scholam sociologicam (Durkheim) et Form Criticism hodie probandum est religionem christianam et Ecclesiam Catholicam initium sumpsisse non a massa vaga fidelium, sed a Iesu, *persona historica.* Quamvis autem Iesus sit Deus ac proinde supra et extra historiam, tamen ob suam naturam humanam vocari licet "persona historica". Cf. Rast, in StZ 1936 p. 9.

icam nostram. Omittimus etiam ea quae pertinent ad Iesu magisterium, messianitatem ac divinitatem, institutionem Ecclesiae et magisterii semper vivi; de his enim explicite agemus in reliquis partibus Apologeticae. Sed in genere duo probabimus: a) Iesum patrasse multa *miracula;* b) ei iure tribui *discursus,* etiam longiores, qui leguntur in 4 nostris evangeliis.

Thesis est historice *certissima,* saltem quoad primam et secundam partem. Dogmatice thesis est *de fide divina et catholica.* Etenim proponitur in variis symbolis aliisque decretis magisterii. Cf. D 1707, 2029.

METHODUS

a. *Fontes probationis*

Fontes unde probabimus theses 12-35, sunt libri quorum credibilitatem historicam iam probavimus: 4 evangelia, Actus Apostolorum, epistolae S. Pauli. Hi igitur nobis diligenter versandi sunt.

Sequemur quidem Vulgatam latinam, sed ita ut semper respiciamus textum *graecum,* qui (excepto Mt) est originalis (cf. supra p. 81). Praeter hos libros, utiliter consuluntur eorum *commentarii.* Inter quos eminet Cursus S.Scripturae a Knabenbauer et Cornely conscriptus. Qui quidem non est infallibilis per omnia, at est eruditus, tutus, probatus.[2] Speciatim pro Actibus commendatur: E. Jacquier, Les Actes des Apôtres (1926); A. Boudou, Actes des Apôtres (1933); Steinmann, Die Apostelgeschichte (1934).

Utiliter quoque leguntur *"Vitae Christi",* his ultimis decenniis a viris catholicis conscriptae; v.g. a Didon, Fouard, Maas, Fillion, Clarke, Grandmaison, Lebreton, Goodier, Reatz, Prat, K. Adam, Willam, Lagrange, F. J. Mueller, Felder.

Hi commentarii et vitae supponunt utique libros illos esse inspiratos—id quod nobis (methodice) nondum licet; sed nihil obstat quin adhibeantur ut testimonia *peritorum.*

b. *Responsa ad obiectiones*

Saepe duplex responsum dari potest vel debet ad obiectiones: a) negativum (*apologeticum*), quatenus reicitur interpretatio textus proposita ab adversariis; quod responsum per se sufficit in Apologetica, sed debet esse certum; b) positivum (*dogmaticum*), quo statuitur verus sensus; quod responsum potest esse certum vel

[2]Fernandez, in IB p. 514 "in primis commendatur".

probabile; immo—id quod sequitur ex thesi 2—interdum sufficere debet interpretatio possibilis, etiam negative possibilis ("ostendi nequit").

I. Exsistentia Iesu

1. *Adversarii*

1. Docetae (saec. 1), Marcion (saec. 2), Manichaei (saec. 3) dixerunt *corpus Iesu* fuisse phantasticum. Eorum ratio: Materia est mala, ac proinde nequit hypostatice uniri cum Filio Dei.[3]

2. Ii qui negaverunt Iesum umquam *exstitisse*:

a. Secundum Ch. Dupuis (1742-1809) et C. F. Volney (1757-1820), Iesus est *persona mythica* sicut dii graeci, babylonici, aegyptiaci. Initio saec. 20 idem repetiverunt J. M. Robertson, W. B. Smith, P. Jensen, praesertim vero A. Drews et G. Brandes.[4]

b. Secundum A. Kalthoff, Iesus est mera *personificatio* spei Judaeorum tempore Traiani. Secundum P. L. Couchoud, Iesus est *idealizatio* atque habet exsistentiam mere idealem in mentibus fidelium.[5]

3. Ii qui admittunt exsistentiam Iesu, sed putant nos *fere nihil* scire de eo. Sic Renan 8 lineis comprehendit omnia quae certo sciamus de Iesu. Eandem conclusionem R. H. Lightfoot deducit ex Form Criticism: "For all the inestimable value of the Gospels, they yield us little more than a whisper of his voice" (in Contemp. Rev. 1935 p. 631); idemque repetit in Hist. and Interpr. p. 225.

Ad similem conclusionem deveniunt ii qui dicunt imaginem Iesu esse *substantialiter aliam* in synopticis, aliam in J, aliam in epistolis Paulinis.

A. Ritschl "holds that we have no direct knowledge of the Lord Jesus Christ, but only the record of the religious experiences of those who lived close to Him" (W. C. Robison, in Bibliotheca sacra 1935 p. 212). Similiter dicit S. J. Case: "To halt one's quest with

---

[3]Contra Docetas S.Ioannes scripsit suum evangelium ("Verbum caro factum est") et primam epistolam ("omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est"); contra Marcionem scripsit Tertullianus, contra Manichaeos S.Augustinus. Cf. DThC s.vv. Docètes, Docétisme; Otten III p. 80-1; LThK s.v. Doketen; HE II p. 32.

[4]Fillion, Les étapes etc. p. 320-346.

[5]Contra hos dein multi rationalistae scripserunt ut defenderent saltem nudam exsistentiam Iesu; v.g. Conybeare, The Historical Christ; S. J. Case, The Historicity of Jesus etc.

them, and immediately to reconstruct therefrom a 'Life' of Jesus, as though they carried us straight back to Him, is simply historical myopia" (Jesus p. 95).[6]

4. Ii qui faciunt Iesum totaliter alium quam magistrum religiosum mundi. Sic secundum "Christian Science", Iesus fuit *medicus,* qui ope suggestionis sanavit multos. Secundum Kohler (Jewish Theol. p. 433-441), Iesus fuit *rabbi et medicus,* qui voluit iuvare pauperes et miseros. Atque in genere dicit D. W. Riddle (in Journal of Rel. 1937 p. 170): "Each age has created its own figure of Jesus. This is the lesson of Schweitzer's Quest of the Historical Jesus and of Case's Jesus through the Centuries. It is illustrated by current and recent 'lives' of Jesus: one shows Jesus to have been a socialistic agitator, another as a small-town man, another finds him understandable on the analogies of the American business man—even yet a bewildering variety of conceptions appear in popular efforts to write Jesus' biography".[7]

2. *Probatio*

Nota. Tria argumenta afferenda sumi possunt ut unum; sunt enim independentia ab invicem, ac proinde se invicem confirmant.

Arg. 1. *Ex Evangeliis et Actibus*

Thesis est vera, si 4 evangelistae non poterant a) decipi in hac re neque b) alios decipere, et si c) eorum testimonium confirmatur per Actus.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Ad M. Impossibilitas deceptionis (passivae et activae) proxime intellegitur *psychologica* et *moralis,* quae tamen facile reducitur ad metaphysicam.

Prob.min.

a. Res probanda in hac parte pertinet ad *substantiam* 4 evangeliorum. Atqui a) duo evangelistae (Matthaeus et Ioannes) diu familiariter conversati sunt cum Iesu; hinc sunt testes oculati saltem quoad substantiam evangeliorum suorum. b) Idem dicendum de Petro, cuius praedicatio de Iesu prostat in Mc et Act. c) Evan-

---

[6] By 'them' Case means Mc and Q; but he would urge the objection even more if Mt and L were taken as direct sources.

[7] J. P. Love, Jesus in Current Thought, in Journal of Bible and Rel. 1939 p. 115-120; H. J. Cadbury, The Peril of Modernizing Jesus (1937); Pfannmüller, Jesus im Urteil der Jahrhunderte (1938).

gelia synoptica non sunt meri fructus studii privati (uti imaginantur rationalistae), sed traditionis oralis antiquissimae. Ergo evangelistae non poterant decipi.

b. Neque alios decipere poterant. Nam a) cum synoptici scriberent multi testes oculati vitae Iesu adhuc superstites erant. b) Cum J scriberetur, evangelia synoptica ubique sparsa et accepta erant.

c. In Actibus commemorantur fere omnes eventus vitae publicae Iesu, licet de eis non agatur explicite.

Dices 1. Alia est persona Iesu in synopticis, alia in J.

R. *N.* vel *Dist.* synoptici et J sibi invicem contradicunt in substantialibus *N.* ob diversos scopos alia et alia efferunt *C.* Rationalistae hodierni magis atque magis relinquunt hanc obiectionem.[8]

Urg. Secundum synopticos, Iesus praedicavit tantum per unum annum et quidem in Galilaea (excepta ultima hebdomada); sed secundum J, Iesus praedicavit per 3 annos et amplius, et quidem fere semper in Judaea.

R. Synoptici id neque explicite neque implicite asserunt. Potius leguntur apud eos indicia praedicationis multo longioris.[9]

Dices 2. Alius est Iesus in 4 nostris evangeliis, alius in evangeliis apocryphis et in libro "Toldoth Jesu".

R. *C.* Sed a) evangelia apocrypha relinquenda sunt saltem ubi contradicunt 4 nostris (supra p. 155). b) De "Toldoth Jesu" iudicat Klausner, ipse Judaeus: "The most superficial reading of this book serves to prove that we have here nothing beyond a piece of folklore" (Jesus of Nazareth p. 51).[10]

Dices 3. Ob suum enthusiasmum religiosum, primi Christiani *idealizaverunt Iesum,* quae idealizatio prostat in nostris evangeliis. Ita Strauss.

R. *N.* a) Obstat *breve tempus.* Idealizatio haec, quae sane inclusisset deificationem, debuisset esse completa, ubique sparsa, firmiter recepta intra 40 annos; atqui id psychologice impossibile est. b) Obstat *imago actualis* Iesu in evangeliis. Si haec esset idealizatio, multa omissa essent (v.g. quod Iesus aufugit, reputatus est potator, insanus, stultus, quod crucifixus est), alia dramatizata (v.g. annuntiatio, nativitas, vita in Nazareth, resurrectio, ascensio); de facto, evangelia apocrypha sic scribunt. c) *Impossibilis* fuisset idealizatio si Iesus fuisset talis qualem eum supponunt rationalistae. Secundum eos enim Iesus fuit vir ordinarius, pius quidem Judaeus, sed reiectus a suis, qui erronee putavit finem mundi instare, qui a se reppulit non-Judaeos, cuius finis erat mors in cruce. Quis talem virum idealizaret ut eum faceret Filium Dei?[11]

Schol. *Humanitas Iesu in evangeliis*

Dubium movetur quoad sensum testimonii evangelistarum, non

---

[8]Rosadini I p. 269-272.

[9]Rosadini I p. 274-5; Lagrange, J p. cxxxvii; Sutcliffe, A Two-Year Ministry.

[10]Grandmaison II p. 251-265; B. Pick, Jesus in the Talmud (Chicago 1913).

[11]Falcon p. 194-8.

quoad eius valorem. Scil. dubitant num evangelistae satis testentur eius humanitatem.

Sed Iesum fuisse verum hominem, clare apparet in synopticis; id quod generatim conceditur. Etiam in J a) Iesus se vocat "hominem" (8, 40) et "filium hominis" (1, 51; 3, 13; 5, 27 etc.); b) vocatur homo ab aliis (1, 30; 4, 29; 7, 46); c) exhibetur ut experiens humana (4, 7-8; 4, 31; 19, 28). Tandem Ioannes de eo emphatice declarat: "Verbum caro factum est" (1, 14).[12]

Arg. 2. *Ex epistolis Paulinis*

a. In suis epistolis S. Paulus commemorat multos *eventus vitae Iesu:* Iesus fuit "ex semine David" (Rom 1, 3) et "semen Abrahae" (Gal 3, 16), conceptus ex muliere et circumcisus (Gal 4, 4); Iesus fuit verus homo (Rom 5, 15; 9, 5; 1 Cor 15, 21; 1 Tim 2, 5) et habuit "fratres" (1 Cor 9, 5). Paulus commemorat institutionem Eucharistiae, Iesu mortem, sepulturam, resurrectionem, apparitiones (1 Cor 11, 23-26; 15, 1-11). Paulus novit varias *doctrinas* Iesu; v.g. de baptismo (Rom 6, 3-9), de matrimonio (1 Cor 7, 10), de lege suprema (Rom 13, 9), de consiliis (Rom 12, 14) etc.[13]

b. Pauli *scientia* et *veracitas* quoad haec : a) Paulus ea *facile* scire poterat; nam non tantum diu conversatus est cum primis Christianis, sed duo evangelistae (Marcus et Lucas) etiam diu collaboraverunt cum eo (Col 4, 10-14; Philm 24). b) Paulo *bono* erat haec scire; nam voluit esse Apostolus sicut "duodecim," ac proinde debuit esse "testis" sicut illi. c) Pauli *veracitas* a nullo negatur, et quoad facta vitae Iesu elucet ex eo quod non probat haec esse facta neque ea narrat chronologice, sed supponit omnia esse nota lectoribus.

Dices: Alius est Iesus apud synopticos, alius apud Paulum.

R. *N.* vel *Dist.* quatenus Paulus contradicat synopticis *N.* quatenus Paulus exhibeat Iesum sub novo respectu *C.* Scil. pars maxima synopticorum agit de vita Iesu in hac terra; sed epistolae Paulinae magis agunt de gloria Iesu post resurrectionem et in caelo.

Urg. Paulus non putavit Iesum fuisse verum hominem, sed praebuisse aliquam *speciem* hominis. De eo enim dicit: "secundus homo de caelo caelestis" (1 Cor 15, 47); "in similitudinem hominum factus" (Phil 2, 7); "Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati" (Rom 8, 3); "itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem; et si cognovimus

---

[12]Ruffini p. 334-5; Felder, Christ etc. I p. 246-7; Tillmann p. 25; Lepin p. 263-6; Gächter p. 159.

[13]Plura apud Prat, Theol. II p. 149, 154-7; Grandmaison I p. 21-35; Murillo p. 478-481.

secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus" (2 Cor 5, 16). Haec urgentur praesertim a Weizsäcker, J. Weiss, Couchoud.

R. 1 (apol.) Uti ostendimus in argumento, sexcenties Paulus affirmat vel supponit Iesum fuisse verum hominem. Ergo paucissimi hi textus non debent ita explicari quasi Paulus voluerit sibi contradicere et negare humanitatem Iesu.

R. 2 (dogm.) Interpretationem positivam horum textuum videas apud exegetas catholicos.

Arg. 3. *Ex historia Ecclesiae*

Duo sunt facta quae ne rationalistae quidem negant: a) *Fides firmissima* Christianorum, b) *mutatio morum in melius* tamquam fructus huius fidei. Scil. a) primis Christianis firmissime persuasum erat suam religionem fundatam esse a Iesu Nazareno eumque fuisse substantialiter talem qualis describitur in 4 nostris evangeliis; b) aera christiana ab initio exhibet mutationem maximam morum in melius, quae fluxit ex ista fide.[14]

Ergo haec facta explicari debent, et quidem per causas reales.

Atqui nisi fides Christianorum fuisset vera, haec facta essent prorsus inexplicabilia.

Ergo fides Christianorum fuit vera, i.e. Iesus Nazarenus vere exstitit et fuit talis qualis describitur in 4 nostris evangeliis.

Prob.min. Secus causa fidei et mutationis dicenda esset mera fictio vel hallucinatio, immo fraus deliberata. Atqui quis credit genus humanum talibus moveri ad fidem firmissimam et vitam meliorem?

Dices: Magnae mutationes (v.g. reformationes, revolutiones) et evolutio societatum potius procedunt a *communitate* quam ab hoc vel illo individuo. Quod principium etiam valet pro religione christiana.[15]

R. a) Quidquid est de aliis religionibus, positive probavimus hanc theoriam non valere de religione christiana. b) Schola sociologica nondum probavit hanc esse veram legem historicam; unde res etiam aliter esse potuit. c) Theoria haec magis atque magis relinquitur a peritis; contradicit enim historiae.[16]

Confirmatur: Thesis confirmari potest ex mutuis *contradictionibus rationalistarum*. Unaquaeque schola rationalistarum enim non tantum negat conclusiones aliarum scholarum, sed facile probat eas niti falsis principiis et sequi methodos malas. Cf. Falcon p. 205-8.

---

[14]Quantum fides Christianorum distulerit a fide paganorum, et quanta fuerit eius firmitas et constantia, cf. Prümm I p. 44-52; Falcon p. 186. Quanta autem fuerit mutatio morum, cf. thes. 35.

[15]Ita schola "sociologica"; etiam Bousset, Bultmann, Streeter, Kundsin etc.

[16]Pinard I p. 431-450; II p. 367-8; Grandmaison I p. 196-202.

Cor. Ergo nisi quis admittat nostram thesim, logice reduci potest ad *skepticismum historicum.* Si enim tanta evidentia historica reicitur, logice dubitari debet de omni historia.

ALII TESTES ANTIQUISSIMI

Ex hoc corollario patet non esse necessarium ut conquiramus testimonia ex aliis fontibus; argumenta allata plene sufficiunt ad convincendam nostram thesim. Breviter tamen etiam alia afferamus eruditionis causa.

A. *Testimonia Judaeorum coaevorum*

1. *Flavius Josephus*

a. Textus noster graecus "De bello judaico" nihil continet de Iesu. Sed ante 50 annos reperta est versio slavica libri ex saec. 13, ibique leguntur 9 additamenta in quibus sermo est de Ioanne Bapt., de Iesu eiusque discipulis.

Quae additamenta ab aliis dicuntur genuina, ab aliis spuria; et adhuc *sub iudice lis est.*[17]

b. In cap. 18 libri "Antiquitates Judaicae" plura leguntur de Iesu. Longae controversiae autem agitatae sunt inter criticos quoad eorum genuinitatem. Sententia *probabilior* haec est: Josephus ibi revera locutus est de Iesu Nazareno; nam textus noster legitur in omnibus codicibus et iam citatur ab Eusebio. Sed quaedam interpolata sunt; nam Josephus, utpote Judaeus, non potuit omnia dicere quae nunc ibi leguntur, et Origenes explicite asserit Josephum non habuisse Iesum ut Messiam. Sublatis autem interpolationibus, adhuc manet testimonium Josephi de Iesu exsistentia, miraculis, morte per Pilatum.[18]

c. In cap. 20 eiusdem libri, Josephus loquitur de Jacobo, eumque vocat "fratrem Iesu qui dicitur Christus". Qui textus fere ab omnibus dicitur genuinus.[19]

2. Quoad *Talmud* ait Klausner (p. 18): "The references in the Talmud . . . to Jesus are very few; and even these have very little historical value, since they partake rather of the nature of vituperation and polemic against the founder of a hated party, than of

---

[17] Felder, Christ etc. II p. 293-4; Brunsmann-Preuss II p. 265-270; Boylan, in Irish Eccl. Rec. 1931 p. 453-460; E. F. Scott, in Harvard Theol. Rev. 1934 p. 6-10.

[18] Felder, Christ etc. II p. 290-3; Brunsmann-Preuss II p. 258-265; Grandmaison I p. 8-9, 190-5; E. Meyer I p. 206-211; Klausner p. 55-8; Bernstein p. 282-293; Arendzen, Men etc. p. 271-287.

[19] Klausner p. 58-60; Knabenbauer, Mt II p. 493.

objective accounts of historical value". Nihilominus Klausner putat (p. 20) ex Talmud rite probari exsistentiam et indolem generalem Iesu talem qualis depingitur in 4 nostris evangeliis.[20]

B. *Testimonia Romanorum coaevorum*

1. *Cornelius Tacitus,* in libro "Annales", quem scripsit sub Traiano imperatore (96-117), haec habet de persecutione Neronis anni 64: "Sed non spe humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis adfecit, quos per flagitia invisos vulgus Chrestianos appellabat. Auctor eius nominis Christus, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursum erumpebat, non modo per Judaeam, originem eius mali, sed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque".

Critici admittunt textum esse *genuinum.* Tertullianus autem et Lactantius testantur paganos nomina 'Christus' in 'Chrestus' et 'Christiani' in 'Chrestiani' convertisse.[21]

2. *C. Plinius Secundus Minor,* proconsul Bithyniae, ca. 112 scripsit Traiano imperatori Christianos suae provinciae exercere "superstitionem pravam immodicam"; "ideo dilata cognitione ad consulendum te concurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur; neque civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est. Quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat prope iam desolata templa coepisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti pastumque venire victimarum, cuius adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari quae turba hominum emendari possit, si sit poenitentiae locus".

Traianus respondit: Christiani "conquirendi non sunt; si deferantur et arguantur, puniendi sunt—ita tamen ut, qui negaverit se Christianum esse . . . veniam ex poenitentia impetret".

Nemo iam negat genuinitatem epistolae Plinii aut responsi Traiani.[22]

---

[20]Braun p. 177, 192-4.

[21]DieckmannR p. 379; Ruffini p. 445; Jacquier p. 352; Lagrange, L p. 576.

[22]DieckmannR p. 379; Grandmaison I p. 14-16; Ruffini p. 443-5; LThK s.v. Plinius.

3. *C. Suetonius Tranquillus* haec narrat de Claudio imperatore: "Judaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit". Non impugnatur genuinitas textus, sed negatur ibi agi de Christo. Nam, dicunt, a) 'Chrestus' non est Iesus, sed Judaeus aliqui qui tunc temporis multas rixas excitavit. b) Iesus non potuit dici "impulsor Judaeorum". Sed ad a) cf. supra p. 186; ad b) pagani tunc temporis vix distinxerunt inter Christianos et Judaeos.[23]

C. *Documenta spuria*

1. *"Epistola Lentuli"*. Haec praetendit esse epistola quam Lentulus, proconsul tempore Tiberii, scripserit ad senatum romanum. Sed documentum hoc ortum est saec. 8.[24]

2. *"Epistola Essenorum"*. Haec praetendit esse epistola quam Esseni in Jerusalem scripserint ad Essenos Alexandriae. Resurrectio et ascensio Iesu describuntur more rationalistarum. Epistola haec orta est saec. 19.[25]

3. *"Epistola Benan"*. Haec praetendit esse epistola quam scripsit Benan quidam, sacerdos et medicus aegyptiacus, ad Stratonem, amanuensem Tiberii. In ea haec narrantur: Iesus infans venit in Aegyptum ibique didicit sapientiam Aegyptiorum, praesertim medicorum; reversus in Palaestinam docuit per 3 annos et ope suae artis medicae multos sanavit; cum Benan vellet eum visere in Jerusalem, factus est testis crucifixionis, resurrectionis, ascensionis. Documentum hoc ortum est saec. 20.

4. *"As Others Saw Him"*. A Retrospect A.D. 54 (London 1895). Auctor est Joseph Jacobs, Judaeus. Liber est series epistolarum, quae praetendunt esse scriptae a coaevo Iesu.

5. *"Philochristus.* Memoirs of a Disciple of the Lord" (Macmillan 1916). Dedicated to Sir John Seeley, the author of 'Ecce homo'.

---

[23]Boudou p. 397.—Tria haec testimonia, etsi simul sumantur, vix dant certitudinem de exsistentia Iesu. Rationalistae tamen qui, reiectis evangeliis, salvare volunt exsistentiam Iesu, ad ea confugiunt.

[24]Haec epistola etiam continet *descriptionem* personae Iesu (eius staturae, coloris, aspectus etc.), quae interdum citatur a scriptoribus asceticis, et secundum quam pinguntur imagines Iesu. Sed descriptio est fructus piae imaginationis monachorum medii aevi. Simón I p. 181-2; Revue bibl. 1931 p. 362; Felder, Christ etc. II p. 208-9; Nouvelle Revue Théol. 1938 p. 257-283.

[25]Cf. "The Crucifixion" by an Eye-witness, Chicago 1907.

II. Miracula Iesu

1. *Explicatio*

1. Loquimur de miraculis *physicis*. 4 nostra evangelia autem narrant Iesum patrasse talia cum numero tum genere plurima:

a. *Numero:* Interdum evangelistae ea narrant quasi summatim. Sic legimus Mt 4, 23-24: "Et circuibat Iesus totam Galilaeam, docens in synagogis eorum et praedicans evangelium regni Dei; et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant, et lunaticos et paralyticos, et curavit eos". Cf. etiam Mt 11, 5; L 6, 18-19 etc. Fere 40 miracula physica autem describuntur accuratius, ex quibus 20 habentur in Mt, 18 in Mc, 20 in L, 8 in J.

b. *Genere:* Miracula physica Iesu non erant omnia eiusdem generis, sed in varias classes distribui possunt. Hodie sat communis est divisio haec: suscitationes mortuorum, expulsiones daemonum, sanationes aegrotorum, miracula cosmica ("miracles of nature").

2. In thesi 20 distincte perpendemus has 4 classes; nunc eas non quidem excludimus, sed loquimur indeterminate. Asserimus Iesum patrasse aliqua miracula physica, immo *multa* et *varia*.

2. *Adversarii*

1. Judaei coaevi Iesu et philosophi pagani, cum non auderent negare veritatem historicam miraculorum Iesu, negaverunt eorum veritatem *philosophicam* et *theologicam*. Vel enim dicebant Iesum ea patrasse ope artis magicae aut daemonum, vel ea neglegebant utpote facta sabbato.[26]

2. Rationalistae hodierni, generatim loquendo, negant veritatem *historicam* miraculorum Iesu. Narrationes miraculorum quae leguntur in evangeliis, dicunt esse interpolationes vel fictiones. Pro iis autem quae sic non removentur, Keim olim proposuit 4 explicationes; Harnack habet 5: a) exaggerationes eventuum naturalium, b) illusiones, c) imaginaria impletio V.T., d) sanationes extraordinariae, e) inexplicabilia (Wesen etc. p. 19).[27]

3. Loisy: Miracula evangelica sumenda sunt *allegorice*.

---

[26] Felder, Christ etc. II p. 294-6; Samain, in EphL 1938 p. 449-490.

[27] Similia habet Sanday, Life etc. p. 203-226. Sed principium iam statuerat

3. *Probatio*

Arg. 1. *Ex 4 evangeliis*

a. Generatim loquendo, narrationes miraculorum non sunt interpolatae; nam textus hodie receptus est *critice certus* (supra p. 105). Unde ii qui scripserunt 4 evangelia, etiam scripserunt narrationes miraculorum quae ibi leguntur.

b. Triplex veritas horum miraculorum: a) Narrationes miraculorum sunt *credibiles*. Etenim 4 evangelia sunt fide digna saltem quoad substantiam; atqui hae narrationes pertinent ad *substantiam* 4 evangeliorum; nam materialiter constituunt magnam eorum partem; formaliter tam arcte conexae sunt cum tota historia evangelica (praesertim in J) ut expungi non possint quin totum collabatur.[28] Porro evangelistae erant *testes* immediati (Matthaeus et Ioannes) vel fere immediati (Marcus et Lucas) etiam miraculorum Iesu; quae non erant minus cognoscibilia quam plurima alia facta vitae Iesu.—Haec non tantum valent de veritate historica miraculorum Iesu, sed etiam de eorum veritate b) *philosophica* et c) *theologica;* nam facta haec narrantur ab evangelistis praecise qua miracula.

Confirmatur: a) Non erat collusio inter evangelistas. Nam non omnes narrant eadem miracula; et ea quae narrantur a pluribus, haud raro ita narrantur ut adsit concordia quoad substantiam facti, sed sat magna discordia quoad accidentalia. b) Narrationes ipsae miraculorum sunt simplices et sobriae. Non omnia adiuncta faciunt ad aedificationem, neque miracula narrantur ut satisfiat curiositati lectoris; qua in re toto caelo differunt a miraculis quae leguntur in evangeliis apocryphis. c) Evangelistae citant dicta Iesu in quibus miracula parvi fieri videntur (v.g. Mt 7, 21-23; Mc 9, 37-40; L 10, 20).[29]

Arg. 2. *Ex Actibus*

Petro, familiari Iesu, persuasum erat Iesum multa miracula

Strauss: "No single Gospel, nor all the Gospels together, can claim that degree of historical reliability which would be required in order to make us debase our reason to the point of believing miracles" (Life of Jesus for the people; Preface). Cf. Smit p. 51-2, 184-5; Pinard II p. 87; Schweitzer, Quest etc. p. 64; Bruce, The Mirac. Element etc. p. 84, 89, 95-6.

[28]Id quod expresse admittitur ab Harnack. Cf. DieckmannR p. 593-6; Merk p. 722; Simón I p. 214; C. J. Wright p. 280-3.

[29]DieckmannR p. 600-2; Falcon p. 245-250; Felder, Christ etc. II p. 313-6.

patrasse; ad ea enim audacter appellavit inde a die Pentecostes (Act 2, 22-32; 10, 38 etc.).

Arg. 3. *Ex influxu Iesu*

Influxus historicus Iesu (quem rationalistae negare non possunt) inexplicabilis esset nisi niteretur eius miraculis. Immo evidens disproportio inter hunc influxum et causam pure naturalem his ultimis annis duxit ad negationem ipsius exsistentiae Iesu.[30]

Confirmatur:

a. *Judaei coaevi Iesu* ausi non sunt negare veritatem historicam aut philosophicam miraculorum Iesu, ne tunc quidem cum instituissent examen officiale; tantum negaverunt veritatem theologicam, adscribentes miracula Iesu daemoni.—Etiam *Fl. Josephus* testatur miracula Iesu (supra p. 185).

b. Judaei qui in *Talmude* scripserunt, non negaverunt Iesu miracula, sed ea adscripserunt arti magicae quam Iesum in Aegypto didicisse fabulabantur.[31]

c. Neque *philosophi* pagani saec. 2 et 3 negaverunt veritatem historicam aut philosophicam.[32]

d. Etiam evangelia *apocrypha* multa miracula adscripserunt Iesu. Cur? Quia erat firma persuasio Ecclesiae totius Iesum multa miracula patrasse.

Cor. Ergo etiam negatio generalis miraculorum Iesu ducit ad *skepticismum historicum.* Historia enim tam evidenter testatur Iesum vera miracula patrasse ut, his negatis, facta plurima historiae negari debeant.

4. *Obiectiones*

1. Miracula sunt *impossibilia.*

R. Hoc est merum praeiudicium rationalistarum.[33]

---

[30] S. Thomas, Contra gent. I c. 6; DieckmannR p. 596-9; Reatz (p. 54): "It is only one step from denying miracles to denying the existence of an historic Jesus".

[31] Klausner p. 46.

[32] Simón I p. 215; Muncunill I p. 217.

[33] Cadoux (p. 195) negat criticos plerosque irretitos esse hoc praeiudicio; sed C. J. Wright id aperte concedit (p. 302): "It is hardly open to question that the real ground for expunging the 'miracle' features from some of these narratives is not that there is insufficient 'evidence' or even that the evidence is not 'good enough' (for it is difficult to see under the circumstances of the case how it could be 'better'), but the *a priori conviction* that these things are intrinsically incredible". Renan aperte confitetur: "That the gospels are in part legendary is quite evident, inasmuch as they are full of miracles and of the supernatural" (Life of Jesus p. xxxvii). Similia habent Strauss,

Duo notanda: a) Rationalistae admittunt ut historicas eas narrationes miraculorum quas putant posse explicari naturaliter, et reiciunt eas quae evidenter excludunt talem explicationem; ergo sola ratio reiciendi est praeiudicium. b) Recte dicit Smit (p. 180): "Illi qui aprioristica idea impossibilitatis miraculi imbuti sunt, omnia improbabilia credunt ne miraculum admittere cogantur". Addamus c) obiectiones pueriles excogitant (ut videre est in Woolston).

Urg. Saltem miracula non pertinent ad *historiam.*

R. Cur non? Sunt facta historica sicut alia. Et si carent nexu naturali cum antecedentibus, habent nexum naturalem cum subsequentibus. Sic visus caeci nati (J 9) non sequebatur quidem naturaliter ex caecitate, sed post sanationem naturaliter vidit Iesum.

2. Miracula Iesu non differunt a miraculis quae olim pii *pagani* adscripserunt suis diis; etiam evidentia est fere eadem. Atqui non accipimus haec. Ergo neque accipere debemus miracula Iesu.[34]

R. Transmittimus quaestionem num vera miracula fieri possint apud paganos. Sed tria dici possunt: a) Rarissime constat veritas *historica,* neque in ullo casu evidentia est tanta quanta pro miraculis Iesu. b) Saepe deest veritas *philosophica,* scil. ea quae narrantur, non excedunt vires naturae. c) Saepe deest veritas *theologica,* cum narrata sint in se absona et Deo indigna.[35]

3. Distinguendum omnino est inter *facta* et *iudicium* de factis. Facta miraculosa narrata in evangeliis sunt certa; sed cum evangelistae ea adscripserint Deo, nos ea tribuimus causis naturalibus. Ita Gottlob Paulus.

R. Veritas philosophica et theologica miraculorum Iesu ("iudicium de factis") iisdem argumentis probatur ac veritas historica.

4. Est maxima *diversitas* inter miracula narrata in J et in synopticis. Ergo aut haec sunt ficta aut illa.

R. *Tr.ant. N.cons.* Quoad 3 rationes allatas supra p. 150: ad a) Etiam apud synopticos leguntur miracula vere stupenda (v.g. sedatio tempestatis, multiplicatio panum); dein Ioannes narrare voluit ea quae manifestarent "gloriam quasi unigeniti a Patre" (J 1, 14). ad b) Fateamur nos nescire; sed possunt assignari rationes probabiles cur quaedam miracula desint apud synopticos, adsint in J, vel vice versa. ad c) Uti patet examinanti, haec diversitas exaggeratur.[36]

Urg. "Quartum evangelium miracula *exaggeravit*" (D 2017).

R. Est assertio gratuita.

Urg. Miracula in J sumenda sunt *allegorice* vel *symbolice.*

R. *N.* vel *Dist.* possunt sic explicari *Tr.* Ioannes noluit ea tradere ut facta historica *N.* Iesus ipse explicat aliqua sua miracula symbolice, etiam in synopticis; v.g. sanationem paralytici (Mt 9, 2-6), sedationem tempestatis

---

Troeltsch, Harnack etc. Cf. Falcon p. 165; Wilmers, Lehrb. II p. 138; Marquardt p. 34, 73.

[34]Sic dicit Streeter (Restatement and Reunion p. xii): "It is indeed less the weakness of the evidence for the Biblical miracles, than the strength of the evidence for others, that constitutes one of the main difficulties of the present time".

[35]Pesch I n. 204-8; Falcon p. 489; Brunsmann-Preuss II p. 123-130.

[36]Smit p. 181-4; Tillmann p. 35-7; Rosadini I p. 272-4; Knabenbauer, J p. 359.

(Mt 8, 23-27), sanationem caeci nati (J 9, 39-41), resurrectionem Lazari (J 11, 23-26) etc.[37]

5. Saltem ea miracula non sunt certa quae tantum ab *uno* evangelista narrantur; v.g. resurrectio Lazari.

R. a) Id gratis asseritur. Potest tamen concedi evidentiam per se non esse aequalem. b) Ad thesim sufficiunt assertiones generales evangelistarum et ea miracula quae a duobus vel pluribus narrantur.

6. Iesus bis expresse promisit Judaeis tantum *unum* miraculum, scil. "signum Jonae" (Mt 12, 39; 16, 4; L 11, 29). Ergo a) cetera non sunt miracula; b) hoc miraculum mere promittitur, neque narratur impletio.

R. 1 (apol.). Historicitas multorum miraculorum Iesu extra dubium est et Iesus saepe ad ea appellavit. Ergo sensus huius dicti nequit esse is quem obiectio supponit.

R. 2 (dogm.) Sensus non est omnino clarus. Videntur pharisaei postulasse a Iesu signa de caelo (ignem, pluvia etc.) qualia fecerat Elias[38] vel qualia diabolus proposuerat in 3 tentationibus.[39]

7. Primi Christiani *affinxerunt* Iesu miracula, quia firmiter crediderunt eum esse Messiam, qui in V.T. praedictus erat ut thaumaturgus. Quae fictio fiebat vel secundum miracula V.T. vel secundum mira quae tunc temporis circumferebantur inter Judaeos et paganos; interdum dicta Iesu mutabantur in miracula. Ita Strauss.[40]

R. Praeter ea quae supra dicta sunt (p. 191), tria alia urgeri possunt contra hanc theoriam: a) Deerat *tempus* ad talem fictionem; evangelia synoptica enim probabilissime scripta sunt ante 70, et quidem secundum praedicationem Apostolorum (supra p. 119-121, 143); ergo miracula in eis narrata debuerunt non tantum fingi intra paucos annos, sed etiam spargi et credi ubique. b) Miracula V.T. erant potius punitiva et retributiva; Iesu miracula autem sunt (uno excepto) medicinalia et actus benevolentiae; unde haec *mutatio?* c) Cur evangelistae retinuerunt dicta Iesu in quibus miracula *parvi fieri* videntur?

Urg. "All sacred literature reveals the tendency to invest great historic personalities with the halo of veneration. This 'reverence' increasing with time, unconsciously influences the minds of their biographers. . . . The 'increasing reverence' tendency and the idea that amazing deeds are possible to outstanding personalities go together, and result in the *legendary 'miracle' tales* which have gathered round the founders of religion" (C. J. Wright p. 296). Idem dixerat Harnack.

R. a) Hoc est bonum exemplum argumentationis aprioristicae in rebus historicis: "Ex uno (vel paucis) disce omnes". b) Ariani non affinxerunt miracula Ario, neque Lutherani Luthero, neque Anglicani Henrico VIII. Primi Christiani non affinxerunt ullum miraculum Ioanni Bapt., quem Iesus ipse summa laude affecerat, neque matri Iesu.[41]

8. Si Iesus tot ac tanta miracula patrasset, a) Judaei non potuissent eum non *agnoscere* ut Messiam, b) scriptores *profani* coaevi non potuissent ea

---

[37]Fillion, Les miracles I p. 154; Simón I p. 211-2; Gächter p. 155-6; Knabenbauer, J p. 335.

[38]3 Reg. 17, 1; 12, 36-38; 4 Reg. 1, 10.

[39]Knabenbauer, Mt I p. 557-560; Dausch p. 199; Lagrange, Mc p. 204-7; Mt p. 249-250, 317.

[40]Cf. Case, Jesus p. 337-360; Bruce, The Mir. Element p. 90.

[41]DieckmannR p. 605-6.

tacere. Atqui a) pauci Judaei eum agnoverunt ut Messiam; b) scriptores isti prorsus tacent miracula.

R. ad a) *Dist.* si Judaei caruissent praeiudiciis *C.* aliter *N.* ad b) Quoties hodie scriptores profani loquuntur de miraculis ad Lourdes patratis? Dein scriptores isti vix alia curaverunt quam res politicas; atqui Iesus has vitavit. Tandem Fl. Josephus explicite commemorat miracula Iesu, neque philosophi saec. 2 et 3 ausi sunt ea negare.[42]

Schol. Ob varios respectus miraculorum, in N.T. variis *nominibus* designantur. Vocantur enim Θαυμάσια et παράδοξα (Mt 21, 15; L 5, 26), i.e. mira seu mirabilia, quia movent admirationem; vocantur τέρατα (Mt 24, 24) vel σημεῖα (praesertim in J), i.e. signa, quia attentionem dirigunt ad rem altiorem; a synopticis saepe vocantur δυνάμεις (v.g. Mt 7, 22; 11, 20), i.e. virtutes, quia postulant virtutem altiorem; antonomastice vocantur ἔργα (Mt 11, 2), i.e. opera, quia sunt opera divina.[43]

III. Discursus Iesu

1. *Adversarii*

Adversarii sunt imprimis ii qui dicunt discursus Iesu in J esse *pias meditationes* seu reflexiones ipsius auctoris (supra p. 150). Dein J. Weiss, Loisy etc. qui dicunt *parabolas* obscuras esse fictas.

2. *Probatio*

1. Firmitas textus hodie recepti (supra p. 105) vetat dicere discursus Iesu esse interpolatos. Sunt igitur scripti ab auctoribus ipsorum evangeliorum.

2. Neque discursus sunt ficti. Nam pertinent ad *substantiam* evangeliorum: a) materialiter, quatenus constituunt magnam partem eorum; b) formaliter, quatenus evidenter fuit scopus evangelistarum tradere doctrinam Iesu, quae continetur in his discursibus.

3. Aliqui discursus Iesu autem sunt *sat longi.* Quaeres: Quomodo evangelistae vel Apostoli eos *memoria* tenere potuerunt per annos? Quae difficultas crescit quoad Ioannem, qui non scripsit suum evangelium nisi post 60 annos.

Difficultas disparebit si res consideratur in concreto. Etenim

---

[42] Falcon p. 184-5.

[43] Baierl I 2 p. 210-1; Fillion, Les Miracles I p. 18-21; DThC s. v. Miracle col. 1800-1; Prat, J.-Chr. I p. 555; Fonck, Wunder etc. p. 54-6; Cornely, Rom p. 755; 2 Cor p. 333.

a) ob suam educationem et modum vivendi *orientales* gaudent memoria tenaciore quam nos. b) Discursus Iesu excitabant *attentionem;* quae erat partim spontanea (v.g. quia contradicebant doctrinae legisperitorum, vel quia provocabant dubia et quaestiones, vel quia erant quasi fructus alicuius facti vel miraculi etc.), partim voluntaria (scil. ob amorem quo Apostoli prosequebantur Dominum). c) *Forma* discursuum saepe erat rhythmica, i.e. diversificata per divisiones, repetitiones, oppositiones, comparationes etc. Tandem d) recolendum est Apostolos *constanter praedicasse* secundum discursus Iesu et discipulos eos repetivisse.[44]

Quae rationes etiam valent quoad longos discursus quos *Ioannes* nobis servavit (J 5, 19-47; 6, 26-58; 7, 16-29; 14-17). Adde quod Ioannes, utpote "discipulus dilectus", a) spiritum et verba singula Iesu avidius imbibit, b) eaque saepe repetivit apud se, c) saltem primis annis memoriam confirmare potuit per memoriam ceterorum Apostolorum, qui eosdem discursus audierant.[45]

4. Duo adhuc sunt notanda:

a. Non est exspectandum evangelistas semper tradere hos discursus ad verbum. Etenim a) ut citatio dicatur bona, generatim sufficit si verba alterius referuntur secundum *sensum* et intentionem. b) Discursus Iesu *verti* debuerunt ex lingua aramaica in graecam; atqui bona versio fit ad sensum, non ad verbum.[46] c) Marcus et Lucas scripserunt secundum traditionem (oralem vel scriptam); atqui mirum esset si nulla omnino variatio verbalis irrepsisset in hac transmissione.[47]

Inde autem fluunt tria corollaria: a) Verba semel a Iesu prolata paulisper differre possunt in diversis evangeliis; b) verba quae paulisper differunt in diversis evangeliis, possunt esse semel dicta; c) hinc interdum dubium manet utrum dictum simile sit idem an diversum.

b. In discursibus Iesu admittendus est *labor redactorius*. Evangelistae enim a) vix umquam tradunt totum discursum, b) interdum omittunt ea quae iudicabant esse extra suum scopum, c)

---

[44]supra p. 141-142; Merk p. 725-7; Grandmaison I p. 203-213; Gächter p. 127; Willam p. 119-124.

[45]J 2, 22; Merk p. 761; Gächter p. 160-4; Lagrange, J p. cxlvi-cxlix.

[46]supra p. 168.—Iesus ipse ordinarie locutus est aramaice. Sed novit etiam linguam hebraicam (cf. L 4, 16), et fortasse interdum usus est lingua graeca (v.g. J 18, 33-8). Cf. Grandmaison I p. 106; Simón I p. 199-201.

[47]Neque maior conformitas requiritur ob inspirationem.

interdum conflant ea quae licet dicta alia occasione, pertinent ad eandem materiam.

Inde autem fluunt duo corollaria: a) Ex eo quod evangelista tacet aliquid, non statim sequitur eum illud ignorasse aut negare; b) ea quae leguntur in discursu eodem, non semper dicta sunt eadem occasione.[48]

3. *Obiectiones*

1. Sicut alii antiqui historici (v.g. Thucydides, Plutarchus), ita evangelistae poterant *fingere* discursus Iesu.

R. *N. par.* Etenim a) praxis fingendi orationes erat artificium rhetoricum proprium historiae politae; atqui evangelia nostra potius pertinent ad historiam vulgarem (supra p. 90). b) Si evangelistae usi essent hac libertate, discursus alii essent in aliis evangeliis. c) Ob reverentiam erga Iesum, evangelistae vix ausi essent fingere eius discursus.

2. Doctrina Iesu infinite superavit ideas coaevorum, praesertim rudium, quales erant Apostoli. Ergo valde probabile est eam *male intellectam* esse ab Apostolis et sic traditam Christianis.

R. 1 (apol.) *N.* Tria enim notanda sunt: a) Doctrina Iesu non erat tam nova ut nullum exhiberet nexum cum V.T. b) Doctrinas vere novas Iesus vestivit imaginibus tam familiaribus (v.g. primatum Petri) ut etiam rudes eas aliquomodo capere possent. c) Cum ne Apostoli quidem eius doctrinam caperent, Iesus ipse eam explicavit.[49]

R. 2 (dogm.) Ne haec fierent, Christus promisit Apostolis assistentiam Spiritus s.

Urg. Intra paucos annos, immo ante conversionem Pauli, doctrina Iesu *essentialiter mutata* est ab ecclesia in Jerusalem, scil. sub influxu aliarum religionum. Quae doctrina prostat in synopticis.

R. 1 (apol.) *N.* a) Talis coniectura caret omni fundamento historico. b) Mutatio talis erat psychologice impossibilis; nam licet essentialis, debuit fieri celerrime (Paulus videtur esse conversus ca. 35). c) Judaei palaestinenses illius aetatis quam maxime horrebant influxum aliarum religionum. d) Apostolis firmiter persuasum erat se debere esse "testes" doctrinae Iesu.[50]

R. 2 (dogm.) Esset contra promissam assistentiam Spiritus s.

Urg. Alia est doctrina Iesu in synopticis, alia in J.

R. *Dist.* ita ut adsit contradictio *N.* aliter *Tr.*

3. *Sermo montanus* non videtur esse habitus sicut legitur in Mt 5, 1-7, 29. Nam a) etiam alias Matthaeus coniungit in uno loco ea quae dicta vel facta sunt in diversis adiunctis; ergo possibile est idem hic contingere; b) partes sermonis alibi leguntur in aliis synopticis; ergo probabile est totum sermonem conflatum esse ex iis quae Iesus docuerat variis occasionibus; c) alias Iesus semper adhibuit genus docendi facile ac tenue; ergo vix credibile est eum tantam massam doctrinarum una proposuisse populo rudi.

R. In genere: Videtur Iesus, occasione indicata in Mt, longiorem discursum habuisse, cui auctor, ob similitudinem materiae, addidit quaedam aliis occasionibus dicta. Quoad rationes allatas: ad a) et b) concedimus,

---

[48] Ea quae hic dicta sunt de discursibus, per se etiam valent de parabolis, allegoriis, dictis Iesu brevioribus.

[49] Rosadini I p. 275.

[50] DieckmannE I p. 297; Falcon p. 198-204.

iuxta distinctionem datam. ad c) Pauca sunt principia, licet applicationes sint multae.[61]

4. *Instructio apostolica* (Mt 10, 5-42) videtur esse conflata ex instructionibus quas Iesus variis occasionibus dedit circa munus apostolicum. Patet si comparantur loci paralleli in Mc et L.

R. Haec instructio est composita ex duabus: una *particulari* (5-15), quae respicit missionem primam Apostolorum; altera *generali* (16-42), quae respicit munus pastorale futurum.[62]

Urg. Si synoptici inter se comparentur (Mt 10, 10; Mc 6, 8-9; L 9, 3), sibi invicem contradicere inveniuntur quoad *impedimenta* Apostolorum in primo itinere.

R. 1. *Tr.* Esset res nullius momenti.

R. 2. *N.* Sensus fundamentalis est idem; scil. Apostoli vetantur superflua secum portare.[63]

5. Contra *sermonem eschatologicum,* qui legitur in 3 synopticis, tria obiciuntur: a) sermo numquam habitus est; nam partes eius alibi ab aliis synopticis ponuntur; b) adsunt contradictiones evidentes: "As long ago as 1864 Colani pointed out that there are in the 13th chapter of Mark two easily separable strands that are clearly contradictory in details" (G. A. Barton, in JTS 1935 p. 360); c) sermo est "redactio" primorum Christianorum; hi enim firmiter credebant parousiam mox instare; cum autem elaberentur anni post annos, non tantum dubitare coeperunt, sed etiam mutaverunt verba Iesu.

R. ad a) Structura aeque parallela sermonis in 3 synopticis ostendit eum vere prolatum esse; potest autem concedi aliquas partes vel alio translatas vel aliunde insertas esse. ad b) *N.* Nemo umquam probavit adesse contradictiones in hoc sermone. ad c) *N.* Potius sic arguere licet: Cum multi Christiani exspectarent parousiam instare, iterum atque iterum ab Apostolis petiverunt quid Iesus revera dixisset illa occasione.

6. *Discursus in J* (cf. supra p. 150)

a. Hi non sunt habiti ab ipso Iesu, sed sunt *piae meditationes* seu reflexiones ipsius Ioannis.

R. *N.* Tria militant contra hanc opinionem: a) Sedulo Ioannes *distinguit* suas reflexiones a dictis Iesu (v.g. 2, 21; 7, 39; 10, 6; 12, 33; 13, 11; 13, 28), ita ut exegetae tantum tribus locis dubitent utrius sint verba (3, 13-21; 3, 31-36; 12, 37-43); ergo ubi Ioannes citat discursum ut habitum a Iesu, per se saltem vera loquitur. b) Voces et phrases *familiares Ioanni* (v.g. ἀντίχριστος, ἱλασμός, ἔρχεσθαι ἐν σαρκί) numquam ponuntur in ore Iesu; neque Iesus se umquam vocat Logos (supra p. 154). E contra, Iesus se vocat '*filium hominis*', licet Ioannes primarie probare voluerit divinitatem Iesu, et licet eo tempore quo scriptum est J, Ecclesia iam diu substituisset alia nomina (v.g. κύριος). c) In discursibus *nexus* idearum interdum difficilis est; atqui id vix haberetur in discursibus fictis.[64]

---

[61] Knabenbauer, Mt I p. 225-9, 359-361; Dausch p. 90-1; Simón I p. 297, 368; Lagrange, Mt p. 77-79; idem, The Gospel I p. 152; Ropes p. 42-43, 48; Prat, J.-Chr. I p. 546-8.

[62] Knabenbauer, Mt I p. 30, 443; Dausch p. 170; Simón I p. 368; Lagrange, Mt p. 194.

[63] Knabenbauer, Mt I p. 442; Dausch p. 171-2; Lagrange, Mt p. 198; Simón I p. 369.

[64] Merk p. 761; Lagrange, J p. 86-7, 96; Prat, J.-Chr. I p. 195, 198; Lusseau-Collomb p. 382, 384.

Urg. Discursus hi exhibent *stilum Ioannis;* atqui Iesus certo non est locutus hoc modo. Ita Cadoux p. 341.

R. Tria responderi possunt: a) Non asserimus Ioannem semper servasse ipsissima verba Iesu. b) Iesus locutus est aramaice; hinc Ioannes eius discursus *vertere* debuit in graecum; atqui id vix fieri potuit quin Ioannes eos aliquomodo accommodaret suo stilo. c) Ex altera parte, nihil obstat quin dicamus Ioannem *imitatum* esse stilum Iesu, atquè diuturna meditatione eum quasi fecisse suum.[65]

Urg. *Disputationes* Iesu cum Judaeis sunt artificiosae seu redactoriae. Nam *progressus* in eis semper est idem; scil. a) Iesus eis proponit doctrinam aliquam; b) auditores eam male intellegunt; c) Iesus eos corrigit; d) Judaei obiciunt; e) Iesus melius evolvit suam doctrinam. Hunc progressum disputationis habes v.g. ubi Iesus loquitur cum Nicodemo (J 3, 1-21), cum muliere samaritana (J 4, 5-42), de pane caelesti (J 6, 32-60) etc. Atqui talia vix credibilia sunt.

R. *N.ass.* Ad prob. *Dist.* semper *N.* interdum, immo saepe *C.* Iesus solus loquitur in sermone apologetico J 5, 16-47; et alius est progressus in discursibus quos Iesus habuit in festo tabernaculorum (J 7, 14-39).— Ratio autem cur Iesus saepe servare debuerit progressum istum, erat indoles Judaeorum, qui res spirituales intellexerunt materialiter; sed eadem indoles apparet in synopticis; v.g. Mt 15, 11-20; Mc 8, 15-17; 8, 31-38.

b. *Sermo eucharisticus* in J 6, 22-71 non est historicus; nam nemo eum tunc intellegere poterat.

R. *N.* a) Cur Judaei eum postea intellegere poterant? Et num rationalistae eum hodie intellegunt? b) Si Judaei fuissent bonae voluntatis, eum satis intellexissent.

Urg. Saltem ea pars sermonis quae directe agit de Eucharistia (6, 51-9), *alia occasione* habita est coram solis discipulis. Ita Lagrange, J p. 195-6.

R. *N.* Nam in v. 53 dicitur "litigabant Judaei ad invicem"; atqui Ioannes non solet vocare discipulos "Judaeos". Concedi autem potest J 6, 60-71 dicta esse ad discipulos seorsim.[66]

c. Longus sermo in J 14-17 non est historicus; praesertim 15-16.

R. *N.* vel *Dist.* J 15-16 forte non sunt pronuntiata a Iesu post ultimam coenam *Tr.* numquam *N.*[67]

7. Aliter Iesus loquitur in synopticis, aliter in J.

R. Omnis homo aliter loquitur in aliis adiunctis, coram aliis personis etc. Etiam in synopticis Iesus magis abstracte loquitur cum pharisaeis et sadducaeis (v.g. Mt 12, 15-46).[68]

Urg. *Allegoriae* quae leguntur in J, non sunt historicae; nam nimis differunt a parabolis.

R. *N.* Cur idem homo non potest uti et parabolis et allegoriis? Cf. Schol.

Schol. *Parabolae et allegoriae*

1. *Parabola evangelica* est illustratio veritatis religiosae ope similitudinis in discursu completo. Unde 4 sunt eius elementa: a) discursus completus, b) veritas religiosa, c) similitudo (imago,

---

[65]Rosadini I p. 278; Huby p. 175-6; Gächter p. 161-4.

[66]Tillmann p. 152.

[67]supra p. 134; Gächter p. 152; Prat, J.-Chr. II p. 298-9; Tillmann p. 272-3; Lusseau-Collomb p. 784, 788; Lebreton, Life etc. II p. 268.

[68]Gächter p. 161.

exemplum, figura), d) comparatio veritatis cum imagine. Ac proinde parabola evangelica differt a) a mera comparatione ut parte propositionis (v.g. Mt 9, 36; L 10, 18), b) a fabula, quae est naturae profanae, c) a discursu ordinario, d) ab *allegoria,* in qua omittitur vox exprimens comparationem. Allegoria enim est propositio (vel series propositionum) cuius termini sumendi sunt metaphorice, id quod tamen non aperte indicatur (v.g. ego sum vitis vera). Aliter: parabola comparat rem et imaginem, allegoria eas identificat.[59]

2. *Genuinitas.* Et parabolas et allegorias pertinuisse ad evangelia nostra ab initio, indubium est; constat ex textu hodie recepto.

3. *Historicitas*

a. Parabolas vere prolatas esse a Iesu, ob duplicem rationem negabatur: a) Secundum Jülicher, quia contineant *elementa allegorica,* id quod est contrá definitionem parabolae. b) J. Weiss negavit parabolas obscuras esse Iesu; putat eas esse *fictas* ab evangelistis vel a primis Christianis ut explicarent incredulitatem Judaeorum, quae omnibus scandalo erat.

Resp. Historicitas parabolarum, etiam obscurarum, est *certa.* Patet ex generali credibilitate synopticorum. Neque valet ratio a Jülicher allata; nam quamvis definitio parabolae data ab Aristotele excludat elementa allegorica, parabola prout in usu erat apud *Judaeos coaevos Iesu,* ea continere poterat.

b. Loisy negat *allegorias* esse historicas. Secundum eum, Iesus locutus est in parabolis, ut videre est in synopticis; sed primi Christiani, ut probarent Iesum praedixisse futura, addiderunt elementa allegorica ad eius parabolas, vel allegorias totas *finxerunt* easque posuerunt in ore Iesu.

Resp. a) Loisy gratis supponit Iesum ignorasse futura. b) In concreto, distinctio inter parabolam et allegoriam evangelicam non est tanta quantam sibi fingit Loisy. c) Sicut synoptica continent allegorias et parabolas mixtas, ita etiam J.[60]

---

[59] Generatim loquendo, in parabola una idea est centralis, ita ut cetera sint accidentalia et neglegi possint; in allegoria omnia habent suam significationem. Haec *regula interpretationis* autem non valet semper; nam parabola evangelica potest habere elementa allegorica, cum ipse Iesus interdum comparaverit varias partes similitudinis.

[60] Fonck, Parables; Meinertz, in LThK s.v. Parabel; Lepin p. 350-4; Fernandez, in IB p. 416-420; Höpfl, Insp. p. 95-101; Simón I p. 204-6; Lagrange, J p. 274-5; Revue biblique 1936 p. 298-300.

APOLOGETICAE

PARS QUINTA

Divinitas Iesu

In hac parte imprimis probabimus Iesum *se dixisse* magistrum mundi, Messiam, ac praesertim Deum. Dein probabimus hoc eius testimonium de seipso esse *logice verum.* Inde inferemus conclusionem evidentem, scil. Iesum revera *fuisse* magistrum mundi, Messiam, Deum.

Hinc 3 erunt articuli:

1. Testimonium Iesu
2. Veritas huius testimonii
3. Conclusio

ARTICULUS 1

TESTIMONIUM IESU

THESIS 13

Iesus Nazarenus se professus est legatum Dei et magistrum religiosum authenticum pro mundo universo.

Cf. DieckmannR p. 503-514; idemE I p. 157-186; Dorsch I p. 598-606; Falcon p. 226-233; Hervé I p. 178-184; van Laak, Rev. p. 14-30, 72-83; idem, Rep. p. 92-4; Langan p. 185-8; Lercher I p. 155-168; van Noort I p. 103-4; Ottiger I p. 922-5; Pesch I n. 141-5, 178-9; Tanquerey I p. 278-288; Wilmers p. 382-390, 583-608; idem, Lehrb. II p. 67-9; Zapelena p. 22-39.

Haec thesis non est necessaria ad Apologeticam nostram, nisi quoad *magisterium universale Christi,* quod intime cohaeret cum universalitate regni Dei et Ecclesiae; inde enim deducemus revelationem Iesu esse maxime publicam.

1. *Legatus* est is qui ab alio mittitur ut eius nomine agat. Legatus Dei igitur est is qui a Deo missus est ut eius nomine ageret.

Nota (dogm.) a) Voces 'missio' et 'legatio', quamvis dogmatice non prorsus idem sonent, hic *sine distinctione* adhibentur. b) Cum Iesus sit Deus, eius missio et legatio est *analoga* cum missione meri hominis (sive ab homine sive a Deo missi), neque mandatum ei factum est per revelationem (sicut prophetis V.T.).

2. *Magister religiosus authenticus*

Legatus, qua legatus, varia munera obire potest. Atque etiam Iesus, ut legatus Dei, sibi varia munera tribuit; v.g. redemptoris, sacerdotis, regis. Sed pro scopo huius Apologeticae seligimus eius magisterium. a) *Magister* in genere est is qui alios docet.—b) Titulus 'magister *religiosus*' hic non sumitur subiective, sed obiective; scil. non primarie consideramus dispositionem subiectivam Iesu erga Deum (de qua in thesi 19), sed ea quae docuit. Hoc sensu magister religiosus est is qui alios docet veritates religiosas, i.e. de Deo, de relatione hominis ad Deum, de relatione hominum inter se, de relatione mundi ad Deum et hominem.—c) Magister *authenticus* est is qui habet ius et obligationem docendi, ita ut alii

debeant eum audire, ac praesertim is qui simul postulare potest ut ei implicite credatur.

3. *Pro mundo universo,* i.e. in spatio et tempore. Asserimus igitur Iesum non tantum docuisse religionem, sed etiam voluisse ut sua doctrina a) praedicaretur omnibus hominibus usque ad finem mundi, et b) ab omnibus acciperetur ut divina.[1]

4. *Professus est.* Nondum complete probare volumus Iesum fuisse haec omnia, sed eum sibi haec tribuisse; utrum recte an male sic fecerit, proximo articulo inquiremus. Aliis verbis, agimus nunc de sola veritate historica seu *ontologica* huius testimonii.

Thesis est critice et historice *certa*. Dogmatice est *de fide* (ex clara Scriptura).

ADVERSARII

1. Inter Protestantes liberales et Judaeos 'reformatos' hodie sat communis est opinio Iesum noluisse haberi pro magistro, sed voluisse *exemplo vitae suae* ducere homines ad imitationem. Ita v.g. Case, Jesus through the Centuries ch.13.—Modernistae: "Christus determinatum corpus doctrinae omnibus hominibus cunctisque temporibus applicabile non docuit, sed potius incohavit *motum quendam religiosum*—diversis temporibus et locis adaptatum vel adaptandum" (D 2059).—Schola eschatologica: Iesus noluit haberi magister, sed tantum *annuntiare regnum Dei* (sicut Ioannes Bapt.) et finem mundi imminentem.[2]

2. "Mentalitas hodierna" reicit magisterium Iesu praecise quia vult esse *authenticum*.

3. Quoad *universalitatem* doctrinae Iesu

a. Max Müller olim negavit religionem Iesu in se spectatam habere indolem universalem; putavit eam esse altiorem quam quae concipi aut exprimi possit a gentibus incultis.[3]

b. Harnack (Expansion etc. I p. 40-8) concedit religionem Iesu in se esse universalem, et Apostolos, praesertim Paulum, id mox percepisse; sed negat *Iesum ipsum* umquam conscium fuisse huius indolis universalis; dicta universalia quae leguntur in 4 evangeliis,

---

[1]Nondum distincte dicimus quae sit doctrina Iesu. Neque asserimus Iesum dixisse sibi ipsi suscipiendum esse munus docendi, quasi ipse deberet praedicare semper et ubique.

[2]DieckmannE I p. 185; Falcon p. 226-7.

[3]Hanc opinionem non directe tangimus; eam esse falsam, patet ex testimonio missionariorum catholicorum.

reiciuntur ut spuria vel non-historica.—Eandem vel similem sententiam tenent Wellhausen, Wernle, von Dobschütz, Jülicher, Edw. Meyer etc.[4]

Ad *methodum* probandi theses 13-17 notentur:

1. Cum agatur de re *historica,* non licet procedere a priori. Non est nostrum statuere a priori quid Iesus dicere potuerit vel debuerit. Sed incipiendum nobis est cum *"datis historicis"*.—Neque quaerimus indeterminate quid Iesus dixerit de se, sed determinate: *Num* Iesus se dixit prophetam, Messiam, Deum?

2. Quoad testimonium Iesu autem duo semper supponuntur (vel probari debent si sit dubium): a) dicta esse *genuina,* i.e. scripta ab ipsis evangelistis, non interpolata aut mutata; sic enim reducuntur ad testes fide dignos; b) ea esse *historica,* i.e. vere prolata a Iesu; nondum enim probavimus omnia et singula asserta evangelistarum esse fide digna.

Nota. In praesenti stadio Apologeticae nondum insistimus in eis quae Iesus dixit ac fecit *post resurrectionem* suam; contra rationalistas enim nobis prius probandum erit Iesum vere resurrexisse. At per circulum legitimum (vel dogmatice) adduci possunt etiam dicta illa.

3. Cum agamus Apologeticam, sequemur principia naturalia interpretationis, quae fit secundum *regulas grammatico-historicas.* Talis interpretatio etiam dicitur "scientifica" vel "privata", et opponitur interpretationi authenticae (infra p. 687).

4. Porro, dicta Iesu non exstant in lingua originali (aramaica), neque evangelistae ea semper rettulerunt ad verbum. Ut igitur certi fiamus de vero eorum sensu, hanc methodum sequemur: a) Afferemus dicta *clara* et *sat obvia.* b) Ea considerabimus *in concreto;* scil. non arguemus ex nudis dictis, sed etiam ex contextu, ex obiectionibus vel reactionibus auditorum, ex explicationibus evangelistarum etc. c) Probatio generatim erit *cumulativa;* scil. afferemus tot dicta Iesu ut non possit esse dubium de eius intentione.[5]

5. Distinctio fieri potest (interdum debet) inter sensum subiectivum et obiectivum verborum. *Sensus subiectivus* est id quod

---

[4]Inde multi rationalistae (praesertim Pfleiderer) inferunt Paulum fuisse verum fundatorem religionis christianae, quatenus eam liberaverit a iugo mosaismi atque imbuerit spiritu universali. Cf. D 2060; DieckmannE I p. 158-9.

[5]Saepe tamen sufficient pauci loci clari, quibus uniuntur plures alii qui, de se probabiles, priores confirmant.

loquens concepit et his verbis exprimere voluit, seu id quod intendit dicere; *sensus obiectivus* est id quod haec verba ex usu communi significant. Potest enim aliquis proferre verba quin intendat dicere id quod verba ex usu communi significant, vel potest intendere aliquid quod eius verbis, iuxta acceptationem communem, non subest.

Volumus probare sensum *subiectivum.* Ad hoc incipiendum quidem est a sensu obiectivo. At huic respondere sensum subiectivum, patet ex duobus : a) conformitas inter utrumque sensum iure supponitur in homine normali; difformitas probari debet; b) conformitas certo adest si idem sensus obiectivus clare continetur in multis dictis.

6. Attendatur ad duas distinctiones: a) Idem sensum (idea, conceptus) diversimode exprimi potest (v.g. mortuus est hora sexta vel occasu solis). Ideo in dictis Iesu, sicut in dictis aliorum hominum, distinctio fiat inter *id quod* dixit et *modum quo* dixit. Et cum Iesus loqueretur Judaeis coaevis, loqui potuit sicut illi vel sicut illorum rabbini et prophetae. Tandem sicut ceteri homines, ita Iesus loqui potuit sensu proprio vel metaphorice, hyberbolice, ironice, modo populari vel proverbiali etc. b) Similiter duplex *accommodatio* distingui debet. Potest enim aliqui se aliis accommodare quoad id quod dicit, vel tantum quoad modum quo sensa sua exprimit.

Thesis probatur

Quilibet profitetur id quod a) evidenter continetur in eius dictis, b) intellegitur ab eius auditoribus, c) eruitur ex eius modo agendi.

Atqui ea quae in thesi tribuuntur Iesu, a) evidenter continentur in eius dictis, b) intellegebantur ab eius auditoribus, c) eruuntur ex eius modo agendi.

Ergo Iesus professus est ea quae ei in thesi tribuuntur.

Prob. min.

1. *Legatus Dei*

a. Iesum se habuisse ut legatum, patet ex dictis eius apud synopticos: "Qui me recipit, recipit eum qui *misit* me" (Mt 10, 40; cf. Mc 9, 36; L 9, 48) ; "qui me spernit, spernit eum qui *misit* me" (L 10, 16) ; "non sum *missus* nisi ad oves quae perierunt domus Israel" (Mt 15, 24).—Quis sit is qui eum miserit, clare indicatur in J: "Ego ex Deo processi et veni; neque enim a meipso veni, sed

ille me misit" (J 8, 42); "ego ex meipso non sum locutus, sed *qui misit me Pater,* ipse mihi dedit mandatum quid dicam et quid loquar" (J 12, 49-50); "haec est vita aeterna ut cognoscant te solum Deum verum, et *quem misisti* Iesum Christum" (J 17, 3).[6] Ergo Iesus se habuit ut legatum divinum.

b. A Judaeis legatus Dei vocabatur propheta. Atqui *Judaei* Iesum saepe vocabant prophetam: "Accepit autem omnes timor et magnificabant Deum dicentes: Quia *propheta magnus* surrexit in nobis" (L 7, 16); "videns autem pharisaeus qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset *propheta,* sciret utique quae et qualis est mulier quae tangit eum" (L 7, 39); "scrutare Scripturas et vide quia a Galilaea *propheta* non surgit" (J 7, 52); "populi autem dicebant: Hic est Iesus *propheta* a Nazareth Galilaeae" (Mt 21, 11).

2. *Magister* (διδάσκαλος, ραββεί, ἐπιστάτης)

a. *Iesus* se vocavit magistrum: "Vos vocatis me: Magister et Domine, et bene dicitis; sum etenim" (J 13, 13; cf. Mt 10, 24); "nec vocemini magistri, quia magister vester unus est, Christus" (Mt 23, 10).

b. *Alii* quoque eum vocaverunt magistrum (v.g. Mt 8, 19; Mc 4, 38; L 21, 7; J 13, 13) eiusque asseclas discipulos (v.g. Mt 15, 2; 27, 64), quia scil. sequebantur eius doctrinam et formam vivendi.[7]

c. Uti omnes evangelistae narrant, Iesus constanter *docuit*—in monte, in synagogis, in deserto, ad lacum etc. Porro Iesus saepe locutus est de *doctrina* sua (J 7, 16); coram synedrio Annas eum interrogavit de doctrina eius, et Iesus respondit se docuisse palam (J 18, 19-20). Tandem Iesus fecit ea quae facere solebant *magistri Judaei,* scil. collegit et instruxit discipulos, eos vocavit prophetas et apostolos, eos misit ad praedicandum etc.[8]

Dices: Si Iesus voluit esse magister, non debuit ita loqui ut *non posset intellegi.* Atqui Iesus saepe ita locutus est, idque consulto (Mt 13, 11; Mc 4, 11; L 8, 10).

R. *Dist.M.* non debuit semper ita loqui *C.* non potuit interdum ita loqui *N.* vel *subd.* sine ratione gravi *C.* aliter *N.*

---

[6]Evangelistae indiscriminatim adhibent πέμπω vel ἀποστέλλω.

[7]S. J. Case putat (Jesus p. 388-390) titulum ραββεί, prout legitur in synopticis, non esse historicum, cum non fuerit in usu nisi in fine saec. 1. Sed esto id valeat de usu officiali, in usu populari titulus est "abondamment attesté" (Bonsirven I p. 274). Cf. Klausner p. 43; Schürer II 1 p. 315-6.

[8]Willam p. 119-124; Lebreton, Life etc. I p. 286-7, 290-1; Bultmann, Jesus and the Word p. 58-61.

Obiectio haec oritur ex eo quod multae *parabolae* fuerunt tam *obscurae* ut nemo audientium potuerit eas intellegere. Hinc iure quaerimus sicut discipuli: "Quare in parabolis loqueris eis" (Mt 13, 10), i.e. in parabolis quae non possunt intellegi?

Triplex est responsum: a) Iesus *non semper* docuit in parabolis (v.g. in sermone montano).[9] b) Neque omnes parabolae Iesu sunt obscurae (v.g. de bono Samaritano, de pharisaeo et publicano). c) Parabolae obscurae agunt de *mysterio regni Dei* (cf. Mt 13, 11; Mc 4, 11; L 8, 10), i.e. de intima eius natura ac praesertim de persona sua; atque Iesus cautus esse debuit et propter ideas perversas Judaeorum de regno messianico et propter suspiciones Romanorum.[10]

3. Magister *religiosus*

Iesus se non proposuit discipulis ut magistrum in rebus scientificis, politicis, commercialibus etc. Nulla eius doctrina habet scopum profanum; numquam disputavit de rebus profanis; numquam correxit errores coaevorum in rebus profanis. Neque evangelistae asserunt aut insinuant eum docuisse etiam res profanas.

Iesus noluit esse iudex in causa civili (L 12, 13-14). Cum pharisaei eum insidiose rogarent de rebus politicis, mere statuit principium generale: "Reddite quae sunt Caesaris, Caesari" (Mt 22, 21). Pilato respondit: "Regnum meum non est de hoc mundo" (J 18, 36); atque Pilatus negavit eum esse reum machinationis politicae: "Ego nullam invenio in eo causam" (J 18, 38).

E contra, a) thema centrale, non tantum aliquarum parabolarum, sed totius praedicationis Iesu, erat *regnum Dei* (Mt 4, 23; 6, 33; 7, 21 etc.), quod ipse intellexit ut *exclusive religiosum*. b) Finis unicus quem Iesus sibi proposuit in sua praedicatione, erat *salus aeterna* mundi (L 19, 10; J 3, 17; 10, 10; 20, 23); atqui haec est res religiosa.[11]

4. Magister *authenticus*

a. Iesus se dixit legatum *Dei*; atqui legatus qua legatus loquitur nomine et auctoritate eius a quo missus est.—Dein Iesus suam doctrinam proposuit ut *divinam*: "Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me" (J 7, 16; cf. J 8, 40; 18, 37).—Tandem Iesus de seipso dicit: "Ego *sum* veritas" (J 14, 6); atqui veritas se imponit intellectui.

b. *Modus docendi* Iesu quam maxime differebat a modo quo

---

[9]Neque obstat Mt 13, 34 "sine parabolis non loquebatur eis"; hoc dictum Matthaei enim non refert ad totum ministerium Iesu, sed ad tempus determinatum.

[10]Titulus iuridicus crucifixionis erat "rex Judaeorum".

[11]Lagrange, The Gospel etc. II p. 306-319.

docebant "scribae", doctores legis mosaicae. Hi enim non transibant legem mosaicam, generatim appellabant ad alium doctorem celebrem, tractabant res inutiles, amabant puerilia, subtilia, casuistica. E contra, Iesus, revocata lege vetere, ait: "Ego autem dico vobis".—Quod discrimen etiam senserunt auditores: "Admirabantur turbae super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut *potestatem habens,* et non sicut scribae" (Mt 7, 28-9; cf. Mc 1, 22; L 4, 32; J 7, 46).[12]

c. In sermone eschatologico, Iesus solemniter dixit Apostolis: "Caelum et terra transibunt, verba autem mea *non praeteribunt*" (Mt 24, 35).

Nota. Post probatam resurrectionem, etiam haec dicta Iesu afferri possunt: "Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra" (Mt 28, 18); "sicut misit me Pater, et ego mitto vos" (J 20, 21); "qui non crediderit, condemnabitur" (Mc 16, 16). Quae utique enuntiant summam auctoritatem docendi.

Obicit C. H. Dodd (Authority etc. p. 234). Iesus dixit: "Quid autem et a vobis ipsis non iudicatis quod iustum est"? (L 12, 57). "The authority therefore which He claimed, and which contemporaries acknowledged in His teaching was not of a sort to silence private judgment."

R. *Dist.* homines debent ipsi cogitare (et hoc sensu exercere iudicium privatum) ut agnoscant missionem Iesu *C.* agnita hac missione, homines liberi sunt reicere vel ad libitum interpretari eius doctrinam *N.*

5. *Pro toto mundo*

a. Ex *indole* doctrinae Iesu. Universalismus virtualis doctrinae Iesu tam evidens est ut ipsi rationalistae eum admittant. Ac revera a) negative, nihil in ea continetur quo restringatur ad gentem particularem (sicut mosaismus) vel ad paucas nationes; b) positive, doctrina Iesu ordinat relationes inter homines et Deum qua creatorem et patrem omnium. Etiam regnum Dei, cum sit primarie internum, ex natura sua universale est.

Absurde autem Harnack negat *Iesum ipsum* non percepisse hanc indolem. Etenim a) generatim magister intellegit suam doctrinam, et Harnack admittit Iesum fuisse sapientissimum; b) universalitas regni messianici clare continebatur in prophetiis V.T. (v.g. Gen 12, 3; Amos 9, 12; Is 2, 2-4; 49, 6; 56, 7; Jer 3, 17; 4, 2; Ez 17, 22-23; Dan 2, 44; 7, 27; Zach 2, 11; Mal 1, 11); unde non erat aliquid prorsus inauditum apud Judaeos coaevos; c) Iesus ipse egit cum non-Judaeis; v.g. sanavit puerum centurionis (Mt 8, 5-13). leprosum samaritanum (L 17, 17) etc.[13]

---

[12]Willam p. 141-8; V. Johnson, One Lord One Faith ch. 5.
[13]DieckmannE I p. 161-2; Galdos, in VD 1939 p. 39-45.

b. Ex *parabolis* Iesu. Universalitatem positivam suae religionis Iesus effert in parabola de bono samaritano (L 10, 30-37) et in aliis parabolis quas Matthaeus collegit in cap. 13: de zizaniis ("ager est mundus"), de grano sinapis ("volucres caeli"), de sagena missa in mare ("ex omni genere piscium"), de fermento ("fermentatum est totum").

c. Ex *aliis dictis Iesu.* Omnes evangelistae nobis servaverunt dicta quibus Iesus expressit (explicite vel implicite) universalitatem suae religionis. Scil.

In J Iesus se dicit lucem *mundi* (J 8, 12; 9, 5; 12, 46), salvatorem *mundi* (J 12, 47), bonum pastorem qui non solos Judaeos regit, sed *alias oves* habet "quae non sunt ex hoc ovili" (J 10, 16).—Cum Graeci quaererent eum videre, Iesus eis respondit: "Ego si exaltatus fuero, *omnia* traham ad meipsum" (J 12, 32).—In oratione sacerdotali (J 17), Iesus oravit quidem speciatim pro Apostolis ("non pro mundo rogo" v. 9), sed eo fine ut ipsi sanctificarent mundum ("cognoscat *mundus* quia tu me misisti" v. 23).

In synopticis: "Dico autem vobis quod multi venient *ab oriente et occidente* et recumbent cum Abraham etc."(Mt 8, 11; L 13, 28-9). "Et praedicabitur hoc evangelium regni *in universo orbe,* in testimonium omnibus gentibus" (Mt 24, 14). De actione bonae mulieris ait: "Ubicunque praedicatum fuerit evangelium istud *in universo mundo,* et quod fecit haec, narrabitur" (Mc 14, 9).

Etiam Apostolos suos Iesus dixit salem *terrae* (Mt 5, 13) et lucem *mundi* (Mt 5, 14)—non solius Judaeae.

Nota. Post probatam resurrectionem, etiam haec dicta Iesu afferri possunt: "Docete *omnes gentes . . . usque ad consummationem saeculi"* (Mt 28, 19). "Euntes *in mundum universum* praedicate evangelium *omni creaturae"* (Mc 16, 15). Iesus hortatus est Apostolos ut praedicarent remissionem peccatorum *"in omnes gentes"* (L 24, 47). "Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea et Samaria, et *usque ad ultimum terrae"* (Act 1, 8).

d. Duo testes immediati praedicationis Iesu efferunt universalitatem religionis Iesu. a) Quamvis *Matthaeus* scripserit Judaeo-Christianis, qui bene noverant privilegia populi Israel, tamen genealogiae Iesu inseruit duas *alienigenas,* scil. Rahab et Ruth (Mt 1, 5), narravit adorationem *magorum* (Mt 2, 1-11), citavit prophetiam messianicam Isaiae "iudicium *gentibus* nuntiabit" (Mt 12, 18) et "in nomine eius *gentes* sperabunt" (Mt 12, 21). b) *Ioannes* ab initio sui evangelii docet: *"Quotquot* receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri" (J 1, 12). Idem repetit in 3, 16-21.

Nota. Textus citati sunt *genuini,* saltem quoad sensum; nam omnes editiones criticae eos hodie habent.—Dicta Iesu sunt etiam ***historica*** (contra Wellhausen, Harnack etc.). Nam idea haec religionis universalis traditur ab omnibus evangelistis et diversimode exprimitur.[14]

Dices: Dicta Iesu prout prostant in evangeliis, sunt mera fragmenta, extra contextum, in versione fere literali etc. Atqui sensus talium dictorum dubius manere debet.

R. a) *Dist.* quoad omnia *N.* quoad multa *Tr.* vel *C.* b) *N.supp.* Arguimus ex dictis Iesu in concreto.[15]

Obiectiones

1. Iesus ipse ait: "Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum" (J 5, 31). Ergo inquisitio nostra a Iesu ipso damnatur.

R. *Dist. ant.* Iesus hic loquitur de veritate historica sui testimonii *N.* de eius veritate logica *subd.* et negat suum testimonium esse verum *N.* concessive loquitur *C.* Scil. esto meum proprium testimonium non sufficiat, habeo alios testes: Ioannem Bapt., miracula a Patre patrata, V.T.

2. Iesus erat Messias promissus in V.T. Atqui in V.T. Messias promissus erat *solis Judaeis.*

R. *Tr.M.* vel *C. Dist.min.* promissio data erat solis Judaeis *Tr.* regnum messianicum intendebatur pro solis Judaeis *N.*

3. "Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel" (Mt 15, 24). Ergo Iesus ne cogitavit quidem de conversione paganorum. Ita Reimarus, Harnack etc.

R. 1 (apol.) Probatio nostra abunde ostendit Iesum sibi conscium fuisse suae missionis universalis. Cum hac conscientia dictum hoc conciliandum est. Videtur igitur Iesus hic loqui de sua missione personali. Si enim erat legatus, potuit etiam habere suam ***missionem personalem*** restrictam ad determinatum locum, tempus, personas etc.[16]

R. 2. (dogm.) Ex evangeliis certum est ***missionem personalem*** Iesu restrictam fuisse ad Palaestinam.

Urg. Si Iesus putasset suam religionem praedicandam esse etiam paganis, ipse hoc opus in se assumpsisset—praesertim cum multo aptior esset huic muneri obeundo quam Apostoli.

R. *Dist.* si eius missio personalis restricta erat ad Judaeos *N.* secus *Tr.*

Urg. In instructione apostolica Iesus vetuit Apostolos praedicare evangelium *extra Judaeam*: "In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis" (Mt 10, 5).

R. Hoc dictum occurrit in prima parte istius instructionis et refert tantum ad primum iter apostolicum. Eius rationem autem hanc dat S. Hieronymus: "Ne (Judaei) haberent excusationem dicentes ideo se Dominum reiecisse quia ad gentes et Samaritanos Apostolos miserit".[17]

---

[14]DieckmannE I p. 173-8; Battifol, L'église naissante etc. p. 109-113.

[15]supra p. 202; Simón I p. 9-10; Chase p. 114-7; Cerfaux, in EphL 1927 p. 20-2; Thibaut, in Nouvelle Revue Théol. 1937 p. 113-138.

[16]Smit p. 453-6.—Holtzmann et Loisy putaverunt hoc dictum non esse Iesu, sed fictum a Matthaeo, scil. ut removeret contradictionem inter doctrinam Iesu evidenter universalem et eius ministerium in sola Palaestina. Quam opinionem Lagrange merito vocat "fantaisie pure".

[17]supra p. 196; Lagrange, Mt p. 197.

Urg. In altera parte instructionis Iesus haec dicit: "Amen dico vobis, *non consummabitis civitates Israel,* donec veniat Filius hominis". Ergo Apostoli numquam praedicare debent gentibus.

R. *N.cons.* His verbis Iesu non continetur prohibitio, sed praedicitur factum aliquod.

Nota. a) Erravit *Schweitzer,* qui hunc textum habuit capitalem, et ex eo probare voluit Iesum putasse finem mundi venturum antequam Apostoli redirent a primo itinere; dictum enim legitur in altera parte instructionis. b) Inter *exegetas catholicos* non convenit ad quod factum dictum hoc Iesu referat, utrum ad *destructionem Jerusalem* an ad *finem mundi.* Prior interpretatio aufert omnem difficultatem. Est etiam probabilior; nam in V.T. Yahwe saepe dicitur "venire" quandocunque intervenit sive ut puniat sive ut iuvet; potuit igitur Iesus eundem modum loquendi adhibere quoad "filium hominis". Secundum alteram explicationem, Iesus hic praedicit id quod etiam docet S. Paulus, scil. caecitatem Judaeorum duraturam esse donec plenitudo gentium intraverit (Rom 11, 25). Tertiam interpretationem offert Lagrange (Mt p. 204-5): cum enim Iesus loquatur de persecutionibus, vult dicere: Semper vobis erit locus refugii.[18]

Urg. Iis tantum praedicandum est evangelium quos Apostoli *iudicabunt.* Atqui ex Mt 19, 28 et L 22, 30 Apostoli iudicabunt tantum 12 tribus Israel.

R. *Tr.M. Dist.min.* proxime designantur 12 tribus Israel *C.* gentes positive excluduntur *N.*

Nota. Aliqui exegetae catholici dicunt "12 tribus Israel" directe significare universitatem credentium (sicut "semen Abrahae" in Gal 3, 29); alii putant Iesum se accommodasse captui Apostolorum.[19]

Urg. Iesus noluit orare pro mundo: *"non pro mundo rogo"* (J 17, 9).

R. In J vox κόσμος varia significare potest: universam creationem (v.g. 17, 5) vel terram (v.g. 8, 12) vel homines incolentes terram (v.g. 1, 29) vel regnum Satanae et homines qui ei adhaerent (v.g. 12, 31) vel homines a regno Dei alienos (v.g. 1, 10). Inter exegetas non convenit quo sensu κόσμος sumatur in 17, 9. Parum tamen refert; nam Iesus hic speciatim orat pro *solis Apostolis* ut Pater det eis dona eximia.[20]

4. Saltem Iesus non intendit totam suam doctrinam pro mundo universo; nam saepe docebat discipulos *secreto.*

R. *N.ass. Dist.prob.* ita ut talia voluerit semper manere secreta *N.* aliter *Tr.* In secunda (generali) parte instructionis apostolicae Iesus dixit: "Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, praedicate super tecta" (Mt 10, 27; cf. L 8, 16-17; J 18, 20-21).

5. Dicta Iesu citata in probatione non necessario intellegenda sunt de universalitate absoluta; possunt sumi de *relativa* universalitate, qualis iam habita est primo die Pentecostes (Act 2, 5-12), vel quatenus Iesus cogitavit de diaspora aut de toto imperio romano aut de regionibus tunc notis.

R. *N.* Prima regula sanae exegesis est: Verba sumenda sunt in sensu

---

[18]Knabenbauer, Mt I p. 455-6; Dausch p. 174-5; Simón I p. 372; van Laak. Rev. p. 83; Streeter, The Primitive Church p. 36-7.

[19]Knabenbauer, Mt II p. 173; Lagrange, Mt p. 382; DieckmannE I p. 168; van Laak, Rev. p. 82.

[20]Lagrange, J p. 444; Lebreton, Life etc. II p. 285; Knabenbauer, J p. 505; Tillmann p. 296.

obvio et naturali—nisi obstet ratio cogens. Atqui nulla ratio nos cogit ullo modo restringere sensum universalem dictorum.

Urg. Dicta ista sumi possunt *hyperbolice* vel secundum modum vulgarem loquendi—sicut Iesus etiam dixit reginam austri venisse "a finibus terrae" (Mt 12, 42), et sicut S. Paulus saepe loquitur (v.g. Rom 1, 8; 10, 18; Col 1, 6; 1, 23; 1 Thess 1, 8), itemque evangelistae (v.g. Mt 9, 26; 9, 31; Mc 15, 33; L 4, 25).

R. *N.* vel *Dist.* singillatim sumi possunt hyperbolice *Tr.* si omnia simul considerantur *N.* Quamvis enim eaedem vel similes locutiones interdum adhibeantur hyperbolice, inde non sequitur eas numquam adhiberi sensu proprio.[21]

6. Si Iesus clare locutus esset, inexplicabilis esset *controversia* in Ecclesia infante num gentes admittendae essent in Ecclesiam. Ita Strauss, Wrede, J. Weiss, Cadoux etc.

R. *N.supp.* Controversia erat tantum num etiam gentibus imponenda esset lex mosaica. Cf. Schol. 2.

Schol. 1. *Notanda ad obiectiones*

1. In hoc stadio Apologeticae, obiectiones nondum inde desumi possunt quod Iesus erraverit aut mentitus sit; nondum enim agimus de veritate logica aut morali dictorum eius. Sed obici potest ex eo quod dicta allata sint nimis *obscura* aut *spuria* aut *non-historica* aut habeant *alium sensum* quam eis supponitur in probatione.

2. Si argumentum est cumulativum, obici potest vel dicta *inepte* afferri vel *numerum* dictorum allatorum non sufficere. Argumentum quidem infirmatur si hoc vel illud dictum allatum ostendatur esse ineptum, sed per se non evertitur; vis huius argumenti enim stat in combinatione seu accumulatione.

3. Obiectiones etiam inde desumi possunt quod Iesus *sibi contradixisset* aut *plane absurda* dixisset si intendisset id quod ei supponitur.

Duo tamen notanda:

a. Quivis merus homo utique sibi contradicere potest: potest hodie asserere hoc, cras eius contradictorium vel contrarium. At a) nemo gratis praesumendus est sibi contradixisse; b) contradictiones apparentes removeri possunt distinctione; c) dicta obscuriora non sunt statim ita interpretanda ut contradicant dictis claris.

Quae principia sanae exegesis cur non valerent ubi agitur de dictis Iesu? Immo sic arguere licet: a) Iesus sibi non contradixit

[21]Knabenbauer, Mt I p. 560; II p. 323-4.—Recte Sanday obicit rationalistis Germanis: "What one desiderates most is greater simplicity, greater readiness to believe that as a rule, in ancient times as well as modern, people meant what they said, and said what they meant, and that more often than not they had some substantial reason for saying it" (Crit. of the Fourth Gospel p. 50).

in rebus humanae rationi perviis (uti postea probabimus); ergo contradictio non est praesumenda in rebus aliis; b) si evangelistae putassent Iesum sibi contradixisse, eius dicta vix scripsissent.

b. Si Iesus vere fuit non tantum homo, sed etiam legatus Dei, Messias, Deus, Filius Dei—de se loqui potuit sub uno vel altero respectu; sic etiam legatus humanus alia de se dicere potest qua homo ordinarius, alia qua legatus; atque aliqua vera esse possunt de eo ut legato quae vera non essent de eo ut homine privato.

Hinc iam adhibere licet has *distinctiones*: qua homo—qua legatus —qua Messias—qua Deus—qua Filius Dei.

Quae ex his distinctionibus ponenda sit in casu particulari, apologetice parum interest, cum nobis sufficiat removere contradictiones apparentes. Dogmaticae est ostendere quomodo omnia dicta Iesu de se positive concilientur.

Schol. 2. *Controversia inter Petrum et Paulum*

1. Secundum *rationalistas,* Ecclesia infans putavit legem mosaicam adhuc esse necessariam ad salutem; Paulus autem novam doctrinam introduxit, scil. hominem iustificari "ex fide et non ex operibus legis", eamque strenue defendit contra Petrum aliosque Apostolos. Inde ortae sunt duae factiones. Tandem Ecclesia pervenit ad compromissam theoreticam, sed practice mosaismum reliquit.

Qua constructione historica nihil falsius. Nam et Petrus et Paulus *ab initio* tenuerunt idem principium, scil. observantiam legis mosaicae non iam esse necessariam ad salutem, sive pro Judaeo-Christianis sive pro ethnico-Christianis. Id quod facile probatur:

a. Iuxta Actus, *Petrus* hanc doctrinam praedicavit (explicite vel implicite) inde a die Pentecostes (Act 2, 38; 3, 16; 3, 26; 4, 11-12), atque Cornelium convertit quin ei imponeret legem mosaicam (Act 10). Petri exemplo muniti, Cyprii quidam et Cyrenaei fundaverunt ecclesiam ethnico-christianam Antiochiae, atque illuc venit Barnabas ab Apostolis missus.[22]

b. Cum *Paulus* suum evangelium compararet cum evangelio Apostolorum, hi ei "nihil contulerunt" (Gal 2, 1-9); hinc in sua reprehensione Petri (Gal 2, 15-21), Paulus evidenter supposuit se consentire cum Petro ceterisque Apostolis quoad non-obligationem legis mosaicae.[23] Ante hos eventus Paulus quidem coeperat prae-

---

[22] Rosadini I p. 189; Murillo p. 156-9, 179.

[23] Prat, Theol. I p. 51; Murillo p. 157, 169, 237.

dicare, sed solis Judaeis (Act 9, 20-27), quibus certo non prohibuit observantiam legis mosaicae.

Dices: Paulus praedicaverat "gentibus et Graecis" (Act 9, 29).

R. Textus graecus nihil habet de "gentibus"; "Graeci" autem sunt Judaei ex diaspora. Paulus non coepit praedicare gentibus nisi Act 11, 26 ac dein Act 13-14.[24]

c. In primo concilio, *Jacobus,* episcopus Jerusalem, iudicavit "non inquietandos esse eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum" (Act 15, 19), i.e. eos non esse cogendos ad observationem legis mosaicae; de hoc enim agebatur.

Dices: Ex Act 21, 20-22 tamen patet ecclesiam Jerusalem non tantum stricte observasse legem mosaicam, sed etiam iudicasse hanc observantiam *necessariam ad salutem.*

R. Non dicitur ibi totam ecclesiam idem sensisse. Potius dicendum: Ii qui putabant observantiam legis adhuc necessariam, erant pauci (Act 15, 1 τινές) neque egerunt iussu Apostolorum (Act 15, 24 "quibus non mandavimus").[25]

d. Licet *Judaei* viderent Christianos observare legem mosaicam, tamen eos persecuti sunt. Ergo sciverunt Christianos eam observare non ex obligatione, sed ob alias rationes.

2. Quodsi ita est, quaeres: *Quae ergo erat controversia?*

Resp. Non erat intentio Pauli docere Petrum non-obligationem legis mosaicae, neque eum accusavit quod abolitionem legis non praedicaverit aut in praxim non deduxerit. Sed Petrus *egerat quasi* lex adhuc esset necessaria, et sic coegerat ethnico-Christianos "judaizare"—contra propria principia. Hinc Paulus eum arguit *inconsequentiae in praxi.* "Conversationis fuit vitium, non praedicationis", uti recte iam dixit Tertullianus (De praescr. 23).

3. Nihilominus Petrus excusari potest ob circumstantias concretas. Nam Ecclesia ab initio fere constabat *Judaeo-Christianis,* qui ritus mosaicos retinebant ob reverentiam erga Moysem et perantiquam traditionem, ob pietatem ipsorum rituum, ob vitam cotidianam inter Judaeos. Unde Petro solvenda erat haec quaestio pure *practica*: Qui esset modus melior *conciliandi* Judaeo-Christianos.

Nota (dogm.). Hodie observantia legis mosaicae est haeresis. Ab initio potuit Ecclesia *tolerare* hanc praxim, dummodo ne fieret spiritu haeretico, i.e. dummodo ne putaretur necessaria ad salutem. Hanc semper fuisse et esse praxim Ecclesiae, constat ex historia; neophytis enim variarum gentium Ecclesia non demit ritus usuales qui nihil superstitionis aut impietatis contineant.[26]

---

[24] Jacquier p. 301, 347-350; Murillo p. 18-19, 191-9.

[25] Murillo p. 166-7, 218.

[26] Pesch V n. 519-529; Murillo p. 223, 249; Auvray, in Rech. de science rel 1939 p. 594-610.

Thesis 14

Iesus Nazarenus se professus est Messiam, non quidem popularem aut eschatologicum aut legalem, sed propheticum.

Cf. Arendzen, Men etc. p. 26-37; Braun p. 59-157; CE s.v. Messiah; DA I col. 1230-6, 1911-1928; DieckmannR p. 420-458; FelderA I p. 107-131; idem, Christ etc. I p. 121-147, 170-194; II p. 94-100, 131-141; Frey, in Dict. de la Bible V col. 1237-1257; idem, in Biblica 1933 p. 133-149, 269-293; Goebel p. 125-134; van Laak, Rev. p. 30-62; idem, Rep. p. 95-102; Langan p. 188-205; Lepin p. 174-198, 425-472; Lercher I p. 155-174; van Noort, Rev. p. 232-247; Wilmers p. 390-407; idem, Lehrb. II p. 65-7.

Haec thesis non est necessaria ad scopum huius Apologeticae. Ponitur autem quia valde prodest ad recte intellegenda evangelia, et quia arcte conectitur cum thesi 24.

Messias (Χριστός—Unctus) est magnus propheta (seu legatus Dei) et redemptor, quem Judaei tempore Iesu exspectabant ut promissum in V.T. Qui etiam exspectabatur instituere *novum regnum,* quod proinde vocatur "regnum messianicum".

Thesim explicabimus et probabimus per 5 partes: a) Iesus se professus est Messiam. At noluit haberi b) Messias popularis aut c) mere eschatologicus aut d) legalis. e) Iesus se professus est Messiam propheticum, i.e. qualis promissus erat in V.T.

Thesis est critice et historice *certa.* Dogmatice est *de fide* ex clara Scriptura. Cf. D 2028, 2035.

A. Messias

Adversarii

a. W. Wrede (Das Messiasgeheimnis in den Evangelien 1901): Iesus numquam putavit aut dixit se esse Messiam; dicta eius messianica sunt *ficta* sive a Marco sive ab Ecclesia infante.[1] Idem adhuc tenent Guignebert, Goguel (p. 573), Jackson-Lake (Beg. of Christ. I p. 285).

b. Wellhausen: Iesus *vacillavit.* Interdum quidem locutus est et egit quasi se putaret Messiam; at alias vetuit discipulos eum proclamare Messiam.[2]

---

[1]Schweitzer, Quest etc. p. 328-348; BN p. 364.
[2]Lepin p. 129-130, 473.

c. Critici hodierni tamen generatim dicunt professionem messianicam Iesu esse tam certam ut nemo sanae mentis eam negare possit. Sed (neglecto J) putant Iesum non pervenisse ad hanc persuasionem nisi *in fine vitae,* scil. vel post confessionem Petri vel cum triumphans ingrederetur Jerusalem vel coram Anna et Caipha.[3]

Probatio

Arg. 1 (indirecte—*ex fide Ecclesiae infantis*)

Ecclesia infans firmiter credidit Iesum fuisse Messiam.

Atqui haec persuasio inexplicabilis esset nisi Iesus ipse se clare professus esset Messiam.

Ergo Iesus se clare professus est Messiam.

Expl.M. Per Ecclesiam infantem intellegimus *primam generationem* Christianorum, quae scil. vixit inde a die Pentecostes usque ad destructionem Jerusalem (anno 70).—Unde *fontes* huius argumenti sunt: a) Evangelia synoptica, quae continent catechesim apostolicam et probabilissime scripta sunt ante 70; b) Actus, praesertim pars eius prior (cap. 1-15), ubi narrantur varia particularia circa vitam cotidianam Ecclesiae, ac praesertim praedicatio Apostolorum; c) epistolae Paulinae, quae omnes scriptae sunt ante 70.

Prob.M. Ecclesiam infantem firmiter credidisse messianitatem Iesu, hodie conceditur a rationalistis, et sic breviter probatur:

a. Finis primarius *Matthaei* erat probare messianitatem Iesu.[5]

b. In primo sermone quem *Petrus* habuit die Pentecostes, ait: "Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus, hunc Iesum quem vos crucifixistis (Act 2, 36; cf. 3, 18). "Omni die non cessabant (*Apostoli*) in templo et circa domos docentes et evangelizantes Christum Iesum" (Act 5, 42), i.e. Iesum esse Messiam.

Dubium autem non est quin Ecclesia crediderit id quod Apostoli tam urgenter praedicabant. Cf. Act 2, 42.

c. Statim post suam conversionem, *Paulus* "continuo in synagogis praedicabat Iesum . . . affirmans quoniam hic est Christus (Act 9, 20-2; cf. 17, 3); "testificans Judaeis esse Christum Iesum" (Act 18, 5); "vehementer Judaeos revincebat publice ostendens per Scripturam esse Christum Iesum" (Act 18, 28).—In epistolis suis

---

[3]supra p. 149; D 2035.
[5]supra p. 87.

autem, quae scriptae sunt Christianis, evidenter supponit messianitatem Iesu ab omnibus credi; nam sexcenties utitur nominibus 'Iesus Christus' vel 'Christus Iesus' vel 'Christus', neque hunc usum iustificat.

d. Ipsum nomen *'Christiani'*, quod paucis annis post Pentecosten datum est fidelibus (cf. Act 11, 26; 26, 28), abunde ostendit eos firmiter credidisse in messianitatem Iesu.[6]

Prob.min. Ante mortem Iesu, talis persuasio oriri potuit etsi Iesus ipse tantum insinuaverit suam messianitatem. Sed nos loquimur de tempore *post mortem* eius. Atqui psychologice impossibile est ut tunc orta sit talis persuasio et mox ab omnibus accepta; nam Messias debuit *instaurare regnum messianicum,* cum e contra Iesus misere perierit in cruce.

Dices: Fides in messianitatem Iesu orta est ex eius resurrectione.

R. Id quidem verum est et postea probabitur. Sed pro *rationalistis* problema psychologicum sic fit magis complexum quin solvatur. Nam a) rationalistae negant Iesum vere resurrexisse; fidem Ecclesiae in resurrectionem habent meram illusionem vel hallucinationem; atqui mera illusio vel hallucinatio nequit esse causa fidei firmissimae; b) neque rationalistae explicant quomodo fides in messianitatem Iesu sequatur (logice vel psychologice) ex fide in eius resurrectionem—nisi Iesus ipse eas conexuerit.[7]

Arg. 2 (directe—*ex dictis Iesu*)

Iesus se professus est Messiam, si a) sibi hoc nomen explicite vel implicite applicavit, b) si admisit etiam alios titulos messianicos.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Ad M. ad a) Evidens est. ad b) Talis admissio enim aequivalet assertioni formali. Sic si titulus "filius David" communiter receptus est ut messianicus, et si Iesus invocatus sub hoc titulo sanet aegrotum, *aequivalenter* admittit eum ut legitimum.—Nihil explicite dicimus de *tempore* quo Iesus coepit se dicere Messiam. Contra rationalistas tamen inducimus testimonia ex J, in quibus Iesus se profitetur Messiam ab initio vitae publicae.

Prob.min.

1. *Iesus se vocavit Messiam*

a. Apud J: Mulier samaritana dixit: "Scio quia Messias venit". "Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum" (J 4, 25-6).—In festo encaeniorum populo quaerenti num ipse esset "Christus", respondit:

---

[6]Jacquier p. 351-3.

[7]Lepin p. 132-4; Sanday, Life etc. p. 73-6.

"Loquor vobis, et non creditis" (J 10, 25), i.e. iam clare dixi vobis, sed non creditis.—Antequam suscitaret Lazarum, Iesus a Martha postulavit ut agnosceret eius messianitatem (J 11, 27).

b. Apud synopticos: Iesus mercedem promittit ei qui porrigat discipulis suis potum aquae "quia Christi estis" (Mc 9, 41).—Iesus benedixit Petro qui eum confessus erat Christum (Mt 16, 16).—Coram summo pontifice, qui eum solemniter et iuridice interrogaverat: "Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus", Iesus clare respondit: "Tu dixisti" (Mt 26, 63-64); atque proximo mane Iesus eandem assertionem repetivit coram synedrio iterum congregato (L 22, 66-71).

2. *Iesus admisit alios titulos messianicos*

Nota. 4 erant tituli sub quibus Messias exspectatus *communiter* designabatur: a) Messias seu Christus, b) filius David, c) rex vel rex Israel, d) venturus (ὁ ἐρχόμενος); usus tamen non erat aeque frequens quoad singulos hos titulos.[8]

a. *Filius David*

Iesus saepe miraculose sanavit eos qui eum sub hoc titulo invocaverant; v.g. filiam mulieris chananaeae (Mt 15, 22), caecum in via (Mc 10, 47-8), duo caecos (Mt 9, 27) etc.—Cum die palmarum populus clamaret: "Hosanna filio David" (Mt 21, 9), Iesus has acclamationes admisit ac defendit (Mt 21, 15-16).

b. *Rex* vel *Rex Israel*

Iesus approbavit verba Nathanaelis: "Tu es rex Israel" (J 1, 49) et populi clamantis: "Benedictus qui venit rex" (L 19, 38).—Ductus ad Pontium Pilatum et ab eo interrogatus: "Tu es rex Judaeorum", Iesus respondit: "Regnum meum non est de hoc mundo". Cum Pilatus urgeret: "Ergo rex es tu"? Iesus respondit: "Tu dicis quia rex sum ego" (J 18, 33-7). Hinc Pilatus posuit titulum crucis: "Iesus Nazarenus rex Judaeorum" (J 19, 19).

c. *Venturus*

Cum discipuli Ioannis Bapt. quaererent σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, Iesus appellavit ad sua miracula, quae praedicta fuerant de Messia (L

---

[8]Multa alia nomina ex V.T. poterant sumi pro titulis messianicis; v.g. Emmanuel, filius Dei, lux mundi, iustus etc. Sed haec nomina, licet non ignota, non erant in usu communi. Neque constat num "Sanctus Dei" ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ (Mc 1, 24; L 4, 34; J 6, 69 in textu graeco) fuerit titulus messianicus, quamvis videatur communiter receptus esse ut talis in Ecclesia infante. Cf. DieckmannR p. 468; Knabenbauer, Mt I p. 479; J p. 121; Lagrange, Mc p. 22; idem, Le Mess. p. 217-8; Jacquier p. 105; Prat, J.-Chr. II p. 55, 72.

7, 19-23; cf. Mt 11, 3-6).—Iesus non erat contentus fide Marthae donec confiteretur: "Tu es Christus filius Dei vivi ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος (J 11, 27). Cf. J 1, 15; 3, 31; 6, 14; 10, 8; L 19, 38; Joüon p. 69.

Obiectiones

1. Judaei exspectabant Messiam politicum et nationalem. Atqui Iesus noluit esse talis. Ergo Iesus non potuit se dicere Messiam. Ita Wrede.

R. a) *Dist.M.* omnes Judaei *N.* plurimi *Tr.* b) *Tr.M. C.min. Dist.cons.* non potuit se dicere Messiam politicum *C.* verum *N.*

2. Si Iesus haberi voluisset pro Messia, non *prohibuisset* promulgationem suae messianitatis. Atqui Iesus saepe eam prohibuit; v.g. Mt 16, 20 "Tunc praecepit discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse esset Iesus Christus".

R. *Dist.M.* non prohibuisset semper et pro semper *C.* aliter *N.* Poterant enim esse adiuncta in quibus talis celatio necessaria vel saltem prudens erat. Cf. Schol. Secretum messianicum, infra p. 220-1.

3. Si Iesus putavisset se esse Messiam, se non subiecisset legi mosaicae; Messias enim eam abrogaturus erat. Atqui Iesus se subiecit legi mosaicae.

R. *N.M.* Ad prob. *Dist.* eam abrogaturus erat statim ab initio vitae suae vel ministerii publici *N.* aliter *Tr.*[9]

4. Iesus ipse se numquam vocavit "filium David", qui tamen erat titulus messianicus ubique receptus.

R. a) Est purum argumentum ex silentio. Num evangelistae tradere voluerunt omnia dicta Iesu?[10] b) Se dicere "filium David", fere idem erat ac se dicere "regem Israel"; atqui periculosum erat se aperte talem dicere.

Urg. Iesus *negavit* se esse "filium David": "Si ergo David vocat eum (i.e. Messiam) Dominum, quomodo filius eius est?" (Mt 22, 45). Ita multi rationalistae.

R. *N.* Imprimis hic sensus difficile supponitur quaestioni Iesu. Dein Matthaeus ipse dictum hoc aliter intellexit. Nam in sua genealogia (1, 1-17) praecise probare voluit Iesum esse filium David; num putandum est eum voluisse contradicere Iesu?[11]

5. Saltem erat *evolutio* in "conscientia messianica" Iesu; nam initio sui ministerii non putavit se esse Messiam, sed ad hanc persuasionem gradatim pervenit.

R. 1 (apol.) a) *Tr.* Nihil in thesi explicite dicimus de tempore quo Iesus se habuerit vel dixerit Messiam. b) *N.* Res potuit etiam aliter se habere; potest enim esse ut Iesus initio se non clare manifestaverit ut Messiam, licet ipse habuerit claram conscientiam suae messianitatis. Cf. Schol. Secretum messianicum.

R. 2 (dogm.) *N.* Iesus fuit propheta, Messias, Filius Dei a primo momento suae conceptionis, atque ab initio plene cognovit se esse haec omnia (Hebr 10, 5-9). Sed suam dignitatem a) fere totaliter celavit per 30 annos, b) neque eam in vita sua publica manifestavit nisi gradatim.

Schol. *Filius hominis*

1. *Usus tituli.* In 4 evangeliis titulus 'filius hominis' (ὁ υἱὸς τοῦ

---

[9]van Laak, Rev. p. 57; Pesch V n. 517-8.

[10]supra p. 88-9.

[11]Dausch p. 294-5; Lebreton, Life etc. II p. 177.

ἀνθρώπου) fere octogies legitur. Sed a) *solus Iesus* eo utitur, et b) Iesus eo semper *seipsum* designat; id quod patet vel ex contextu (v.g. Mt 9, 6) vel ex locis parallelis, ubi alii evangelistae substituunt 'ego'.[12]

2. *Genuinitas* tituli certa est. Nam a) fontes omnes textus eum testantur. b) Saltem aliqui loci non haberent sensum nisi ab initio eum continuissent (v.g. J 12, 34). c) Primi Christiani numquam eum interpolati essent; nam si sumitur mere etymologice, effert humanitatem; atqui primi Christiani magis extulerunt Iesu divinitatem.[13]

Nota. Baldensperger, Schweitzer etc. putant titulum non esse genuinum in locis ante confessionem Petri. Sed contra est textus hodie receptus.

3. *Historicitas* tituli. Duae ultimae rationes pro genuinitate etiam probant titulum non esse fictionem evangelistarum.

Dices: Si hic titulus esset historicus, *primi Christiani* eum adhibuissent. Atqui eum non adhibuerunt; nam non occurrit in aliis libris N.T., et ipsi evangelistae eum non adhibent nisi ubi inducunt Iesum loquentem de se.

R. *N.M.* Primi Christiani potuerunt habere rationes cur eum non adhibuerint: a) Forma graeca tituli erat sat dura. b) Alius titulus 'Christus' adaequate expressit dignitatem messianicam; et ethnici non intellexissent allusionem ad vaticinium Danielis. c) Ethnicis magis inculcanda erat divinitas Iesu.[14]

4. *Significatio* tituli. Titulus 'filius hominis' desumptus est ex Dan 7, 13, ubi designat regnum messianicum eiusque regem, i.e. Messiam; ergo hoc titulo Iesus se designare voluit ut Messiam; id quod clare enuntiavit in Mt 24, 30 et 26, 64.[15]

Dices 1 (cum G. Paulus): Titulus hic aequivaluit pronomini personali *'ego'*; talis enim tunc fuit usus linguae aramaicae.

R. *N.* Post Dalman enim hodie apud peritos constat locutionem 'filius hominis' tunc fuisse prorsus insolitam et singularem.[16]

Dices 2 (cum Wellhausen, Lietzmann, Zahn): Titulus hic significavit *'hominem in genere'* vel *'hominem idealem'*. Saltem hic est sensus tituli in 3 locis: a) Mt 8, 20 "Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos; filius hominis autem non habet ubi caput reclinet". Hic 'filius hominis' evidenter opponitur bestiis; ergo est 'homo in genere'. b) Mt 9, 6 "Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata etc.". Hic 'filius hominis' significare potest 'aliqui homo' vel

---

[12]Compara v.g. Mt 16, 13 cum Mc 8, 27 et L 9, 18; vel Mt 10, 32 cum L 12, 8.

[13]Unde etiam factum est ut hic titulus mox disparuerit et eius loco adhiberetur Χριστός vel κύριος.

[14]DieckmannR p. 448-9.

[15]Roslaniec p. 86-109; van Laak, Rev. p. 41-55; Ruffini p. 338-345; DieckmannR p. 412-4, 438-449; Braun p. 149-153; Ceuppens p. 487-490; Lagrange, J p. clii.

[16]Roslaniec p. 48-52, 64-8.

'homo idealis'. c) Mt 12, 8 "Dominus enim est filius hominis etiam sabbati". Deesset consequentia argumenti nisi supponeretur significatio 'homo in genere'.

R. *N.ass.* ad a) Haec interpretatio est falsa et contradicit contextui; nam plurimi homines habent ubi caput reclinent, et Iesus scribam monere voluit de *sua* paupertate.—ad b) Iesus evidenter loquitur de *sua* potestate dimittendi peccata.—ad c) Num omnis homo est *dominus sabbati?* Et cur Iesus mutavit subiectum 'homo' in 'filius hominis' (in Mc 2, 28)? Uti patet ex Mc 2, 27-8, Iesus potius sic arguit: Filius hominis est dominus eorum quae pertinent ad salutem hominum; atqui ad haec pertinet sabbatum; sabbatum enim est propter homines; ergo filius hominis est etiam dominus sabbati.[17]

B. Messias popularis

Fere omnes Judaei illius temporis (vulgus aeque ac principes) exspectabant Messiam qui a) esset ignotae originis, b) appareret subito ac gloriose, c) esset rex gloriosus sicut David, d) liberaret Judaeos a iugo romano, e) afferret Judaeis prosperitatem terrenam, f) exaltaret Judaeos super alias gentes.

Atqui gestis et dictis suis Iesus clare manifestavit se nolle esse talem Messiam.

Ergo Iesus noluit esse Messias popularis.

Ad M. Hanc fuisse tunc temporis ideam Messiae qualem exspectabant plurimi Judaei, constat a) ex innumeris locis evangeliorum (v.g. Mt 20, 20-8; L 24, 21; J 6, 15; 7, 27) et Actuum (v.g. 1, 6); b) ex literatura coaeva Judaeorum, scil. ex libris apocryphis V.T., ex libris Flavii Josephi ac Philonis.[18]

Prob.min.

a. Iesus numquam celavit suam *originem humilem;* etiam cum exerceret ministerium publicum, Judaei sciverunt eum venisse ex Nazareth, oppido despecto (J 1, 46), et esse fabri filium (Mt 13, 55; 21, 11; Mc 6, 3).

b. Neque Iesus *ministerium publicum* incohavit cum splendore humano, sed recipiendo "baptismum poenitentiae" (Mt 3, 13-16), subeundo tentationes diaboli (Mt 4, 1-10), praedicando poeniten-

---

[17]Knabenbauer, Mc p. 91; DieckmannR p. 444-7; Ruffini p. 336; Roslaniec p. 62-4; van Laak, Rev. p. 42-3.

[18]Grandmaison I p. 291-2; II p. 19-20; III p. 36-7; Willam p. 66-70, 168-172.—Duo tamen notanda: a) Aliqui pii Judaei (v.g. Simeon, Maria, Elizabeth, Ioannes Bapt.) ideam puriorem Messiae fovebant. b) Judaei coaevi Iesu potius loquebantur de "regno messianico" quam de Messia, neque clari erant de relatione Messiae ad hoc regnum.

tiam (Mt 4, 17) etc. Hinc admiratio populi cum inciperent suspicare eius messianitatem (J 7).

c. Cum turbae vellent eum facere regem, aufugit (v.g. J 6, 15). In die palmarum, cum Judaei eum acclamarent regem (L 19, 38), Iesus mox praedixit destructionem urbis et templi (L 21, 5; 21, 20-4). Coram Pilato quidem se clare dixit regem, sed statim explicavit regnum suum non esse de hoc mundo (J 18, 36).

d. Iesus vitavit res politicas.[19]

e. Iesus beatos dixit *pauperes* (Mt 5, 3; L 6, 20); divitibus autem dixit: "vae vobis divitibus" (L 6, 24).—Iuveni qui voluit eum sequi, dixit: "vende quae habes et da pauperibus" (Mt 19, 21; L 18, 22).—'Filium hominis' dixit non habere "ubi caput reclinet" Mt 8, 20).

f. Iesus etiam clare praedixit *reiectionem* Judaeorum: Mt 8, 12; 21, 18-22; 21, 33-45 etc.

Nota 1. Iesum reiecisse ideam popularem Messiae, etiam eruitur ex eius *tentationibus.* Bona enim quibus diabolus tentabat eum, respondebant ideae populari Messiae; synoptici autem haec narraverunt ut ostenderent Iesum reiecisse talem ideam ut falsam, immo diabolicam.[20]

Nota 2. Ex J patet Judaeos etiam exspectasse Messiam qui a) esset ex stirpe David, b) haberet Eliam praecursorem, c) patraret signa messianica, d) regnaret in aeternum. Haec elementa ideae Messiae popularis Iesus nusquam reprobavit.[21]

Schol. *Secretum messianicum*

Evangelistae, ac praesertim Marcus, saepe narrant Iesum *prohibuisse* ne messianitas sua aut miracula divulgarentur. Sic Marcus narrat Iesum vetuisse spiritus immundos (Mc 1, 24-25; 1, 34; 3, 11-12), leprosum mundatum (Mc 1, 43-44), testes suscitationis filiae Jairi (Mc 5, 43), caecum sanatum (Mc 8, 26), ipsos Apostolos (Mc 8, 30; 9, 9) etc.

Wrede igitur opinatus est haec omnia esse *ficta.*

Statim autem oritur quaestio: Cur talia fingebantur? Atque Wrede hanc theoriam excogitavit: In Ecclesia infante, *incredulitas Judaeorum* scandalo erat iis qui ex paganismo conversi erant. Si enim Iesus clare dixerat se esse Messiam et tot miracula patraverat ut confirmaret suum testimonium, cur (hi quaerebant) Judaei eum non agnoverunt ut Messiam? Cui obiectioni ut aliquomodo responderent, Christiani *finxerunt* hanc prohibitionem Iesu seu "secretum

---

[19]supra p. 205.
[20]Kadic, in VD 1938 p. 151-160.
[21]DieckmannE I p. 69-74.

messianicum." Marcus autem scripsit suum evangelium secundum hanc fictionem.

Qua de re tria sunt dicenda:

a. Talis fictio contradicit credibilitati probatae Marci et aliorum synopticorum, apud quos similia leguntur (v.g. L 4, 41; 5, 14; Mt 8, 4). Dein cur Marcus etiam narrat prohibitioni Iesu non esse obtemperatum (Mc 1, 45; 7, 36-7) et Iesum interdum praecepisse promulgationem miraculorum (Mc 5, 18-20)? Nonne vidit haec contradicere fictioni isti?

b. Nihilominus loqui licet de "secreto messianico"—dummodo recte intellegatur.

Scil. propter ideam popularem Messiae, Iesus *caute* procedere debuit in professione suae messianitatis. Si enim se statim alta voce proclamasset Messiam, vel si patrasset miracula qualia Judaei exspectabant a Messia, effectus immediatus fuisset aut *revolutio* contra Romanos aut abrupta *reiectio Iesu* tamquam impostoris. Prudenter igitur Iesus coepit praedicare *regnum Dei*. Hoc regnum autem praedicavit ut religiosum (non politicum), iam praesens, externum, sed praesertim internum. Quodsi tale erat regnum messianicum, Messias ipse ei respondere debuit. Patravit quidem miracula, sed qualia revera praedicta erant in V.T. (Mt 11, 4-5). Tandem seipsum vocavit "filium hominis", qui erat quidem titulus messianicus, sed obscurus.

Sic Iesus *revelavit* et *celavit* suam messianitatem.

c. Inde patet cur Iesus interdum vetuerit et interdum iusserit pervulgationem suae messianitatis vel miraculorum suorum. Eam vetuit cum esset periculum ne turbae excitarentur ad revolutionem (id quod aliquando erui potest ex contextu); eam iussit cum deesset tale periculum.

C. Messias eschatologicus

Idea Messiae quam multi Judaei fovebant, facta erat secundum Dan 7, 13-27: Mundus hic destruetur; quo facto, Messias gloriosus ("filius hominis") descendet cum nubibus caeli, novum mundum creabit, regnum Dei instituet.

Atqui Iesus agnosci voluit ut Messias iam in hac vita et sub condicionibus huius vitae.

Ergo Iesus noluit esse Messias eschatologicus.

Ad M. Haec idea Messiae continetur in libris apocalypticis

(supra p. 96). Aliqui tamen ex his (v.g. liber Henoch) potius loquuntur de *tempore messianico* quam de Messia.

Prob.min. Cum discipuli Ioannis Bapt. quaererent a Iesu num esset Messias, respondit: "Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis" (Mt 11, 4); ergo operibus suis voluit probare se *iam esse* Messiam, non tantum se fore Messiam. Mulieri samaritanae, quae minime exspectabat Messiam eschatologicum, dixit: "Ego *sum* qui loquor tecum" (J 4, 26); atque post eam Samaritani confessi sunt: "Scimus quia hic *est* vere salvator mundi" (J 4, 42). Cum Caiphas eum interrogasset: "Tu es Christus?" Iesus respondit: "Ego *sum*" (Mc 14, 61-62). Et cum Pilatus petivisset: "Tu *es* rex Judaeorum?" Iesus respondit: "Tu dicis" (Mt 27, 11; cf. J 18, 37). Tandem in thesi 25 probabimus Iesum praedicasse regnum messianicum ut *praesens,* non ut mere eschatologicum.

Nota. Nihilominus Iesus etiam dixit se gloriose venturum esse in fine mundi (Mt 25, 31), ac proinde se esse *etiam* Messiam eschatologicum.

Schol. 1. *Schola eschatologica*

Secundum hanc scholam, Iesus se clare professus est Messiam, sed *exclusive futurum* et gloriosum. Ipse nondum est Messias, sed *erit,* scil. in fine mundi, cum incipiet regnum Dei; nunc eius missio mere est annuntiare regnum messianicum futurum.[22]

Quoad particularia autem magna est diversitas inter eos qui pertinent ad hanc scholam: Colani, Weiffenbach, Baldensperger, J. Weiss, Schweitzer, Loisy, Bousset, Wernle, Warschauer etc.

Breviter respondeamus eorum argumentis:

1. Iesus saepe se vocavit *"filium hominis"*. Atqui hic titulus significat Messiam mere eschatologicum, uti constat ex Dan 7, 13-27, unde desumptus est.

R. *Dist.M.* et simul multa alia fecit ac dixit quibus se exhiberet *actu* Messiam *C.* aliter *N.* Sic Iesus etiam dixit "filium hominis" esse flagellandum et crucifigendum—id quod certe non convenit Messiae qua glorioso. Nisi igitur velimus dicere Iesum sibi aperte contradixisse, dicendum est: Titulo "filius hominis" Iesus tantum indicare voluit identitatem personae, non completam identitatem status.[23]

Urg. Iesus accepit titulum *"Venturus"*. Ergo noluit dicere se iam actu esse Messiam. Ita Loisy.

R. *C.ant. N.cons.* Iesus evidenter accepit hunc titulum quia Messias Judaeis promissus erat ut aliquando venturus.

2. Si Iesus putasset se iam esse Messiam, non semper locutus esset de sua *παρουσία,* sed de suo *reditu;* id enim postulat proprietas sermonis. Ita J. Weiss, W. Wrede etc.

---

[22]supra p. 201; Braun p. 113-156; Fillion, Les étapes etc. p. 277-286.
[23]van Laak, Rev. p. 61.

R. *N.supp.* Vox *παρουσία* tantum bis legitur in evangeliis (Mt 24, 3; 24, 27) atque primo ponitur in ore Apostolorum, quorum quaestioni dein Iesus respondet. Vox quidem saepe (undecies) occurrit in aliis libris N.T.; sed Apostoli et primi Christiani ea significabant adventum Christi *gloriosum* in fine mundi.[24]

Urg. Iesus saepe dixit se "venturum" esse (v.g. Mt 10, 23; 16, 27; 25, 31; J 21, 22). Atqui si putasset se iam esse Messiam, dicere debuisset se *rediturum* esse.

R. *C.M. N.min.* ob eandem rationem.

3. Saltem Iesus non erat Messias ante suam mortem. Nam et Petrus (Act 2, 32-6; 13, 32-4) et Paulus (Phil 2, 9) docent eum factum esse Messiam *per resurrectionem.*

R. *N.* Et Petrus et Paulus dicere volunt: Inde a resurrectione Iesu coepit nova aetas, in qua Christus perfecte exercet suum munus messianicum.[25]

4. Idea Messiae eschatologici *late sparsa* erat inter Judaeos coaevos Iesu. Ergo Iesus non potuit non fovere eandem ideam.

R. *Tr.ant. N.cons.* vel *dist.* si erat merus homo *Tr.* si erat Filius Dei *N.*

Schol. 2. *Instantia parousiae*

Non tantum schola eschatologica, sed fere omnes rationalistae (post Reimarum) tenent Iesum errasse quatenus docuerit finem mundi et destructionem Jerusalem a) *coincidere* et b) *proxime instare,* scil. ante suam mortem vel saltem intra generationem tunc viventem. Hinc, aiunt, Iesus numquam cogitavit de Ecclesia fundanda, eiusque doctrina moralis habenda est ut mera "Interimsethik".[26]

Quae opinio historice falsa est. Etenim:

a. Bis Iesus clare dixit *se nolle revelare* tempus quo mundus finietur: "De die autem illa vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater" (Mc 13, 32; cf. Mt 24, 36 graece); "non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate" (Act 1, 7). Ergo Iesus sibi contradixisset si alias praedicere voluisset diem iudicii; atqui a) talis contradictio non est praesumenda, sed stricte probanda (cf. supra p. 210-1); b) evangelistae nullam viderunt contradictionem.

b. Iesus praevidit *longum tempus* fore ante finem mundi. Clare enim praedixit regnum Dei antea praedicatum iri ubique terrarum (Mt 24, 14) et praecedere "tempora nationum" (L 21, 24) evidenter sat longa.

[24]Deissmann, Licht vom Osten p. 314-320; Lepin p. 176-9; Prat, J.-Chr. II p. 370.
[25]van Laak, Rev. p. 62-3; Ruffini p. 204; Lepin p. 177-183; Prümm I p. 408-9.
[26]D 2033, 2052.

c. Speciatim Iesus sat aperte dixit finem mundi neque coincidere cum destructione Jerusalem neque eam mox sequi. Etenim a) praedicta illa calamitate, addidit: "Captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur *tempora nationum*" (L 21, 24). b) Iesus praedixit Jerusalem destructum iri intra generationem tunc viventem (Mt 24, 34); sed diem iudicii revelare noluit (Mc 13, 32; Act 1, 7).

Breviter respondeamus obiectionibus:

a. Imprimis obiciuntur 3 dicta Iesu, quorum tamen duo habent facilem solutionem ex usu vocis *'venire'* in V.T. Scil. a) "Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel donec veniat filius hominis" (Mt 10, 23); b) "amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo" (Mt 16, 28; cf. Mc 9, 1; L 9, 27); c) "sic eum volo manere donec veniam" (J 21, 22).

Resp. ad a) cf. supra p. 196.—ad b) Hoc dictum non refert ad parousiam. Nam Iesus probare vult ea quae de parousia dixerat in v. 27; atqui non potest probare parousiam per parousiam. Praeterea non tantum "quidam" (τινές), sed omnes videbunt parousiam.[27]—ad c) Non annuntiatur parousia ut imminens, licet "fratres" eam exspectaverint.

b. In *sermone eschatologico,* Iesus, a) postquam descripsit destructionem Jerusalem, pergit: *"Statim post* (εὐθέως μετά) tribulationem dierum illorum sol obscurabitur etc." (Mt 24, 29); atque b) mox postquam descripsit finem mundi, addit: "Amen dico vobis, quia *non praeteribit generatio haec* donec omnia haec fiant" (Mt 24, 34). Ergo Iesus dixit finem mundi a) fere coincidere cum destructione Jerusalem, et b) proxime instare.

Resp. Hae obiectiones fere evanescunt si sermo eschatologicus *recte dividitur* in suas partes. Etenim ad a) Mt 24, 29 non debet sumi quasi sit transitus a destructione Jerusalem ad parousiam; legitur enim in medio partis quae agit de parousia.—ad b) Mt 24, 34 legitur in fine partis quae agit de destructione Jerusalem; hinc dictum hoc erat vera prophetia, et impletum est in eventu isto tragico.[28]

c. *"Amodo videbitis filium hominis* sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli" (Mt 26, 64). Quod dictum evidenter refert ad parousiam, quam Iesus asserit proxime instare.

Resp. 1 (apol.) *Matthaeus ipse* hoc dictum aliter intellexit. Nam cum scripsit suum evangelium, tempus utile impletionis (sensu rationalistarum) iam diu transiit; Matthaeus autem, cum Iesum haberet verum Messiam, non dubitavit hoc vaticinium impletum iri.

Resp. 2 (dogm.) Vox *'amodo'* (ἀπ' ἄρτι) non necessario significat 'mox' vel 'statim'; potest significare indeterminate tempus futurum (*hereafter*). Marcus particulam non ponit, et Lucas habet ἀπὸ τοῦ νῦν. Praeterea, vox 'videbitis' non videtur esse premenda, cum Lucas tantum dicat 'erit' (ἔσται).

d. Saltem *Apostoli* docuerunt et primi Christiani crediderunt finem mundi proxime instare. Ergo id a Iesu audierant.

R. 1 (apol.) a) Num putandum est Apostolos contradicere voluisse claris

[27]Mt 16, 28 probabilius refert ad transfigurationem; cf. Bover, in VD 1939 p. 33-38.

[28]Cotter, in Cath. Bibl. Quarterly 1939 p. 204-213.

dictis Iesu? b) Concedi potest multos in Ecclesia infante exspectasse finem mundi. Cuius persuasionis duae assignari possunt causae: impatientia qua Judaei exspectabant Messiam, et "associatio idearum", scil. adventus subitanei et instantis.

Resp. 2 (dogm.) Apostoli non poterant praedicare instantiam parousiae; erant enim infallibiles in docendo. Hinc neque Ecclesia credere (fide divina) eam poterat; Ecclesia enim est infallibilis in credendo.[29]

D. Messias legalis

1. *Adversarii*

a. Neglectis fere ceteris libris V.T., rabbini post-exilici extollebant Pentateuchum, et quidem quatenus continebat ritus caeremoniales et praecepta (*Tora*); cui ipsi addiderunt *Mishna* (i.e. codificationem traditionum seu "legis oralis") et *Gemara* (i.e. commentarios Torae et Mishnae). Messiam venturum autem putabant fore *observatorem exactissimum* huius "legis Moysis".

Hanc ideam Messiae maxime fovebant *pharisaei,* uti patet ex evangeliis nostris. Continetur autem in (apocryphis) Psalmis Salomonis, in libris Philonis et Fl. Josephi, qui ipsi erant pharisaei.[30]

Nota. Tempore Iesu, interpretes officiales legis erant "scribae" (γραμματεῖς); pharisaei, sicut et sadducaei, erant mera secta.[31]

b. Calvinus; Wellhausen, Klausner: Sive Iesus se habuit Messiam sive non, certo noluit abrogationem legis mosaicae, sed eius *perfectam observantiam.* "The animosity of the Gospel records toward the Pharisees does not reflect Jesus' views but the temperament and purpose of the Gospel writers themselves". Ita hodie Montefiore, Abrahams, Moore, Zeitlin. Riddle putat Iesum revera fuisse *pharisaeum.*[32]

2. *Probatur*

Iesus noluit esse Messias legalis, si a) praedixit destructionem templi et annuntiavit novum cultum, b) si docuit novam legem ac praesertim novum spiritum legis, c) si particularismo pharisaeorum substituit religionem maxime universalem.

---

[29]DieckmannE I p. 97-9; II p. 47-57; van Noort, Rev. p. 240-7; Zapelena p. 12-15; Lebreton, Life etc. II p. 185-212; Prat, J.-Chr. I p. 72-6, 440-1; II p. 255-6; Grandmaison III p. 251-9; Lusseau-Collomb p. 746-9; Vaganay, in Dict. prat. s.v. Parousie.

[30]Bonsirven I p. 263-272; DieckmannE I p. 129-133; Kohler p. 42-7; Grandmaison I p. 270-5; Klausner p. 15; Felder, Christ etc. II p. 80-1; Lagrange, Le Mess. p. 186-235.

[31]Willam p. 141; Prat, J.-Chr. I p. 294-8.

[32]Cf. Peritz, in Journal of Bible and Rel. 1939 p. 172-6.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Prob.min.

a. *Templum* destructum iri, ac proinde etiam *cultum V.T.*, Iesus bis clare praedixit (Mt 21, 43; 23, 28). Coram muliere samaritana etiam praedixit abolitionem *rituum et caeremoniarum V.T.* et substitutionem adorationis Patris "in spiritu et veritate" (J 4, 23). Eadem insinuantur in parabolis de veste vetere et nova, de vino vetere et novo (Mt 9, 16-17; Mc 2, 21-22; L 5, 36-9).

b. Iesus *Mishnam* et *Gemaram* vocavit "onera gravia et importabilia" (Mt 23, 4); distinxit inter meram casuisticam et spiritum seu motivum ultimum ob quod lex observanda est; quem spiritum docuit esse *amorem Dei* (Mt 5, 48); clare etiam distinxit inter leges maioris et minoris momenti; v.g. inter legem caritatis et observationem sabbati.

c. Contra particularismum pharisaeorum, Iesus praedicavit religionem *universalem*.[33]

Dices: Duabus saltem occasionibus, Iesus inculcavit perfectam observantiam legis mosaicae et traditionum Judaeorum: a) In sermone montano haec docuit: "Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed *adimplere* . . . Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno caelorum; qui autem *fecerit et docuerit,* hic magnus vocabitur in regno caelorum" (Mt 5, 17-19). b) "Tunc Iesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei. Omnia ergo quaecunque dixerint vobis, *servate et facite*" (Mt 23, 2-3).

R. ad a) Iesus non voluit reicere ideam Messiae legalis sub omni respectu; ipse saepe agnovit auctoritatem V.T. Sed voluit illud "adimplere", i.e. implere omnia vaticinia V.T. et complere revelationem.—ad b) *N.supp.* Uti patet ex contextu, scopus Iesu hic non erat docere oboedientiam erga pharisaeos, sed manifestare contradictionem inter eorum doctrinam et praxim.[34]

Cor. Ergo patet cur pharisaei *persecuti* sint Iesum. Et pharisaei et Iesus desiderabant adhaesionem populi, sed differebant in ideis fundamentalibus.[35]

---

[33]supra p. 206-7; Pesch V n. 506-516 (dogmatice).

[34]Lebreton, Life etc. I p. 152-8; Prat, J.-Chr. I p. 278-9; idem, Theol. I p. 385-7; Faulhaber, Judaism etc.; Lagrange, Mt p. 437-8; idem, The Gospel etc. I p. 152-4; Dausch p. 100-3, 296; Knabenbauer, Mt II p. 280-1; Grandmaison I p. 275.

[35]Willam p. 142-4.

E. Messias propheticus

Messias propheticus est Messias qualis promissus erat a prophetis V.T. Atqui Iesus se talem professus est. Etenim:

a. Iesus *sibi applicavit* ea quae prophetae V.T. dixerant de Messia futuro; v.g. coram Nicodemo (J 3, 14) et discipulis Ioannis Bapt. (Mt 11, 2-6), in Nazareth (L 4, 16-21) etc. Speciatim Iesus sibi applicavit ea quae in V.T. praedicta erant de *"servo Yahwe"* (L 18, 31-4), et quae neglecta erant a Judaeis coaevis.—Idem clare continetur in duobus dictis Iesu: "Scrutamini Scripturas . . . et illae sunt quae *testimonium perhibent de me*" (J 5, 39); et "si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; *de me enim ille scripsit*" (J 5, 46).—Implicite idem continetur in Mt 13, 16-17; L 10, 24; J 8, 56.

b. *Matthaeus* probare voluit Iesum esse Messiam promissum in V.T.; idque probavit ex eo quod in Iesu impleta sint omnia quae prophetae V.T. praedixerant de futuro Messia. Similiter *Petrus* et *Paulus* suaserunt Judaeis messianitatem Iesu ex eius congruentia cum prophetiis V.T. (v.g. Act 2, 25-32; 3, 18; 28, 23).

Atqui nisi Iesus ipse se exhibuisset ut Messiam propheticum, tali argumento vix usi essent; ipsi enim antea foverant ideas falsas Messiae.

Ergo Iesus se exhibuit ut Messiam propheticum.

Thesis 15

Iesum Nazarenum se clare dixisse Deum, facile sequitur ex fide Ecclesiae infantis.

Cf. DieckmannR p. 499-501; Falcon p. 219-223; FelderA I p. 154-7; idem, Christ etc. I p. 307-381; Grandmaison III p. 377-430; Lattey, Paul p. 50-4; Lebreton, Hist. I p. 342-373; Lepin p. 380-410; Otten III p. 17-53; Pesch IV n. 15-23; Prümm I p. 164-226; Romeis p. 462-488; Rosadini II p. 196-204; Straubinger p. 153-8; Wilmers p. 460-470; idem, Lehrb. II p. 160-3.

Theses 15-16 omnino necessariae sunt ad scopum huius Apologeticae; ex omnibus fontibus enim id unum probare volumus Iesum se dixisse Deum. In thesi hac arguimus indirecte, scil. *ex fide Ecclesiae;* in thesi 16 directe arguimus *ex verbis Iesu.*

1. Quid sit *Ecclesia infans,* et qui sint *fontes* probationis, cf. supra p. 214.

2. *Deus*

a. Intellegimus hunc terminum eo sensu quo in Theologia naturali probatur exsistentia *Dei personalis,* i.e. entis a se et infiniti in omni perfectione, aeterni, immutabilis etc.

b. Dubium non est quin *Judaei* et *Judaeo-Christiani,* coaevi Iesu, habuerint eundem conceptum Dei. Aliae religiones illius aetatis potius profitebantur aliquam formam polytheismi.[1]

Thesis est historice et critice *certa.* Eam autem primo loco ponimus ob duplicem rationem: a) Multi *rationalistae* concedunt factum ex quo arguimus, scil. Ecclesiam infantem firmiter credidisse divinitatem Iesu. b) Fides haec nos certiores reddit de *sensu* (obiectivo et subiectivo) dictorum Iesu. Cum enim Ecclesia infans, quoad magnam partem, constaret viris bilinguibus, qui ipsi in sua lingua materna audierant Iesum, habemus testes optimos de vero sensu verborum eius.

Thesis probatur

Ecclesia infans firmiter credidit Iesum esse Deum.

Atqui haec fides inexplicabilis esset nisi Iesus ipse se clare dixisset Deum.

---

[1]Prümm I p. 70-96; Bonsirven I p. 111-221.

Ergo Iesus se clare dixit Deum.

Prob.M. Ecclesiam infantem credidisse Iesum Deum, a rationalistis fere conceditur atque est critice et historice certum.[2] Iuvat tamen hanc fidem in luce ponere, quia non omnia eius indicia ut talia admittuntur ab omnibus criticis.

1. *Ex evangeliis synopticis*

Synopticorum finis quidem non erat probare divinitatem Iesu, vel saltem probatio non est aeque evidens in omnibus (cf. supra p. 87-8). At ex eis quae narrant de Iesu, lector *sat facile infert* hanc fidem. Speciatim a Luca Iesus saepe vocatur ὁ κύριος (L 7, 13; 10, 1; 11, 39; 12, 42; 13, 15; 17, 5-6; 18, 6 etc.); cum autem Lucas sit etiam auctor Actuum, hoc titulo intellexit divinitatem (cf. statim).

Dices: Si synoptici putassent Iesum esse Deum, multa quae sunt incompossibilia cum divinitate, omisissent; v.g. agoniam in horto (L 22, 42-4).

R. 1. *N.* a) Synoptici non putaverunt ea esse incompossibilia. b) Neque haec incompossibilitas est evidens.

R. 2. Haec fiebant in *humanitate* Iesu, quae coniuncta erat divinitati.

2. *Ex Actibus*

Nota. Attende ad duplicem formam textus (cf. supra p. 160), praesertim quia tituli seu nomina Iesu interdum solemniora facta sunt in textu occidentali.[3] Sed certi esse possumus ubi duo textus concordant.

a. Deus

In exhortatione sua ad presbyteros Ephesi, Paulus vocat Iesum *Deum*: "vos Spiritus s. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ), quam acquisivit sanguine suo" (Act 20, 28).[4]

b. Attributa divina

Ab Apostolis Iesus praedicatur ut "sanctus et iustus" (3, 14; 7, 52; 22, 14), "auctor vitae" (3, 15), fons omnis salutis (4, 12), mediator remissionis peccatorum (10, 43), "constitutus a Deo iudex vivorum et mortuorum" (10, 42).

c. Dominus (κύριος)

Ab auctore ipso Actuum et ab iis quorum dicta citantur, Iesus saepe vocatur 'Dominus', 'Dominus noster', 'Dominus Iesus Christus', 'Dominus noster Iesus Christus'. Neque audiendi sunt ii qui putant hunc titulum non esse historicum in citationibus, quasi

---

[2] Dogmatice est de fide; cf. D 2031; Prümm I p. 164-5.

[3] Boudou p. xxxix.

[4] Verum est "Ecclesiam Dei" in aliquibus codicibus graecis esse τὴν ἐκκλησίαν τοῦ κυρίου; sed haec lectio evidenter est correctio posterior. Cf. Jacquier p. 614-5; Steinmann p. 248; Boudou p. 456; Rosadini II p. 198; Prat, Theol. II p. 427-9.

Lucas eum mutuatus sit ex epistolis Paulinis et posuerit in ore primorum Christianorum; nam auctor Act non videtur eas prae manibus habuisse.

Sensu profano utique hic titulus tunc (sicut hodie 'Lord') saepe tribuebatur ratione officii vel bonae gratiae causa (v.g. Mt 10, 24; 13, 27; 21, 29; 25, 11; 27, 63; L 12, 46; J 9, 36; Act 16, 30). Sed Apostoli eum tribuebant Iesu a) tamquam *nomen proprium* et b) *sensu religioso*. Primum patet v.g. ex Act 9, 10-17; 11, 16-17; 22, 8-10; 26, 15. Alterum patet ex contextu. Sic Petrus vel tota congregatio *orat* "Tu, Domine etc." (Act 1, 24); die Pentecostes Petrus *praedicat* Iesum ut Dominum (Act 2, 36); custodi carceris Paulus dicit: "*Crede* in Dominum Iesum, et *salvus* eris tu et domus tua" (Act 16, 31); tandem sicut Apostoli Judaeis *praedicabant* Iesum esse Christum, ita gentibus Iesum esse Dominum (v.g. Act 11, 20).

Atqui sensu religioso 'dominus' primis Christianis idem erat ac *Deus verus*.

Etenim a) titulus hic *promiscue* dabatur Deo Patri et Iesu. Sic in Act 11, 20-21 titulus ter occurrit, ita ut primo referat ad Iesum ("Dominum Iesum"), dein ad Deum simpliciter ("manus Domini"), tandem ad Deum et Iesum simul ("conversus est ad Dominum"). b) LXX constanter verterant *nomina Dei* hebraica (Yahwe, Adonai) per κύριος; et scimus Christianos noluisse hunc titulum dare *Caesari,* scil. ne eum aequiperarent Deo ipsi. c) 'Domino' Iesu tribuuntur ea quae *soli Deo* conveniunt. Sic in Act 10, 36 Iesus dicitur πάντων κύριος; in Act 1, 24 Iesus invocatur "Tu, Domine, qui corda nosti omnium"; pro 'Domino' Iesu discipuli se periculis et morti exponunt (Act 15, 26; 21, 13); sicut Iesus tradiderat spiritum suum Patri, ita Stephanus 'Domino' Iesu (Act 7, 59).[5]

3. *Ex epistolis Paulinis*

Paulum firmiter credidisse divinitatem Iesu, iam patet ex eo quod multi rationalistae dicunt Ecclesiam infantem hanc fidem habuisse a Paulo. Idem patet ex innumeris locis epistolarum.[6]

---

[5]Grandmaison III p. 379-383; Prümm I p. 214-225; Bonsirven I p. 118-125; Felder, Christ etc. I p. 323-4; Simón II p. 50.—Evidentia huius argumenti tanta est ut multi periti non-Catholici (v.g. B. Weiss, J. Weiss, Dalman, Zahn, Stevens) admittant titulum κύριος in ore primorum Christianorum significasse verum Deum.

[6]Oportet (pro argumento nostro) distinguere inter expositiones theologicas

a. Deus

Tres loci citari possunt. a) In Tit 2, 13, Paulus, evidenter loquens ex mente Ecclesiae, vocat Iesum *"magnum Deum et Salvatorem nostrum"*.[7] b) Divinitatem Iesu explicite continet *doxologia* in Rom 9, 5: "Ex quibus (scil. patriarchis) est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula". c) Ea quae in V.T. dicta sunt de *Yahwe,* Iesu tribuuntur in Rom 8, 36 et 10, 13.

b. Dominus

Ea quae supra (p. 229) dicta sunt de hoc titulo in Act, a fortiori valent quoad epistolas Paulinas; fere 200 locis enim Paulus Iesum vocat 'Dominum'.

Speciatim in formulis salutationis, quibus Paulus incipit suas epistolas, non tantum Iesus vocatur 'Dominus', sed Pater et Iesus iunguntur tamquam *unus fons gratiae et pacis*: "Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo" (Rom 1, 7). Eademque formula legitur in 1 Cor 1, 3; 2 Cor 1, 2; Gal 1, 3; Eph 1, 2; Col 1, 2.

c. Doxologiae

Nota. Ex usu christiano, *doxologia* est oratio qua Deo trino vel uni Personae gloria (δόξα) ad laudem tribuitur. Potest esse brevis (v.g. Gloria Patri etc.; additio Protestantium ad "Pater noster") vel longior (v.g. Gloria in excelsis Deo etc.; Te Deum laudamus etc.).[8]

Doxologiae V.T. et apocryphorum semper referunt ad *Yahwe,* et ita exclusive ad *cultum divinum* pertinent ut numquam dirigantur ad homines aut ad angelos, ne ad Messiam quidem. Iamvero apud Paulum eadem formula quae alias dirigitur ad Patrem, etiam applicatur Iesu; v.g. Rom 16, 25-27; 2 Tim 4, 18.

Dices 1. Paulus non habuit Iesum Deum; nam eum vocat *"primogenitum* in multis fratribus" (Rom 8, 29); atqui "fratres" sunt meri homines. Ita Cadoux.

R. *N.* Non tantum contextus, sed omnes epistolae Pauli tali interpretationi adversantur.

Dices 2. Primi Christiani erant *monotheistae.* Atqui si credidissent Iesum esse Deum praeter Yahwe, fuissent polytheistae. Ita Ménégoz.

(v.g. Rom 1, 4; Phil 2, 6; Col 1, 15-17; 2, 9 etc.) et locos ubi Paulus quasi exprimit fidem communem Ecclesiae, seu ubi loquitur ex mente Ecclesiae totius. Hanc enim probare volumus in Maiore. Rosadini II p. 196-9; Prat, Theol. II p. 116-128; Felder, Christ etc. I p. 328-331; Kösters, Chr. p. 275.

[7] Probabiliter adduci etiam potest 2 Thess 1, 12 "secundum gratiam Dei nostri et Domini Iesu Christi". Cf. Knabenbauer, 2 Thess p. 130.

[8] CE s.v. Doxology; LThK s.v. Doxologie; Dict. prat. II col. 396-8.

R. *Dist.M.* i.e. crediderunt unam esse naturam divinam C. unam solam Personam esse in Deo *N.* Hinc Christiani non crediderunt Iesum esse alium Deum et substitutum pro Yahwe. Cf. 1 Cor 8, 6.

Dices 3. Si primi Christiani credidissent Iesum esse Deum, ei obtulissent *sacrificia;* sacrificia enim putabantur pertinere ad cultum divinum. Atqui nusquam legimus eos Iesu obtulisse sacrificia. Ita Ménégoz.

R. *Dist.M.* si credidissent Iesum deum polytheisticum *Tr.* Filium veri Dei *subd.* ei directe obtulissent sacrificia *N.* Deo per Filium et in Filio *C.*[9]

Prob.min.

Origo huius fidei facile (logice et psychologice) patet si Iesus ipse se clare dixit Deum. Aliae explicationes sunt logice vel psychologice impossibiles.

Scil. rationalistae eam explicant ex aliqua *idealizatione*—sive a) secundum modum quo Romani, per apotheosim, fecerunt imperatores suos deos, sive b) ex influxu cultuum alienorum, sive c) ex conceptu Messiae. Plurimi d) eam tribuunt influxui Pauli.

Atqui nulla ex his explicationibus admitti potest. Etenim:

1. *In genere*

Praeter ea quae supra (p. 182, 215) dicta sunt, tria sunt consideranda:

a. Et Judaei et Judaeo-Christiani erant *monotheistae* stricti. Si igitur quidam in Ecclesia infante Iesum ita idealizassent ut merum hominem facerent Deum: a) nonne Apostoli (saltem aliqui) reclamassent, qui Iesu homine familiariter usi erant per 3 annos? b) Nonne Judaei eos statim accusavissent polytheismi? c) Cur aliae personae intime conexae cum Iesu (v.g. Maria, Ioannes Bapt., Apostoli) non sunt idealizatae in deos inferiores—sicut mos erat apud paganos illius temporis?

b. Quam *aliena* fuerit talis idealizatio a mentibus primorum Christianorum, videre est in duobus factis: a) Ex Act 12, 21-23 patet Ecclesiam infantem putasse Herodem Agrippam iure morte affectum esse quia se fecerit Deum; b) in Act 14, 7-14 Paulus et Silas statim alta voce remonstrant ubi Lycaonici eis sacrificare volunt ut diis.[10]

c. Ecclesia infans amavit Iesum. Ergo potius *retinere* quam mutare voluit eius imaginem.

2. *In specie*

a. Totus mundus horruit cum Caligula (ca. 40) se faceret Deum.

---

[9]Sicut Deus trinus fecit omnia per Filium (J 1, 3), ita Ecclesia semper offert sacrificium Missae Deo trino per Filium. Cf. Lebreton, Hist. I p. 369.

[10]Prümm I p. 172-3; Falcon p. 194-8.

Cum autem mundus hunc horrorem mox excuteret, Judaei et Christiani semper habebant *apotheoses* imperatorum pro maxima abominatione. Atque per 3 saecula cultus divinus imperatorum fuit impedimentum gravissimum fidei christianae et causa plurimorum martyriorum.[11]

b. Et Judaei et Christiani illius aetatis quam maxime horruerunt cultus alienos.[12]

c. Divinitas Messiae continebatur quidem in aliquibus vaticiniis V.T.; sed scimus Judaeos illius aetatis non putasse Messiam fore Deum (cf. infra p. 342). *Unde* igitur primi Christiani habuissent hanc notionem?

d. *Paulum* introduxisse hanc fidem ut novam in Ecclesiam infantem, absurde dicitur. Nam a) scimus Paulum habuisse deificationem meri hominis pro maxima abominatione (cf. Act 14, 7-14; 1 Cor 8, 5-6). b) In suis epistolis Paulus non probat divinitatem Iesu, sed eam supponit ubique receptam. Id clare elucet ex Rom. Haec enim scripta est ad Christianos quos Paulus non instruxerat neque viderat, neque tamen eis probat Iesum esse Deum. c) Si Paulus aliud praedicasset quam ceteri Apostoli, nonne hi statim contradixissent? Num omnes ecclesiae primitivae eum habuissent ut summum Apostolum? Num epistolae eius ubique receptae essent tanta veneratione? d) Paulus comparavit evangelium suum cum catechesi Apostolorum, qui ei "nihil contulerunt" (Gal 2, 2-6), i.e. in eius doctrina rationeque agendi nihil corrigendum duxerunt.

Obicit Bousset: In Syria dii vocabantur 'domini'. Cum igitur Christiani *Antiochiae* vocarent Iesum 'Dominum', ei etiam tribuerunt cultum divinum (sicut Syrii). Hanc fidem Paulus ibi didicit atque praedicavit ubique in Ecclesia.

R. *N.totum.* 'Dominus' ut titulus significans divinitatem, non coepit dari Antiochiae, sed in Jerusalem.[13]

---

[11]The Month 1936 p. 493-503.
[12]Bonsirven I p. 99-110; II p. 185-7, 261-8.
[13]Prümm I p. 217.

Thesis 16

Iesum Nazarenum sibi tribuisse divinitatem, invicte probatur ex dictis eius quae leguntur in 4 nostris Evangeliis.

Cf. DieckmannR p. 474-483, 497-9; FelderA I p. 136-142; idem, Christ etc. I p. 250-262; Garrigou-Lagrange p. 427-438; Goebel p. 134-147; Grandmaison II p. 151-185; Lagrange, J p. cliv-clxxxv; Lahousse I p. 184-274; Langan p. 207-219; Lebreton, Hist. I p. 262-330; Lepin p. 306-320; Otten III p. 17-30, 40-53; Ottiger I p. 707-715; Pesch IV n. 11-14; 20; Ruffini p. 335-8; Wilmers p. 408-425.

Adversarii huius thesis sunt duplicis classis:

a. Ii qui putant Iesum se exhibere in *synopticis* ut merum hominem. Ita v.g. Loisy. Similiter H. Rashdall: "In the first three Gospels it is almost a truism to say that Our Lord does not claim Divinity" (Jesus Human and Divine p. 37).[1]

b. Ariani, Sociniani, Unitariani, qui putant Iesum in *J* exhiberi ut Deum inferioris ordinis. Arguunt praesertim ex J 14, 28: "Pater maior me est".

Thesis est critice et historice *certa*.[2] Dogmatice est *de fide* ex clara Scriptura, et implicite affirmatur in D 2027, 2030.

Thesis probatur

Arg. 1. *Ex evangeliis synopticis*

Is se dicit verum Deum, qui a) se exhibet ***legislatorem*** aequalem Yahwe; qui b) non tantum admittit ***adorationem*** religiosam, sed c) se facit ***centrum*** totius vitae religiosae, et d) sibi tribuit plenam potentiam ***iudicandi mundum***.

Atqui apud synopticos Iesus sibi haec omnia tribuit.

Ergo apud synopticos Iesus sibi tribuit veram divinitatem.

Ad M. Pauca dicenda sunt de b) et d); cetera enim sunt evidentia.

a. Quoad ***adorationem religiosam***: a) In V.T., hac adoratione

---

[1]Lepin p. 330-380, 485-499.

[2]Argumentum nostrum est cumulativum (cf. supra p. 202). Alia est quaestio num idem sit dicendum a) de singulis evangeliis, b) de synopticis separatim sumptis, c) de singulis dictis citandis. Hanc quaestionem transmittimus.

colitur solus Yahwe—in caelo et in templo. b) De hac adoratione ipse Iesus statuit: "Dominum Deum adorabis et illi soli servies" (Mt 4, 10; L 4, 8). c) In N.T., haec adoratio soli Deo exhibetur, neque ullus homo eam admittere audet (Act 10, 26; 12, 21-23; 14, 7-16), ne angelus quidem (Apoc 19, 10; 22, 8).

Ergo Iesus qui se praebuit tantum zelatorem honoris Patris, eam recusare debuit nisi voluerit se implicite dicere Deum.

b. Quoad *iudicium mundi*: Solum ens omniscium et omnipotens iudicare potest mundum; nam iudex mundi non tantum scrutari debet renes et corda, sed etiam singulis dare praemium aequum vel poenam aequam.—Saltem Judaeis, quibus Iesus loquebatur, persuasum erat iudicium mundi esse solius Dei.

Prob.min.

Nota. Dicta Iesu citanda, generatim loquendo, sunt *critice certa*, saltem quoad sensum; constat ex textu hodie recepto.—Ea etiam esse *historica*, i.e. vere prolata a Iesu, sic probatur: a) Dicta haec sunt tam multa, tam singulariter brevia et clara, tam communia omnibus synopticis—ut non potuerint fingi. b) Synoptici non voluerunt probare divinitatem Iesu ex professo; immo afferunt dicta Iesu quae prima facie eam negare videntur (cf. supra p. 154-5); atqui falsarius illius aetatis aliter egisset, scil. exaggerasset dicta Iesu de sua divinitate, et omisisset ea quae ei derogare viderentur. c) Rationalistae generatim admittunt haec dicta Iesu esse historica, scil. quia putant ea non involvere professionem divinitatis.

1. Legislator

a. Leges quas Yahwe statuerat ut rex theocraticus Israel, Iesus *mutavit*: revocavit libellum repudii (Mt 5, 31-32) et ius talionis (Mt 5, 38-41), perfecit mandatum quintum (Mt 5, 21-26) et sextum (Mt 5, 27-31), omnibus suum iugum imposuit (Mt 11, 29-30).[3]

b. Iesus haec fecit *propria auctoritate*. Id quod elucet ex toto sermone montano. Prophetae V.T. coeperunt sua monita dicendo: "Haec dicit Yahwe" (v.g. Is 7, 7; 22, 15; 30, 15), scil. ut sibi conciliarent auctoritatem divinam. Non ita Iesus. Qui, repetita lege vetere ("audistis quia dictum est antiquis", i.e. patribus vestris), enuntiat novam legem sic: "Ego autem dico vobis".

Dices: Non omnia quae dicta sunt "antiquis", erant mandata *divina;* quaedam pertinebant ad Mishnam vel Gemaram (v.g. Mt 5, 43).

R. *Tr.* Manet tamen verum Iesum propria auctoritate mutasse quaedam quae Yahwe statuerat; v.g. Mt 5, 21; 5,27; 5, 31; 5,33.

2. Adoratio religiosa

In synopticis saepe legimus homines procidisse coram Iesu

---

[3]Ex J hic addi potest 3, 3 et 7, 23, ubi baptismus substituitur circumcisioni.

eumque adoravisse (προσκυνεῖν) ; v.g. Mt 2, 11 ; 8, 2; 9, 18; 14, 33; 15, 25; 20, 20; Mc 5, 6; L 24, 52.

Quae adoratio potuit significare meram reverentiam profanam (v.g. Mt 18, 26) ; unde non arguimus ex mera voce. Ex adiunctis autem patet adorationem factam erga Iesum plerumque habuisse *motivum religiosum.* Homines enim eum adoraverunt cum miraculum ab eo sperarent (Mt 8, 2; 15, 25), vel cum stuperent ob miraculum patratum (Mt 14, 33), vel ut ei gratias agerent pro miraculo (Mt 9, 18; Mc 5, 6) etc. Neque Iesus umquam recusavit aut mitigavit actum.

3. Centrum vitae religiosae

a. Iesus postulavit *fidem* firmissimam et absolutam in seipsum: "Omnis qui confitebitur *me* coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in caelis est; qui autem negaverit *me* coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in caelis est" (Mt 10, 32). "Beatus qui non fuerit scandalizatus in *me*" (Mt 11, 6). Saepe Apostolos accusavit "modicae fidei", i.e. eos reprehendit quia non firmiter credebant in eum: Mt 8, 26; 14, 31; 16, 8-11 etc.—Neque Iesus tantum locutus est de regno Dei vel de sua doctrina, sed primarie de *sua persona.* Id iam patet ex dictis citatis, et ex Mc 8, 38, ubi distinctio fit: "Qui *me* confusus fuerit et *verba mea* . . . et Filius hominis confundetur eum". Cf. L 9, 26.

b. Iesus se proposuit ut *spem* unicam: "Venite ad *me* omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos" (Mt 11, 28).

c. Iesus se non tantum dixit *sponsum* (loco Yahwe), sed etiam exegit *amorem* supremum erga seipsum. Exegit enim ut suam personam magis amaremus quam cognatos nostros quoslibet, immo quam nosmetipsos (Mt 10, 35; 10, 37; L 14, 26). Exegit igitur ut erga eum impleremus praeceptum *dilectionis Dei.*

d. Iesus se proposuit ut universalem *normam moralitatis.* Nam a discipulis suis postulavit ut baiularent crucem suam "propter *me*" (Mt 10, 38; 16, 24; Mc 8, 34; L 9, 23; 14, 27) et ut parati essent subire persecutiones et mortem ipsam "propter *me*" (Mt 5, 12; 10, 18; 10, 22; Mc 8, 35; 13, 13; L 21, 17). Hinc a) in ultimo iudicio omnia iudicabuntur secundum relationem ad Iesum: beati erunt qui haec vel illa egerint aut passi sint "propter *me*" seu "propter nomen meum", vel quia *"mihi"* fecistis; maledicti erunt "quia nec mihi fecistis" (Mt 25, 40-5). Cf. Mc 8, 38; L 9, 26.

b) Ipsa sors aeterna erit vel "venite ad *me*" vel "discedite a me".[4]

e. Iesus se dixit *dominum regni Dei*. Nam loquitur de Ecclesia *sua* (Mt 16, 18); ipse est paterfamilias (L 13, 24-30) et lapis angularis (Mt 21, 44).

4. Iudex mundi

"Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius" (Mt 16, 27; cf. 24, 30).[5]

Obiectiones

1. "Quid me dicis bonum? *Nemo bonus nisi unus Deus*" (Mc 10, 18; cf. L 18, 18-20). Ergo Iesus implicite negavit se esse Deum. Ita Loisy.

R. Iesus hoc loco neque affirmavit neque negavit se esse Deum, sed suam responsionem *accommodavit* iuveni (qui in eo nihil vidit nisi hominem) eique proposuit Deum ut exemplar bonitatis.

Urg. In ulteriore discursu (Mc 10, 20) iuvenis omisit "bone"; ergo intellexit Iesum respuere hunc titulum.

R. a) In aliquibus codicibus graecis legitur ἀγαθέ; sed haec lectio videtur esse spuria. b) Nulla erat ratio iterum addendi "bone", et fuisset affectatio, cum rabbi numquam sic vocarentur.

Nota. Quoad Mt 19, 16-17 duo notanda: a) Textus graecus est difficilis; Iesus videtur respondere quaestioni: Quid boni faciam? b) Versio latina videtur assimilasse textum ceteris synopticis; male enim respondet textui graeco, in quo iuvenis tantum dicit διδάσκαλε (i.e. sine ἀγαθέ), et Iesus tantum respondet εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθός (i.e. sine θεός).[6]

2. Iesus negavit se esse omnipotentem; nam negavit se patrare miracula propria virtute: "Si ego *in spiritu Dei* eicio daemones" (Mt 12, 28; cf. L 11, 20).

R. *N. supp.* In loco citato, disputatio erat utrum opera Iesu essent divina an diabolica; non agebatur de causa efficiente physica.

Urg. Iesus a) non poterat subito sanare caecum (Mc 8, 22-5), et b) in Nazareth "non poterat ullam virtutem facere" (Mc 6, 5).

R. ad a) *Dist.* non sanavit caecum in instanti *C.* non potuit, *peto probationem.* A non esse non valet illatio ad non posse.—ad b) *Dist.* non poterat physice *N.* moraliter *subd.* ex parte sua *N.* ex parte incolarum Nazareth *C.* Uti enim patet ex loco parallelo (Mt 13, 58), ob incredulitatem incolarum Iesus noluit patrare miracula maiora.[7]

3. Iesus explicite negavit se habere eandem potestatem ac Patrem: "Sedere ad dexteram meam vel sinistram, *non est meum dare* (vobis), sed quibus paratum est a Patre meo" (Mt 20, 23). Ita Ariani.

R. 1 (apol.) Iesus potuit loqui ut homo vel ut legatus.[8]

---

[4]Huc pertinet quod Iesus dicit in J: "Ego sum resurrectio et vita" (11, 25); "ego sum via et veritas et vita" (14, 6).

[5]In J, Iesus se *solum* dicit iudicem mundi, ita ut Pater se non immisceat iudicio: "Neque Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem" (5, 22).

[6]Prat, J.-Chr. II p. 166-7; Lagrange, Mt p. 373-5; Dausch p. 265; Simón I p. 461; Lusseau-Collomb p. 696-7.

[7]Knabenbauer, Mc p. 160, 217; Lagrange, Mc p. 149.

[8]supra p. 211.

R. 2 (dogm.) Inter exegetas catholicos non convenit utrum Iesus haec dixerit qua homo an qua Filius; utraque interpretatio est possibilis.[9]

4. Iesus negavit se esse omniscientem; dixit enim se *nescire diem iudicii* (Mc 13, 32). Textus graecus dubius est in Mt 24, 36.

R. 1 (apol.) Iesus haec dicere potuit qua legatus Dei, i.e. quatenus dies iudicii non pertinebat ad ea quae hominibus revelare debuit.

R. 2 (dogm.) *Dist.* dixit se nescire scientia communicabili et incommunicabili *N.* communicabili *Tr.* vel *C.* Quae solutio est fere communis inter theologos hodie, eamque pulchre exposuit S. Augustinus: "Quia Dominus noster Iesus Christus magister nobis missus est, etiam filius hominis dixit nescire diem illum, quia *in magisterio eius non erat* ut per eum sciretur a nobis" (In Ps 36, 1).[10]

Arg. 2. *Ex evangelio quarto*

Nota. a) S. Ioannes sibi explicite proposuit probare divinitatem Iesu (cf. supra p. 87-8). Quanta *evidentia* autem thesim suam probaverit, patet ex eo quod rationalistae hodierni non aliter putent se posse effugere eius conclusionem nisi negando evangelii genuinitatem vel saltem credibilitatem.—b) Cum S. Ioannes evangelium scriberet non paganis aut Judaeis, sed Christianis Asiae, qui muniri debuerunt contra haereticos coaevos, thesim suam magis probavit ex *dictis* Iesu quam ex eius miraculis. Unde eius probatio fere coincidit cum nostra.

Is se dicit Deum, qui se dicit a) aequalem Patri, b) aeternum, c) unum cum Patre.

Atqui iuxta evangelium quartum, Iesus haec de se dixit.

Ergo iuxta evangelium quartum, Iesus se dixit Deum.

Ad M. a) Voce 'Pater' et Iesus et Judaei intellexerunt Yahwe seu summum Deum.[11] b) Aeternitas sensu stricto soli Deo convenit.

Prob.min.

Nota. *Historicitas* locorum citandorum negari nequit, saltem in genere. Nam a) evidenter pertinent ad substantiam (i.e. finem) quarti evangelii, uti constat ex J 20, 31. b) Si auctor J suam theologiam construxisset iuxta philosophos profanos, non tam accurate servasset unitatem naturae divinae et distinctionem Personarum.

A. Aequalitas cum Patre

Lege J 5.

1. *Genuinitas* quoad substantiam est certa. Dubium quoad v. 4-5 (cf. supra p. 134) non afficit nostrum argumentum.

2. *Historicitas.* Weizsäcker negavit olim Iesum dixisse ea quae leguntur in v. 23, 26, 28, 29. Sed eius ratio est pure a priori.

---

[9]Knabenbauer, Mt II p. 192-4; Dausch p. 273.

[10]D 2034, 2183-5; S. Thomas III qu. 10 a. 2; Knabenbauer, Mc p. 356-9. —Iesus scivit diem iudicii qua Deus; qua homo eam scivit scientia visionis et scientia infusa.

[11]Bonsirven I p. 138-9.

Dubitatur autem quoad v. 19-47 a) utrum dicta sint eadem occasione ac praecedentia, b) utrum Iesus locutus sit in monologo an interpellationes Judaeorum omissae sint a Ioanne. Sed haec dubia non afficiunt nostrum argumentum.

3. *Sensus*

a. Aequalitas *in genere* (J 5, 16-18)

Judaei persequebantur Iesum quia non tantum ipse violaverat sabbatum, sed etiam "solverat sabbatum", scil. iubendo infirmum tollere grabatum suum sabbato. Contra eos Iesus evidenter sic arguit: Pater meus operatur sabbato, scil. quatenus conservat ac regit mundum. Atqui (omissa est haec minor) ego sum *aequalis Patri*. Ergo etiam ego possum operari sabbato et solvere sabbatum. Uti enim patet ex eorum reactione, *Judaei* eum hoc sensu intellexerunt: "Propterea ergo magis quaerebant eum Judaei interficere (scil. utpote *blasphemum*), quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo".

b. Aequalitas *in specie* (J 5, 19-30)

In ulteriore (vel alio) discursu, Iesus etiam clarius explicavit quomodo intellegeret suam aequalitatem cum Patre. Scil. sibi tribuit a) omnipotentiam Patris (v. 19 et 21), b) omne iudicium (v. 22), c) eundem honorem cum Patre (v. 23), d) ipsam aseitatem ("habere vitam in semetipso" v. 26), e) potestatem suscitandi mortuos (v. 28-29).

Obicit J. Weiss: In toto hoc discursu Iesus sibi tribuit tantum aequalitatem *iuris* et *libertatis* cum Patre.

R. Num talis aequalitas stare potest sine aequalitate naturae?

Obiciunt Ariani et Sociniani: In eodem capite Iesus bis *negat* se esse omnipotentem, scil. v. 19 et 30.

R. 1 (apol.) Iesus haec dicere potuit qua Filius vel qua homo.

R. 2 (dogm.) Ex contextu, videtur Iesus loqui de se ut Filio; nam clare indicat suam operationem et naturam esse numerice eandem ac Patris; secus posset aliquid facere quod non viderat Patrem facientem.[12]

Urg. Etiam in J 14, 10 Iesus adscribit sua miracula non sibi, sed Patri: "Pater in me manens, ipse facit opera".

R. Eadem responsio duplex.

B. Aeternitas

Lege J 8, 30-59, praesertim 56-9

1. *Genuinitas.* Textus est critice certus, praeter v. 57, ubi S

---

[12] Aliter Lagrange, J p. 142-3.

et duae versiones habent "et Abraham te vidit"; sed sensus quaestionis sic non mutatur.

2. *Historicitas.* Nulla est ratio dubitandi quin haec disputatio inter Iesum et Judaeos actu habita sit (contra K. Hase).

3. *Sensus.* Judaei interrogaverant Iesum: "Numquid tu *maior* (μείζων) es patre nostro Abraham?" Iesus respondit: Ipse Abraham desideravit me videre (v. 56). Omittitur evidens conclusio: Ergo maior sum. Judaei igitur verba Iesu quam maxime *absurda* demonstrare volunt: "50 annos nondum habes et Abraham vidisti" (vel "et Abraham te vidit")?

Videntur Judaei transisse a praestantia in genere ad praestantiam in aetate. Vox μείζων utramque significare potest. Accepta nova significatione, Iesus respondit: "Amen, amen dico vobis, *antequam Abraham fieret, ego sum*" (v. 58). His verbis Iesus videtur allusisse ad Exod 3, 14, ubi Yahwe revelavit Moysi nomen suum "Ego sum qui sum".[13] Certe *Judaei* intellexerunt Iesum sibi adscribere nomen et *exsistentiam propriam Yahwe;* nam conantur eum lapidare (v. 59), scil. ob *blasphemiam* (cf. Lev. 24, 10-23). Neque Iesus eos correxit, sed "abscondit se et exivit de templo".

Atqui qui sibi adscribit exsistentiam propriam Yahwe, se dicit aeternum.

Obiciunt Ariani: Iesus hic tantum asserit se iam exstitisse antequam fieret homo; atqui id non est idem ac dicere se esse aeternum.

R. *N.M.* Certe Judaei dictum Iesu intellexerunt de exsistentia propria Yahwe.

Obiciunt Protestantes aliqui: Iesus ibi locutus est de esse *ideali* quod ab aeterno habuit in mente divina.

R. *N.* Obstat iterum interpretatio Judaeorum disputantium.

Nota. a) Non negamus Iesum alibi (v.g. J 16, 28; 17, 5) directe non enuntiare nisi *praeexsistentiam* suam realem; sed inde non sequitur eum numquam plus dicere voluisse. b) Phrasis *"ego sum"* alibi alium sensum habet. In J 8, 24 (8, 28; 13, 19) indistincte significat "is quem me profiteor" (contra S. Augustinum, S. Thomam etc.); in Mc 13, 6 et L 21, 8 autem significat "ego sum Messias", uti patet ex contextu.[14]

C. Unitas cum Patre

Lege J 10, 22-39.

1. *Genuinitas.* Textus est critice certus, praeter v. 25, ubi textus graecus habet εἶπον; et v. 29, ubi alias legitur "qui" pro

---

[13] Fortasse Iesus usus est iisdem vocibus hebraicis.

[14] Knabenbauer, J p. 297.

"quod", et "maior" pro "maius".[15] Sed hae lectiones variantes non afficiunt nostrum argumentum.

2. *Historicitas.* Dubium quidem est num hic discursus habitus sit eodem tempore ac J 10, 1-21. Sed a) argumentatio nostrae pericopae accurate respondet realitati (Tillmann p. 209); b) impossibile est ut Ioannes, qui ab initio sui evangelii praedicat Iesum ut Λόγον, finxerit argumentum in v. 34-6; nonne Ioannes potius sic arguisset: Si illos dixit deos etc; atqui ego sum ipse Λόγος.

3. *Sensus*

a. Licet incertus sit v. 29 eiusque interpretatio, tamen a) Iesus clare dicit se esse *unum cum Patre,* et hanc unitatem esse rationem suae potentiae; b) hanc unitatem autem non esse mere moralem, sed *physicam,* patet ex *reactione Judaeorum;* hi enim voluerunt eum lapidare (v. 31), et quidem propter *blasphemiam,* scil. "quia tu cum homo sis, facis teipsum Deum". Sane si Iesus mere asseruisset suam voluntatem esse conformem voluntati Patris (unitas moralis), Judaei eum non habuissent blasphemum.

b. In progressu disputationis, Iesus se quidem accommodavit infirmitati Judaeorum, sed *non correxit* eorum interpretationem. Scil. a) ut aliquomodo reprimeret eorum furorem, usus est argumento ad hominem: Si in V.T. meri homines vocari poterant 'dii' (elohim), a fortiori is se potest dicere Deum "quem Pater sanctificavit et misit in mundum" (v. 36). At b) Iesum se non correxisse, patet ex v. 38 ("Pater in me est, et ego in Patre") et ex reactione Judaeorum, qui voluerunt eum "apprehendere".[16]

Dices: Iesus noluit sibi adscribere maiorem unitatem cum Patre quam habuerunt *prophetae V.T.* (v. 35 "ad quos sermo Dei factus est"); atqui horum unio cum Patre fuerat mere moralis.

R. *N.* Iesus evidenter arguit a minore ad maius.

Urg. In fine disputationis, Judaei non iam voluerunt Iesum lapidare, sed tantum "apprehendere". Ergo Iesus correxerat eorum interpretationem.

R. *N.* a) Cur voluissent eum apprehendere si putavissent eum sibi tribuere unionem mere moralem cum Patre? b) Videntur voluisse eum apprehendere ut eum lapidarent, vel saltem ut eum ducerent coram synedrio et accusarent blasphemiae.

4. Eadem unitas physica cum Patre clarissime continetur in *aliis dictis* Iesu; v.g. "Philippe, qui videt me, videt et Patrem" (J 14, 9);

---

[15] Prat, J.-Chr. II p. 78; Tillmann p. 207; Lagrange, J p. 287.

[16] Idem dictum "Ego in Patre, et Pater in me" Iesus postea bis repetivit in J 14, 10-11.

"omnia quaecunque habet Pater, mea sunt" (J 16, 15);[17] "mea omnia tua sunt, et tua mea sunt" (J 17, 10).

Confirmatur: Ioannes Apostolus, auctor J, Iesum certe exhibuit ut Deum; patet ex prologo, ex 5, 19-30, ex 20, 31; atqui hoc testimonium *inexplicabile* esset nisi Iesus ipse se clare dixisset Deum.

Obiectiones

1. "Pater *maior* me est" (J 14, 28). Atqui in Deo non datur maius et minus. Ergo Iesus negavit se esse Deum. Ita Ariani.

R. 1 (apol.) Tria responderi possunt: a) Ioannes, qui solus nobis servavit hoc dictum Iesu, non putavit illud adversari eius divinitati. b) Potest esse ut Iesus hic locutus sit ut Filius vel ut homo. c) Recte arguit H. J. Holtzmann hoc dicto Iesum sibi revera adscribere aequalitatem cum Patre; nam mera creatura nequit se comparare cum Deo sub ullo respectu, neque ei fas esset dicere: Deus maior me est.

R. 2 (dogm.) *Dist.M.* ratione humanitatis *C.* ratione divinitatis *N.* Uti dicitur in "Quicunque": "Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem" (D 40).[18]

2. "Haec est vita aeterna ut cognoscant *te solum Deum verum,* et quem misisti, Iesum Christum" (J 17, 3). Hoc dicto Iesus non tantum se distinguit a Patre, sed saltem implicite negat se esse verum Deum.

R. 1 (apol.) Responsio duplex dari potest ut sub 1.

R. 2 (dogm.) *Dist.* ut cognoscant te solum verum Deum, i.e. in oppositione ad deos paganorum *C.* aliter *N.* Alludit igitur Iesus ad id quod Yahwe dixerat in Deut 32, 39 "Videte quod ego sim solus et non sit alius deus praeter me".[19]

---

[17] De quo dicto ait Lagrange, J p. 423: "Ces mots sont ce que le N.T. contient de plus expressif sur l'unité de nature".

[18] Fuerunt tamen Patres graeci qui hoc dictum intellexerunt de Iesu qua Filio Dei, scil. quatenus Pater maior sit *ratione originis.* Sed haec interpretatio obsoleta est.—Alii textum explicaverunt de *incarnatione,* in qua Verbum se "exinanivit". Cf. Prat, J.-Chr. II p. 296-7.

[19] Knabenbauer, J. p. 502.—Titulus 'Iesus Christus' videtur esse additamentum Ioannis. Cf. Lagrange, Gospel II p. 227; Porporato, in VD 1939 p. 215-6.

Thesis 17

Iesum Nazarenum se dixisse Filium Dei naturalem, constat ex 4 nostris Evangeliis.

Cf. DieckmannR p. 483-496; FelderA I p. 142-152; idem, Christ etc. I p. 262-306; Garrigou-Lagrange p. 430-4; Goebel p. 134-147; van Laak, Rep. p. 105-117; Lahousse I p. 209-225; Langan p. 219-227; Lebreton, Hist. I p. 300-329; Lepin p. 320-375; Pesch IV n. 12-14; Rigaux, in BN p. 1125-1133; Ruffini p. 345-352.

Thesis haec non est necessaria ad scopum huius Apologeticae (cf. supra p. 17). Ponitur autem ut complementum doctrinae; nam non tantum confirmat thesim 16, sed ex ea patet quo sensu Iesus sibi tribuerit divinitatem, scil. non quatenus sit Pater, sed *Filius.*

Filius Dei naturalis

a. Secundum usum communem, *filius naturalis* est is qui ab alio (vel aliis) procedit per generationem. Generatio autem est "origo viventis a vivente coniuncto in similitudinem perfectam naturae vi ipsius generationis" (cf. Pesch II n. 514). Unde Filius *Dei* naturalis ita a Deo procedere debet a) ut generans de sua substantia communicet generato, b) ut natura utriusque sit perfecte similis, c) idque non per accidens, sed vi productionis.

At controversia cum rationalistis non tam est de primo aut tertio membro definitionis, sed de secundo. Unde quaestio est: Num Iesus se ita vocaverit Filium (Filium Dei, Filium Patris) ut sibi adscriberet *naturam perfecte similem* Patri.

Nota (dogm.) In creaturis, perfecta similitudo ("identitas naturae") est tantum *specifica;* pater et filius habent naturam logice eandem; natura creata enim est multiplicabilis. Deus autem est unicus, eiusque natura non est multiplicabilis. Ergo si Iesus se dixit Deum, implicite dixit suam naturam esse *numerice* eandem cum natura Patris, seu (uti Ecclesia loquitur) se esse Patri "consubstantialem". Unde eius filiatio, licet propria, non convenit cum humana nisi *analoge.*—In thesi tamen abstrahimus ab hoc discrimine. Sufficit nobis probare Iesum sibi tribuisse perfectam similitudinem cum Patre.

b. Non tantum vox 'filius', sed etiam 'filius Dei' et 'filius unicus Dei' saepe adhibebantur a Judaeis sensu latiore, idque non tantum in V.T., sed etiam in N.T., immo ab ipso Iesu.[1] Unde quo sensu

[1] Zorell s.v. *υἱός*; Felder, Christ etc. I p. 262; Klausner p. 377-8; Vaccari, in VD 1935 p. 49-53.

Iesus se dixerit 'Filium Dei' vel 'Filium Patris', potius eruendum est ex *contextu*, ex adiunctis etc.

Adversarii directi sunt ii qui dicunt terminos 'Filius' vel 'Filius Dei' apud synopticos significare merum Messiam-hominem. Ita Renan, Loisy, B. Weiss, Harnack, Stevens etc.[2]

Thesis est critice et historice *certa*, saltem si omnia dicta Iesu simul sumuntur. Dogmatice thesis est saltem *certa et communis* (ex consensu Patrum et Theologorum). Cf. D 2030.

THESIS PROBATUR

A. Logion Matthaei

"Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare" (Mt 11, 27).—Substantialiter idem dictum legitur in L 10, 22, ubi etiam nexus historicus indicari videtur, scil. post reditum 72 discipulorum.[3]

1. *Genuinitas*. Textus est critice certus. Olim quidem movebantur duo dubia: a) utrum "novit" debeat esse temporis praesentis (ἐπιγιγνώσκει) an aoristi (ἔγνω vel ἐπέγνω); b) num fortasse duo membra inverti debeant. Hodie constat textum nostrum esse genuinum.

2. *Historicitas*. Dictum hoc est historicum (contra Norden, Edw. Meyer etc.). Matthaeus et Lucas enim sunt evidenter testes independentes quoad illud; neque alia derivatio assignari potest.[4]

3. *Sensus*. Tanta claritate Iesus se hic ponit supra omnes creaturas ut rationalistae (Pfleiderer, Harnack) censeant dictum esse interpolatum vel saltem adulteratum. Evidenter enim Iesus a) suam scientiam Patris *distinguit* a scientia quam habent aliae creaturae, etiam Judaei; nulla creatura habet scientiam Patris quam habet Filius. b) Iesus suam scientiam Patris *aequiperat* scientiae quam Pater habet de Filio; Filius novit Patrem sicut Pater novit Filium. c) Iesus *derivat* suam scientiam ex sua filiatione: "omnia mihi tradita sunt".[5]

---

[2]Lepin p. 330, 334-5, 357-374.

[3]Grandmaison II p. 152-3.

[4]DieckmannR p. 486-7; Grandmaison II p. 331-4; Lagrange, Mt p. 226-9; idem, Gospel II p. 8; Dausch p. 188-9; Lebreton, Hist. I p. 591-8.

[5]DieckmannR p. 488-490; Lepin p. 355-7; Prat, J.-Chr. II p. 15-18; Reatz p. 162-5.

Obicit Harnack: Iesus se tantum dixit Filium quatenus habet *scientiam singularem* Patris, i.e. Iesus sibi conscius erat se melius scire Deum ut Patrem quam quemvis alium. Atqui singularis haec scientia non constituit filiationem naturalem.

R. *N.M.* Iesus enim non tantum aequiperat suam scientiam scientiae Patris, sed eam derivat ex sua filiatione—non vice versa, uti Harnack supponit.

4. Similia dicta Iesu leguntur in evangelio quarto: 6, 46; 8, 19; 10, 15; 14, 9; 16, 15; 17, 10 etc.

B. Confessio Petri

Lege Mt 16, 15-17

1. *Genuinitas.* Textus est critice certus (cf. supra p. 128-9).

2. *Historicitas.* Dicta haec sunt etiam historica. Paucae obiectiones rationalistarum facile solvuntur.[6]

3. *Sensus.* Unum negari nequit: Iesus solemniter ***approbavit*** confessionem Petri; ergo se implicite dixit id quod Petrus confessus erat.

Quid autem Petrus confessus est? Utrum meram messianitatem Iesu an etiam filiationem divinam naturalem?

Responsum est certum: Petrus confessus est Iesum ***Filium Dei naturalem.*** Id directe patet ex formula solemni ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος (cf. expressionem vagam in Mt 14, 33 θεοῦ υἱός). Idem tripliciter probatur indirecte: a) Si Petrus tantum voluisset confiteri Iesum Messiam-hominem, suffecisset dicere: "Tu es Christus"; cur ***addidit*** "Filius Dei vivi"? b) Iesus tribuit cognitionem Petri ***revelationi speciali;*** sed messianitatem Iesu Petrus et ceteri Apostoli facile cognoscere poterant lumine naturali. c) In sua responsione, Iesus locutus est de filiatione naturali ***Petri*** ("bar Jona"); ergo etiam Petrus locutus erat de filiatione naturali Iesu.[7]

4. *Obiectiones*

Loisy olim probavit Petrum mere confessum esse Iesum Messiam-hominem ex triplici capite: a) quia "Filius Dei vivi" *omittitur* in locis parallelis (Mc 8, 27-30; L 9, 18-20); b) quia Iesus tantum vetuit Apostolos divulgare suam ***messianitatem*** (Mt 16, 20), nihil dicens de sua divinitate; c) quia pro *Iudaeis* Messias et Filius Dei erant synonyma.

Resp. ad a) Pauci codices graeci addunt ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ in Mc 8, 29 et L 9, 20; sed haec additio est spuria. At ex hac omissione nihil sequitur

---

[6]Lepin p. 323; Grandmaison II p. 335-8; Lagrange, Mt p. 320-1.—Bene autem Felder (Christ etc. I p. 285) illustrat *methodum* rationalistarum. Loisy v.g. olim putaverat Petrum nihil confiteri nisi messianitatem Iesu; hinc concessit dictum esse historicum. Postea clare vidit Petrum confiteri divinitatem Iesu; exinde negavit dictum esse historicum.

[7]DieckmannR p. 492-3; Rigaux, in BN p. 1128-1130.

contra historicitatem dicti in Mt.[8] ad b) Ratio potuit esse quia tantum proclamatio *Messiae* erat periculosa.—ad c) *Dist.* 'filius Dei' erat titulus messianicus communiter receptus *N.* aliter *Tr.* Dein Petrus non tantum dixit 'filius Dei', sed "filius Dei vivi".

C. Parabola Vinitorum

Lege Mt 21, 33-46 (cf. Mc 12, 1-12; L 20, 9-19)

1. *Genuinitas.* Textus parabolae est critice certus quoad substantiam.[9]

2. *Historicitas.* Parabola haec vere prolata est a Iesu. Nam a) nihil solidum contra eius historicitatem profertur ab adversariis (Jülicher, Loisy), et plurimi critici, etiam rationalistae, concedunt eam esse historicam. b) Substantialiter eadem narratur a tribus testibus aliquomodo independentibus. c) Uti recte monuit F. C. Burkitt, si parabola esset ficta a primis Christianis, certe contineret aliquam allusionem ad resurrectionem filii. d) Tempore quo parabola haec prolata est, culpa pertinuit ad solos duces Judaeorum; postea Petrus accusat totum populum mortis Iesu (Act 2, 23; 3, 15).[10]

3. *Sensus.* Hanc parabolam Iesus proposuit principibus sacerdotum et pharisaeis brevi ante suam passionem. Eius sensus autem eis obvius erat: Vinea est populus Israel, quae metaphora saepe adhibetur in V.T. (v.g. Is 5, 1-7). Paterfamilias est Yahwe. Agricolae sunt "sacerdotes", quorum curae traditus erat populus Israel. Servi sunt prophetae missi ad Judaeos in V.T. Is autem quem Yahwe mittit "novissime", non est merus homo, sed Filius Dei naturalis ac proinde *heres simpliciter.* Porro, ex eis quae statim sequuntur (Mt 21, 42-6; Mc 12, 10-12; L 20, 17-19), patet Iesum locutum esse de *seipso* et de sua relatione ad duces populi.[11]

D. Coram Synedrio

I. *Nocte*

"Et princeps sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum vivum ut dicas nobis si tu es Christus, Filius Dei (Mc: Christus, Filius Dei

---

[8]Cur dictum omissum sit in Mc et L, disputant exegetae: quia 'Christus' et 'Filius Dei' iam promiscue usurpabantur a Christianis tempore quo scripserunt Marcus et Lucas (van Laak), vel quia 'Christus' significabat Messiam propheticum, qui est etiam Deus (Knabenbauer) etc.

[9]Fonck, Parables p. 337, 348; Prat, J.-Chr. II p. 225.

[10]Lepin p. 348-355; Lebreton, Life etc. II p. 167-8.

[11]Fonck, Parables p. 335-360.

benedicti). Dicit illi Iesus: Tu dixisti (Mc: Ego sum). Verumtamen dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: *Blasphemavit.* Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis *blasphemiam.* Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: *Reus est mortis*" (Mt 26, 63-66; cf. Mc 14, 61-4; L 22, 54; J 18, 24).

1. *Genuinitas* et *historicitas.* Mentione vix digna sunt ea quae contra hanc narrationem obiciuntur a Renan, Wellhausen, Loisy etc.[12]

2. *Sensus.* Iam antea synedrium cogitavit "ut interficerent Iesum" (J 11, 53; cf. Mt 26, 59; Mc 14, 55), sed voluerunt procedere legaliter. Accusationes hucusque prolatae a variis testibus non suffecerunt ut declararetur reus mortis (Mc 14, 59); Iesus ipse autem recusavit loqui (Mt 26, 63; Mc 14, 61). Hinc Caiphas, "pontifex anni illius" (J 18, 13), solemniter proposuit *quaestionem decisivam*: "Si tu es Christus, Filius Dei" (ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ). Aut enim Iesus respondebit negative, et implicite negabit totam vitam suam publicam; aut respondebit affirmative, et reus erit blasphemiae et mortis; nam ex Lev 24, 10-23 "Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur".

Iesus respondit *affirmative.* Id patet ex Mc ("Ego sum"). Atque ne Judaei aliter intellegerent suum responsum, Iesus statim revocavit prophetiam Danielis, in qua Filius hominis inducitur ut "sedens a dextris virtutis Dei et veniens in nubibus caeli". Qua prophetia Iesus exprimere voluit gloriam suam divinam.

Post haec, sine ulla mora aut haesitatione, Iesus a toto synedrio declaratur reus *blasphemiae* ac proinde *mortis.*[13]

3. *Argumentum*

Si Iesus solemniter affirmavit coram synedrio se esse Filium Dei, ita ut ob id solum iudicaretur reus blasphemiae et mortis—Iesus affirmavit se esse Filium Dei naturalem.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

---

[12]Grandmaison II p. 349-352; Langan p. 222, 224-6.

[13]van Laak, Rep. p. 110-7; Knabenbauer, Mt II p. 480; Grandmaison II p. 172; Felder, Christ etc. I p. 297-306.

4. *Obiectiones*

a. Iesus in suo responso ("tu dixisti") ***respuit iurisdictionem*** synedrii, innuens se nolle dicere quidquam. Ita Merx.

R. *N.* Ubi enim in tali responsione esset blasphemia, cuius Iesus statim accusatur.[14]

b. Si Caiphas et synedrium putassent Iesum se dixisse Filium Dei naturalem, potius de eius *sanitate mentali* quam de eius culpa egissent.

R. *Dist.* si Iesus hoc dixisset subito et sine ulla praeparatione *Tr.* si Iesus hoc dixit postquam omnes diu audierunt eius doctrinam et viderunt eius opera *N.*

Urg. Caiphas et synedrium per "Filius Dei" intellexerunt merum *Messiam-hominem;* nam Judaei non putabant Messiam promissum in V.T. fore Deum. Ita Weiss, Schegg, Chase etc.

R. *N.ass.* Cur enim statim Iesum declaraverunt reum blasphemiae?[15]

Urg. Vox *βλασφημέω* saepe habet sensum *mitiorem;* v.g. in 1 Cor 10, 30; Tit 3, 2.

R. *Tr.* Non arguimus ex nuda voce, sed ex contextu, i.e. ex adiunctis in quibus vox adhibetur.

Urg. Etiamsi Iesus se mere dixisset Messiam-hominem, iudicatus esset reus blasphemiae et mortis; nam etiam ***pseudo-propheta*** reus erat mortis (ex Deut 13, 2-6; 18, 20).

R. a) *Dist.ass.* mortis *C.* blasphemiae *N.* b) Judaei exspectabant Messiam, qui aliquando venturus erat; cur ergo sine examine iudicarent reum mortis eum qui se diceret talem? Cf. quae Nicodemus dixerat in synedrio (J 7, 51).

c. Wellhausen: Iesus non est damnatus quia se dixerat Filium Dei, sed ob blasphemiam in *templum.* Id quod patet a) ex testibus: "Hic dixit: Possum destruere templum Dei et post triduum reaedificare illud" (Mt 26, 61); b) ex ludibriis Judaeorum dum Iesus pendebat in cruce: "Vah, qui destruis templum Dei" (Mc 15, 29); c) ex eo quod Stephanus lapidatus est ob eandem accusationem (Act 6, 13-14).

R. *N.ass.* ad a) Ipsum synedrium vidit hanc accusationem non sufficere ut possent imponere sententiam capitalem (cf. Mc 14, 59). ad b) Haec ludibria nihil probant quoad veram causam mortis. ad c) Stephanus lapidatus est quia confessus erat divinitatem Iesu (Act 7, 56).

d. ***Idem*** erat crimen ob quod Iesus damnatus est a synedrio et a Pilato. Atqui a Pilato Iesus damnatus est non ob blasphemiam, sed ob ***crimen politicum;*** id quod patet ex titulo crucis "Rex Judaeorum".

R. *N.M.* De facto Judaei continenter mutaverunt suas accusationes coram Pilato. Primo Iesum accusaverunt seditionis ("hunc invenimus . . . dicentem se Christum regem esse"); instituto autem examine, Pilatus eum declaravit innocentem criminis politici ("nihil invenio causae in hoc homine" L 23, 4; cf. L 23, 14-15; J 18, 38; 19, 6). Judaei urgent: "Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit" (J 19, 7); novo examine instituto, "quaerebat Pilatus dimittere eum" (J 19, 12). Tandem Judaei clamant: "Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris" (J 19, 12), i.e. Pilato minantur amissionem amicitiae Caesaris.

---

[14]Willam (p. 420-1) putat responsionem Iesu aequivaluisse iuramento.

[15]Non quidem necesse est dicere eos plene intellexisse hunc titulum; sed non poterant ignorare id quod omnes sciebant, scil. Iesum se fecisse aequalem Yahwe.

II. *Proximo mane*

Lege L 22, 66-71

Quamvis quidam contradicant,[16] certum esse videtur agi hic de *alio iudicio* quod habitum est *proximo mane*. Etenim a) quamvis processus iudicialis sit aliquomodo similis ei qui describitur in Mt et Mc, tamen sunt divergentiae notabiles. b) Mt 27, 1 et Mc 15, 1 vix intellegi possunt nisi de hoc secundo iudicio. c) Sententia capitalis non potuit ferri nocte. "When a sentence of acquittal was pronounced it might be given at once, but a night had to elapse before a verdict of guilty was given" (Jackson-Lake, Beg. of Chr. I p. 34).[17]

Synedrium autem clare *distinxit* duplicem quaestionem: "Si tu es Christus, dic nobis" (v. 67), et "Tu ergo es Filius Dei" (v. 70). Secundae quaestioni Iesus clare respondit: "Vos dicitis quia ego sum" (v. 70). Post hanc confessionem Judaei eum duxerunt ad Pilatum.

E. Dicta Iesu in J

Nemo nisi is qui se habet Filium Dei sensu proprio, de se dicere potest haec: "Quaecunque ille (Pater) fecerit, haec et Filius similiter facit" (5, 19); "sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso" (5, 26).

Compara "Ego et Pater unum sumus" (J 10, 30) et "quia dixi: Filius Dei sum" (J 10, 36). In priore dicto implicite continebatur alterum, sed Judaei ad id non attenderant; unde Iesus locutus est explicite. Iesus igitur se dixit unum cum Patre, non quatenus sit ipse Pater, sed quatenus est Filius.

Confirmatur:

a. *Ex fide Ecclesiae infantis*

Lucas narrat *Paulum,* statim post conversionem, praedicasse Damasci "in synagogis Iesum, quoniam hic est Filius Dei" (Act 9, 20), et applicasse ad eum verba psalmi: "Filius meus es tu, ego hodie genui te" (Act 13, 33); atqui in hoc textu psalmi 'Filius' est 'Filius naturalis' (infra p. 343). Neque dici potest Lucam habuisse terminos "filius Dei" et "Christus" ut synonymos (uti

[16]Lebreton, Life etc. II p. 345; Prat, J.-Chr. II p. 350, 358, 359-360; Dausch p. 346.

[17]Simón I p. 570; Knabenbauer, L p. 603; Lusseau-Collomb p. 821; Chandler, The Trial of Jesus I p. 269.

argumentatur Cadbury, Beg. of Chr. V p. 363). Patet ex contextu et ex L 22, 67 et 22, 10, ubi Lucas clare distinguit.[18]

b. *Lege Mt 22, 41-6*

Quaestio a Iesu proposita non erat num Messias oriundus esset ex David (uti quidam rationalistae putant) ; origo davidica Messiae enim admittebatur a pharisaeis, neque negabatur a Iesu (cf. supra p. 217). Sed a) Iesus ostendit pharisaeis filiationem ex David non posse esse fundamentum ultimum dignitatis messianicae; nam David vocat eum 'Dominum'; immo b) probabiliter Iesus plus probavit, scil. Messiam esse Filium Dei naturalem; secus enim argumentatio fuisset inepta.[19]

c. Judaei praetereuntes crucem dixerunt: "Si Filius Dei es, descende de cruce" (Mt 27, 40). Similiter "principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus" dixerunt: "Confidit in Deo; liberet nunc si vult eum; dixit enim quia Filius Dei sum" (Mt 27, 43). Tandem, mortuo Iesu, centurio exclamavit: "Vere hic homo Filius Dei erat" (Mc 15, 39). Dubium vix est quin titulo "Filius Dei" hi intellexerint Filium Dei naturalem. Id quod evidenter supponit Iesum se talem dixisse *coram synedrio*.[20]

d. *παῖς θεοῦ*

Ut talis Iesus bis praedicatur a *Petro* (Act 3, 13; 3, 26). Hic titulus videtur esse sumptus ex Isaia, ubi Messias describitur ut *ébed Yahwe,* quod LXX verterant per *παῖς θεοῦ.* Nam contra ideam Messiae exclusive gloriosi, quam fovebant Judaei, Petrus probare debuit Iesum fuisse Messiam, quamvis *passus* ac *crucifixus* sit. Unde non arguimus ex nudo titulo neque ex usu eius quem Petrus fecit in hoc sermone. At *παῖς θεοῦ* mansit in *Ecclesia primitiva* ut titulus reservatus soli Iesu, et potest significare Filium Dei.[21]

Cor. Ergo divinitati Iesu obstare non possunt alia dicta Iesu in J quae *in meris creaturis* indicarent aliquam dependentiam vel

---

[18]Dubium est num Act 8, 37, ubi eunuchus confitetur Iesum esse Filium Dei, sit genuinum. Cf. Jacquier p. 276-7; Boudou p. 181.

[19]Lepin p. 345-8; Murillo p. 552-3; Knabenbauer, Mt II p. 276-9; van Laak, Rep. p. 108-110; Lagrange, Gospel II p. 148-9; Lusseau-Collomb p. 730-1; Dausch p. 295.

[20]van Laak, Rep. p. 116-7.

[21]Boudou p. 71-2; Lepin p. 383; Felder, Christ etc. I p. 328. Apostoli et discipuli non sunt *παῖδες θεοῦ*, sed *δοῦλοι θεοῦ* vel *δοῦλοι Χριστοῦ*. In versionibus Aquilae, Theodotionis, Symmachi, terminus Isaiae ébed Yahwe semper est *δοῦλος θεοῦ*; quae versio debetur tendentiae anti-christianae, scil. ne Christiani uti possent hoc termino ad probandam filiationem divinam Iesu.

inferioritatem; v.g. Pater Filio "demonstrat" omnia (J 5, 20), "dedit" omne iudicium (J 5, 22), "misit" eum (J 5, 23); "non possum ego a me facere quidquam" (J 5, 30); "Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me" (J 11, 41) etc. Etenim a) *Ioannes* non putavit ea obstare divinitati Iesu; b) si Iesus est vere Filius Dei, hae expressiones humano modo edicunt eius relationem ad Patrem et sumendae sunt *analoge* ad homines.

Schol. *Pater et Filius*

1. Sunt dicta Iesu quae si *separatim* considerantur, vix plus innuunt quam specialem eius relationem ad Patrem. Etenim:

a. Ubi Iesus loquitur de Patre caelesti, semper *distinguit* inter se et ceteros homines. Saepe enim dicit "Pater meus" et "Pater vester", numquam "Pater noster"—nisi ubi hanc invocationem ponit in ore discipulorum: "Sic vos orabitis: Pater noster etc." (Mt 6, 9). Appellationem "Pater noster" Iesus etiam vitat ubi exprimere vult intimam unionem inter se et discipulos suos; v.g. Mt 26, 29 "Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum illud bibam *vobiscum* novum in regno Patris *mei*"; Mt 25, 34 "Venite, benedicti Patris *mei,* possidete paratum *vobis* regnum"; L 24, 49 "Et ego mitto promissum Patris *mei* in *vos*". Id quod iam notaverat S.Augustinus: "Non tamen sicut Christi Pater, ita et noster Pater; numquam enim Christus nos ita coniunxit ut nullam distinctionem faceret inter nos et se . . . Numquam auditum est de ore Domini . . . cum ad discipulos loqueretur, dixisse illum de Deo summo Patre suo "Pater noster", sed aut "Pater meus " dixit aut "Pater vester".

Obicit Schmidt: Iesus semper dixit "Pater" (abba); distinctio inter "meus" et "vester" debetur *evangelistis.*

R. *N.* a) Dalman, peritus in lingua aramaica, id negat. b) Sine hac distinctione, quaedam dicta Iesu caruissent sensu; v.g. "ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum" (J 20, 17). c) Cur 4 evangelistae, quamvis aliquomodo independentes inter se, consentiunt in hac distinctione?[22]

b. Iesus vocat Deum Patrem suum *unicum,* exclusis parentibus terrenis. Nam Josepho et Mariae, a quibus puer quaerebatur in templo, dicit: "Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse" (L 2, 49)?

c. Iesus se ita vocat Filium ut qua Filius *non habeat socium.* Ipse est Filius simpliciter; alii sunt filii Patris condicionate (v.g. si

---

[22]Lepin p. 338.

amabunt inimicos Mt 5, 44) vel debent curare ut sint filii (Mt 5, 45) etc.

2. Post thesim probatam autem iure sic arguimus: *Quandocunque* Iesus se dixit Filium, se dicere voluit Filium Dei naturalem. Dicta magis determinata enim determinant minus determinata; atqui in multis dictis Iesus clare enuntiavit filiationem suam naturalem; ergo (per circulum legitimum) Iesus eandem intendit in dictis quae ex se sunt minus determinata.[23]

3. Alia est quaestio: Quid *alii* in evangeliis, qui etiam vocaverunt Iesum Filium Dei, hoc titulo intellexerunt? Neque una est responsio:

a. *Deus* sane intellexit filiationem Dei naturalem (Mt 3, 17; cf. Mc 1, 11; L 3, 22; Mt 17, 5; cf. Mc 9, 7; L 9, 35).—Neque dubium est quin *Ioannes Bapt.* (J 1, 34) et *centurio* sub cruce (Mt 27, 54; cf. Mc 15, 39) idem intellexerint.—Idem probabiliter dicendum est de *discipulis in navi* (Mt 14, 33; cf. D 2154), de *Martha* (J 11, 27), de *Judaeis prope crucem* (cf. supra p. 375).

b. *Judaei* autem generatim hoc titulo vix plus intellexerunt quam messianitatem; id quod valet etiam de *Nathanael* (J 1, 49).[24]

c. Disputatur num *daemones* hoc titulo intellexerint Filium Dei sensu proprio; v.g. Mt 8, 29; L 4, 41.[25]

---

[23]Idem patet dogmatice (sensus plenior).

[24]In J 6, 69 Petrus confitetur "tu es Christus, Filius Dei". Sed textus graecus habet *σὺ εἶ ὁ ἅγιος* vel *ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ*.

[25]Suarez, De Mysteriis Christi, Disp. 44 s. 3; Lercher I p. 311-2; Smit p. 373-4; Prat, J.-Chr. II p. 140, 146-7; Knabenbauer, Mt II p. 18; Mc p. 52-4; J p. 121, 332, 370; Ruffini p. 350-1; Tillmann p. 76, 193-4; Bonsirven I p. 366-8.

ARTICULUS 2

VERITAS TESTIMONII IESU

Agitur de *veritate logica* testimonii quod Iesus tulit de seipso.

Postquam enim probavimus Iesum se clare dixisse legatum divinum, Messiam, Deum et Filium Dei—nunc quaeritur quid dicendum sit de hoc testimonio. Erant enim qui sibi falso eadem tribuerunt, et Iesus praedixit in decursu historiae orituros esse multos pseudo-prophetas.

Nobis qua Catholicis utique constat testimonium Iesu esse dignum fide absoluta. Quaeritur autem quomodo id probari possit negantibus vel dubitantibus, ita ut abstrahatur ab auctoritate Ecclesiae.

Varia sunt argumenta. Nos methodice seligimus ea quae pertinent ad ipsam *personam historicam Iesu,* prout haec nobis exhibetur in 4 nostris evangeliis. Atque afferemus *5 argumenta:*

a. Duo prima argumenta nituntur *auctoritate quasi humana Iesu.* Nam testimonium Iesu de seipso est de facto interno, cuius unicus testis immediatus erat ipse Iesus; veritas logica talis testimonii proxime pendet ex scientia et veracitate ipsius testis.

Atque primum argumentum procedit *ex absurdis* quae sequerentur quoad characterem Iesu si testimonium eius fuisset falsum. Secundum argumentum positive probat *scientiam* et *veracitatem* Iesu.

b. Dein adducemus *miracula physica* Iesu eiusque *vaticinia* iam impleta, ut ex eis inferamus Deum approbasse testimonium Iesu.

c. Speciale et fortissimum argumentum demum hauriemus ex eius gloriosa *resurrectione.*

Duo notanda:

a. Prima duo argumenta directe respiciunt testimonium quod Iesus tulit *de se suaque missione,* indirecte universam eius praedicationem. Tria alia argumenta directe respiciunt *praedicationem* Iesu, quae tamen primarie et implicite refert ad eius personam.

b. Primum et secundum argumentum sunt revera unum. Immo omnia 5 argumenta melius considerantur ut *partes unius argumenti;* sic enim apparet *miraculum in concreto,* i.e. persona Iesu cum variis adiunctis personalibus, historicis etc.

Unde parum refert num singulae theses sint certae. Dubium enim non est quin omnia argumenta simul gignant solidam certitudinem.

THESIS 18

Absurde dicitur Iesum de se suaque missione deceptum esse vel alios decipere voluisse.

Cf. DieckmannR p. 519-531; Dorsch I p. 590-8; Falcon p. 234-7, 241-3; FelderA I p. 168-170; idem, Christ etc. II p. 1-72; van Laak, Rep. p. 117-120; van Noort, Rev. p. 105-8; Pesch I n. 146-9; Wilmers, Lehrb. II p. 69-73.

Hac thesi ostendere volumus summe absurda sequi quoad *statum intellectualem et affectivum* Iesu si dicatur eius testimonium de se fuisse falsum. Argumentum, licet indirectum, est fortissimum et omnino cogens; participat autem imperfectionem argumenti "ex absurdis".[1]

Thesis est critice et historice *certa*.[2]

ADVERSARII

1. Judaei coaevi reiecerunt testimonium Iesu quia dixerunt eum foedus inisse cum *Beelzebub* (Mt 12, 24; Mc 3, 22; L 11, 15).

2. Rationalistae ultra-radicales non erubuerunt dicere Iesum fuisse *insanum*, eiusque dicta iudicanda esse iuxta principia psychiatriae. Ita Rasmussen, de Loosten, Binet-Sanglé.[3]

Generatim autem rationalistae non eo usque progrediuntur. Sed putant Iesum passum esse *hallucinationes* ("visiones" vel "ecstases" eas vocant); v.g. in baptismo, in tentationibus, in transfiguratione; vel Iesum habent *ingeniosum enthusiasten*, quatenus sibi falso persuaserit se esse Messiam eschatologicum et finem mundi proxime instare; hinc eum vocant "an ecstatic", "an extravagant enthusiast", "an exalté" etc. Ita etiam Jackson-Lake, Beg. of Chr. I p. 286.[4]

THESIS PROBATUR

Si Iesus alios decipere voluisset circa seipsum, fuisset *pessimus;* et si ipse errasset, fuisset *insanus*.

Atqui Iesus neque pessimus fuit neque insanus.

Ergo Iesus neque alios decipere voluit circa seipsum neque ipse erravit.

---

[1] Argumentum esset minus forte si testimonium Iesu restringeretur ad legationem divinam et messianitatem.

[2] DieckmannR p. 538.

[3] DieckmannR p. 346; Goguel p. 55; Felder, Christ etc. II p. 19-23.

[4] Felder, Christ etc. II p. 50-5; Smit p. 35-7.

Prob.M.

Qui sibi falso tribuit *dignitates maximas,* immo *divinitatem,* et simul ab omnibus postulat *fidem firmissimam*—is aut pessimus est aut insanus. Id quod valet a fortiori si eadem asserit non solum privatim, sed *publice* et *solemniter* coram iudicibus legitimis, atque in hac assertione *perseverat usque ad mortem.*

Atqui Iesus a) sibi tribuit dignitates maximas, immo divinitatem, b) postulavit ut omnes acciperent eius asserta sub poena aeternae damnationis. c) Haec asseruit non secreto, sed publice et coram synedrio; d) in hac assertione permansit usque ad mortem.

Ergo si testimonium Iesu de seipso erat falsum, aut fuit pessimus aut insanus.

Dices: Res utique sic se habent obiective, sed non necessario *subiective.*

R. Res sic se habent etiam subiective, praesertim pro Iesu. Nam a) malitia talis assertionis falsae vix fugere potest hominem rudem, certe non Iesum, qui non tantum excellebat sapientia, sed etiam, utpote bonus Judaeus, ignorare non potuit in lege Moysis statutam esse mortem falso prophetae et blasphemo. b) Irrationabilitas autem talis assertionis falsae est nimis evidens. Iesus enim eam tenuisset sine ulla ratione, immo contra experientiam propriam. Hinc eius testimonium fuisset mendacium perpetuum.

Prob.min.

a. Iesus *non fuit pessimus* aut fraudulentus. Etenim a) ipsi rationalistae concedunt eum fuisse virum eximiae sanctitatis. b) Amici et inimici non semel testati sunt eius innocentiam. c) Si Iesus mentitus esset, constanter contradixisset doctrinae suae de Deo et homine. d) Nullum motivum assignari potest fraudis tam insanae; ex una parte enim Iesus respuit honores, divitias, voluptates; ex altera parte, si voluisset decipere, facilius ei fuisset se dicere Messiam popularem.

b. Iesus *non fuit insanus* aut abnormalis. Etenim a) plurimi rationalistae concedunt eum fuisse eximiae sapientiae, atque eum vocant "man of genius", "sage of Nazareth"; Spinoza eum vocavit "summum philosophum", et Judaei recentes (v.g. H. Graetz, C. G. Montefiore, J. Klausner) eum extollunt ut prophetam, lumen gentium, magnum reformatorem morum etc. b) Stultitia et insania incompatibiles sunt cum vita perfecte sancta. c) Si Iesus fuisset insanus, amici eum non prosecuti essent tanto amore, neque inimici tanto odio.

Speciatim Iesus *non est hallucinatus.* Si enim hallucinatus esset, fuisset hallucinator *habitualis;* nam obiectum hallucinationis fuisset

eius messianitas et divinitas, cuius conscientiam manifestavit per annos. Atqui Iesus non fuit hallucinator habitualis; nam a) id generatim conceditur a rationalistis; b) hallucinator habitualis facile ut talis agnoscitur.[5]

Cor. Ergo iure statuimus hoc *trilemma*: Aut Iesus revera fuit is quem se dixit (inclusa divinitate)—aut fuit vir pessimus—aut insanus. Quod trilemma ne *moderati* quidem rationalistae (v.g. Renan, Harnack) effugiunt; nam Iesus sibi constanter tribuit divinitatem et postulavit fidem absolutam.[6]

Obiectiones

1. *Cognati* Iesu melius iudicare poterant de statu mentis eius quam nos. Atqui hi iudicaverunt eum insanire: "Quum audissent sui, exierunt tenere eum; dicebant enim quoniam *in furorem versus est*" (Mc 3, 21).[7]

R. 1 (apol.) Locus hic est valde obscurus. Non enim clarum est a) qui fuerint 'sui' (οἱ παρ' αὐτοῦ), b) quid sibi velit 'tenere' (κρατῆσαι), c) qui fuerint ii qui 'dicebant': utrum iidem 'sui' an alii (v.g. vulgus), d) quid sit 'in furorem versus est' (ἐξέστη). Atqui ex loco tam *obscuro* nihil certi erui potest.

R. 2 (dogm.) Non una est explicatio: Amici Iesu ('sui') *praetenderunt* eum insanire (vel esse nimis fatigatum) ut possent eum eripere a turba; vel forte *turba* clamabat eum insanire, et ideo 'sui' voluerunt eum removere.[8]

Urg. Saltem *coaevi* Iesu iudicaverunt eum esse *possessum a daemone* et *insanire*. Id quod patet ex multis locis in J; v.g. "Daemonium habet et insanit; quid eum auditis?" (J 10, 20; cf. 7, 20; 8, 48; 8, 52).

R. 1 (apol.) Haec accusatio a) profertur ab adversariis Iesu (qui in J vocantur οἱ Ἰουδαῖοι), b) negatur ab aliis (cf. J 7, 25-27; 7, 40-41; 10, 21), c) praeclare refutatur ab ipso Iesu (J 7, 21-24; 8, 49-51; Mt 12, 25-30).

Nota. 'Daemonium habere' vel 'insanire' sumi possunt sensu *latiore* (sicut apud nos 'you are crazy'). Quavis aetate insani dicti sunt ii quorum actiones vel principia non intellegebantur a vulgo, etsi essent optimi (v.g. S. Franciscus Assisi). Sunt tamen qui dicant "Judaeos" intendisse veram possessionem diabolicam; v.g. Felder, Christ etc. II p. 25; Zorell s.v. δαίμων; Smit p. 184.

R. 2 (dogm.) Evangelistae evidenter insinuant has accusationes, utpote ortas ex mala voluntate, nihil valere.

2. *Pati hallucinationes*, est abnormale. Atqui Iesus passus est hallucina-

---

[5]Felder, Christ etc. II p. 49-60; Dorsch I p. 593-6; Fröbes, Exp. Psych. I p. 230-2; II p. 554-5.

[6]Lercher I p. 176; Pesch I n. 147-8; Felder, Christ etc. II p. 71, 219-220.

[7]Ita etiam Jackson-Lake, Beg. of Chr. I p. 288.

[8]Felder, Christ etc. II p. 23-6; DieckmannR p. 532-5; Knabenbauer, Mc p. 106-8; Dorsch I p. 596-8; Lebreton, Life etc. I p. 227-232; Lagrange, Mc p. 69-7; idem, Gospel I p. 174; Prat, J.-Chr. I p. 311-3. Ex hoc loco rationalistae probare volunt *conceptum virginalem* Iesu esse mythum. Nam si eius mater ('sui') existimavit eum insanire, certe non credidit eum esse Messiam; sed si Iesus non fuit Messias, neque conceptus eius debuit esse praeternaturalis. Cf. Machen p. 245-8.

tiones; v.g. in suo baptismo (L 3, 21), in suis tentationibus (L 4, 1), in transfiguratione (L 9, 28).

R. *C.M. N.min.* In genere, hi eventus pertinent ad messianitatem Iesu; unde fuissent manifestationes hallucinationis *habitualis;* atqui Iesus non fuit hallucinator habitualis.

Quoad singula: a) Hallucinationes ab eo solo percipiuntur qui eas patitur; atqui ea quae facta sunt in baptismo Iesu et in transfiguratione, etiam *ab aliis* percepta sunt. b) Tentationes autem non fuisse meras hallucinationes, constat ex Iesu scientia et veracitate (cf. thes. 19).

3. *Laborare ideis fixis,* est abnormale et signum insaniae. Atqui persuasio Iesu de sua messianitate erat idea fixa.

R. De ideis fixis idem fere valet ac de hallucinationibus. Et multi rationalistae hanc theoriam reiciunt ut absurdam; immo eius patroni alibi eam negant.[9]

4. *Carere sensu filiali,* est abnormale. Atqui Iesus eo caruit. Nam a) puer Iesus *reprehendit* suos parentes: "Quid est quod me quaerebatis?" (L 2, 49) b) Iesus *aspere* allocutus est matrem: "Quid mihi et tibi est, mulier?" (J 2, 4); immo negavit eam esse beatam (L 11, 27-28). c) Iesus *ignoravit* matrem et fratres: "Quae est mater mea, et fratres mei?" (Mc 3, 33) d) Iesus *vetuit* iuvenem sepelire patrem mortuum: "Dimitte mortuos sepelire mortuos suos" (Mt 8, 22; cf. L 9, 62). e) Iesus inculcavit *odium parentum*: "Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem etc." (L 14, 26).

R. *C.M. N.min.* vel *Dist.* quatenus sensus filialis pertinet ad perfectionem humanae naturae *N.* quatenus est imperfectio *Tr.*

Quoad singula: ad a) Iesus ibi non reprehendit parentes, sed eis manifestavit munus suum messianicum.—ad b) J 2, 4 dictum est aramaice; atqui vox aramaica pro 'mulier' potius honorifica est, et phrasis 'quid mihi et tibi' videtur fuisse idiomatica. In L 11, 27-8 autem Iesus non negat singulare privilegium matris suae (id quod est nimis evidens), sed effert aliam beatitudinem quam omnes obtinere possunt.—ad c) Iesus mere ostendit munus praedicationis evangelicae non esse dimittendum ut habeatur colloquium cum cognatis.—ad d) In Mt 8, 21-22 et L 9, 62 Iesus evidenter docet vocationem divinam anteponendam esse cuilibet affectui aut operi etiam pio. (Quamvis haec duo dicta videantur severa, ea esse nimis severa, negabit quicunque habet verum conceptum Dei et muneris apostolici).—ad e) Uti apparet ex loco parallelo (Mt 10, 37), 'odisse' hic hyperbolice vel idiomatice dicitur pro 'minus amare'. Iesus ergo vult ut affectum erga quoslibet homines postponamus amori suo.[10]

5. *Carere sensu sexuali,* est abnormale. Atqui Iesus eo caruit. Nam a) ipse matrimonium non iniit; b) docuit sexum auferri in resurrectione: "In resurrectione neque nubent neque nubentur" (Mt 22, 30); c) laudavit castrationem voluntariam: "sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum" (Mt 19, 12).

R. Eadem responsio generalis ac sub 4.

Quoad singula: ad a) Num omnes qui non ineunt matrimonium, dicendi sunt abnormales? Munus messianicum Iesu quidem incompossibile erat

---

[9] Felder, Christ etc. II p. 67-71; Smit p. 253-4; Fröbes l.c. II p. 627, 642-4.

[10] Knabenbauer, Mt I p. 566-7, 380-2; L p. 369-70; Dausch p. 150-1, 202, 445, 515; Simón I p. 345; Lagrange, Mc p. 77; L p. 97; Tillmann p. 79-81; Vaccari, in VD 1938 p. 308-312.

cum vinculo matrimoniali, sed Iesus restituit matrimonio suam puritatem primitivam (Mt 19, 3-10).—ad b) *N.* Iesus modo humano describit novum modum exsistendi et vivendi post resurrectionem.—ad c) Iesus locutus est *metaphorice.*

Urg. In Mt 19, 12 Iesus locutus est de tribus modis castrationis. Atqui duo priores sumendi sunt *proprie.* Ergo etiam tertius.

R. *C.M. C.min. N.cons.* Secus ubi esset mysterium quod "non omnes capiunt"? Neque putandum est Iesum voluisse contradicere V.T. quod excommunicat virum castratum (Deut 23, 1).[11]

---

[11]Knabenbauer, Mt II p. 153-5, 264-5; Dausch p. 263-4; Lagrange, Mt p. 371-2; Felder, Christ etc. II p. 150-3; Kösters, Unser Chr. p. 77-80.

Thesis 19

Tanta erat sapientia et sanctitas Iesu ut de se suaque missione neque decipi neque alios decipere potuerit.

Cf. DieckmannR p. 553-583; Dorsch I p. 580-590; Duplessy II p. 217-264; Falcon p. 233-243; FelderA I p. 167-179; idem, Christ etc. II p. 73-220; Garrigou-Lagrange p. 447-456, 491-500; Goebel p. 87-8, 158-170; Hervé I p. 184-191; Lahousse II p. 1-20; Langan p. 228-239; Lercher I p. 174-185; Muncunill I p. 337-353; van Noort, Rev. p. 105-113; Ottiger I p. 629-640; Tanquerey I p. 272-8; Wilmers, Lehrb. II p. 104-131.

In hac thesi positive probamus *factum internum* Iesu, scil. eius "conscientiam messianicam et divinam", quam manifestavit in suo testimonio. Quae, quamvis praeternaturalis, constat si constat eius *scientia* et *veracitas* hac in re.

Neque tamen directe arguimus ex his qualitatibus, sed ex perfectionibus *generalioribus,* scil. ex eius sapientia et sanctitate—sicut Iesus ipse probavit suam veracitatem sanctitate sua generali, scil. immunitate a peccato (J 8, 44-6).

Thesis est critice et historice *certa.*[1]

Adversarii

1. Ii qui explicite negant *sapientiam* Iesu:

a. Iesum in aliquibus rebus *errasse,* est opinio hodie communis inter rationalistas. Omnino verum est quod dicit Cadoux (p. 215): "Belief in Jesus' infallibility and omniscience is frankly given up by a large number of leading Protestant scholars". Atque H. Rashdall dicit: "Modern research has revealed that Jesus shared some of the ideas of His countrymen about matters of science and history which the progress of knowledge has shown to be mistaken" (Jesus Human and Divine p. 33).

Tria sunt praecipue in quibus Iesus dicitur errasse: a) Harnack et schola eschatologica putant Iesum deceptum fuisse circa *suam messianitatem* et *instantiam parousiae* (cf. supra p. 223). b) J. Weiss dixit Iesum participasse ideas falsas Judaeorum circa *pos-*

[1] DieckmannR p. 538.—Adfuisse in Iesu sapientiam et sanctitatem *divinam,* est de fide. Qualis autem fuerit sapientia et sanctitas *humanitatis* Iesu, cf. Pesch IV n. 241-312.

sessionem daemoniacam. c) Exegetae V.T. negant *Ps 109* habere David auctorem—id quod tamen Iesus asseruit.

Speciatim quoad modernistas, cf. D 2032-4.

b. Semler, Eichhorn, Schleiermacher non quidem dixerunt Iesum errasse, sed *se accommodasse erroribus* Judaeorum, praesertim quoad possessionem daemoniacam eiusque sanationem. Scil. dixerunt eum docuisse ea quae consentiebant eorum erroribus, licet ipse bene sciret ea esse falsa.[2]

c. Alii dicunt Iesum proposuisse *doctrinas malas* vel saltem minus rectas; v.g. eum docuisse odium parentum.

d. Multi hodie negant *originalitatem* doctrinae Iesu. Et quidem a) schola "religionis comparatae" putat Iesum totam suam doctrinam hausisse ex religionibus orientalibus vel a philosophis graecis (cf. supra p. 148). b) E contra, Judaei quidam hodierni dicunt Iesum eam hausisse a rabbinis coaevis, vel saltem eam vix differre a V.T. Sic dixit Rabbi Geiger (1864): "Jesus was a pharisee, who walked in the footsteps of Hillel, and did not express a single new thought". Klausner: "Without exception, Jesus is wholly explainable by the scriptural and Pharisaic Judaism of his time" (Jesus of Naz. p. 363). Similiter Montefiore, The Syn. Gospels I p. 305-6. c) Alii dicunt Iesum omnia hausisse ab Essenis.

2. Ii qui dicunt Iesum interdum *male egisse* (v.g. cum maledixit fico) vel sibi conscium fuisse *peccati* (v.g. in baptismo).—Bertrand Russell putat Iesum *superari* sanctitate a Buddha, Socrate etc. (cf. C. Noel, Life of Jesus p. xvii-xviii).

Thesis probatur

Argumentum generale

Qui gaudet sapientia et sanctitate a) eximia, b) superhumana, c) divina—neque decipi neque alios decipere potest in re gravissima sibi et toti generi humano.

Atqui Iesu sapientia et sanctitas erat a) eximia, b) superhumana, c) divina, atque eius testimonium de se suaque missione erat res gravissima sibi et toti generi humano.

Ergo Iesus neque decipi neque alios decipere poterat quoad se suamque missionem.

---

[2]Cornely, Introd. I p. 746-7; Lamy, Introd. I p. 252-4; Smit p. 4, 16, 38-40; 184-8, 191-6.

Ad M. Maior est evidens. Plura tamen notanda:

a. Distingui possunt 3 gradus sapientiae et sanctitatis: a) *eximia,* i.e. extraordinaria, incomparabilis, b) *superhumana,* i.e. ultra vires humanas, c) *divina,* i.e. soli Deo propria.

b. Ex primo gradu sequitur impossibilitas *psychologica* erroris et mendacii; ex secundo et tertio gradu sequitur impossibilitas *metaphysica;* Deus ipse enim esset testis erroris vel mendacii.

c. Nihil dicimus de *origine* seu causa sapientiae et sanctitatis Iesu. De hoc agit Dogmatica.

d. Deceptio sumenda est *in concreto,* qualis describitur p. 255.

Prob.min.

Imprimis agi de re *gravissima,* patet ex eo quod Iesus se omnibus proposuit ut Deum et centrum totius religionis. Sed nunc probanda est prior pars minoris. Et quidem a) adfuisse in Iesu *primum* gradum, est certum, atque sufficit ad thesim; b) adfuisse *secundum* gradum, etiam dici potest certum, saltem quoad sanctitatem; c) adfuisse *tertium* gradum, est probabile.

A. Sapientia Iesu

Nota. Multi auctores hic inserunt brevem *synopsim doctrinae Iesu.* Id quod methodice minus placet. Nam a) distinguendae essent res naturaliter cognoscibiles a mysteriis; b) defendenda esset nostra synopsis: positive, probando eam esse bonum compendium doctrinae Iesu; negative, ostendendo syntheses Protestantium vel rationalistarum non esse bonas (v.g. contra Harnack, qui resumit doctrinam Iesu in 3 thesibus: Paternitas divina, regnum Dei internum, lex caritatis).

Argumentum nostrum igitur non nititur in examine ipsius doctrinae Iesu, sed *adiunctorum* eius quasi externorum.[3]

I. Facta historica

1. *Absentia erroris*[4]

Quamvis Iesus diu et multa docuerit, nemo hucusque probavit quidquam ex his esse evidenter falsum aut moraliter malum; ne res mysteriosae quidem (v.g. ego et Pater unum sumus) ostendi potuerunt esse contra rationem. Speciatim, quamvis Iesus se certo habuerit Messiam a Judaeis exspectatum, prorsus alienus fuit ab

---

[3]Quodsi talem synopsim ad alium finem desideres, eam habes apud DieckmannR p. 560-2; Dorsch I p. 700-3; FelderA I p. 174-9; idem, Christ etc. II p. 78-112; Garrigou-Lagrange p. 467-487; Hervé I p. 265-272; Langan p. 233-6; Müller p. 371-391; Ottiger I p. 608-620; Wilmers, Lehrb. II p. 115-127.

[4]Tantum probamus Iesum de facto non erravisse; eum non potuisse errare, probandum est dogmatice.

ideis falsis quae tunc temporis praeoccupabant mentes fere omnium Judaeorum, etiam sacerdotum et scribarum.

E contra, plurima ex dictis Iesu ita approbantur a sensu communi ut iam abierint in *proverbia;* v.g. "nemo potest duobus dominis servire" (Mt 6, 24); "non est opus valentibus medicus, sed male habentibus" (Mt 9, 12); "non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum" (Mt 10, 24); "ex abundantia cordis os loquitur" (Mt 12, 34); "caecus si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt" (Mt 15, 14) etc.[5]

Dices 1. Iesus in multis erravit. Nam a) putavit exsistere *angelos,* et aliquos morbos deberi *possessioni daemoniacae* (cf. Mt 18, 10; 26, 53); b) putavit finem mundi *proxime instare* (Mt 16, 28; 24, 29; 24, 34); c) putavit *morbum Lazari* non esse "ad mortem" (J 11, 4).

R. *N.ass.* ad a) cf. infra p. 279.—ad b) *N.* Cf. supra p. 223-5.—ad c) Uti constat ex contextu, Iesus hoc dixit sensu altiore, scil. "ut glorificetur Filius Dei per eam".

Urg. Iesus putavit *Ps 109* (110) habere David auctorem (Mt 22, 43-5). Atqui fere omnes critici hodierni id negant.

R. Ex contextu videtur esse certum Iesum non mere se accommodavisse traditioni Judaeorum, sed vere dixisse David auctorem psalmi (cf. D 2133). Sed a) cur critici hodierni non possunt errare? b) Plurima et optima sunt argumenta quibus probatur David esse auctorem huius psalmi.[6]

Urg. Iesus dixit Ioannem Bapt. esse *Eliam* "qui venturus est" (Mt 11, 14), sed ipse Ioannes id negavit (J 1, 21).

R. 1 (apol.) Iesus et Ioannes poterant sumere "Elias" alio et alio sensu; neque enim locuti sunt in eodem contextu.

R. 2 (dogm.) Iesus sumpsit "Elias" sensu typico, Ioannes sensu "literali".[7]

Urg. Iesus dixit de *Juda*: "Bonum erat ei si natus non fuisset" (Mt 26, 24). Atqui, secundum philosophos, melius est esse quam non esse.

R. *N.supp.* Iesus hic non est locutus modo metaphysico, sed proverbiali vel vulgari.

Dices 2. Iesus sibi saepe *contradixit.* Nam a) se esse iudicem mundi affirmat (J 5, 22; 8, 15; 9, 39) et negat (J 3, 17; 12, 47); b) negat et affirmat testimonium suum esse verum (J 5, 31; 8, 14); c) in L 21, 16 dicit "morte afficient ex vobis"; sed in L 21, 18 addit: "Capillus de capite vestro non peribit"; d) Iesus dicit: "Qui non est mecum, contra me est" (Mt 12, 30; L 11, 23); sed etiam: "Qui non est adversum vos, pro vobis est" (Mc 9, 40; L 9, 50).

R. N.ass. ad a) Voces 'iudicare' et 'iudicium' (κρίνω, κρίμα, κρίσις) alium et alium sensum habere possunt (sicut 'criticize'). Iesus igitur affirmat se venisse ad κρίμα, i.e. ad discretionem hominum, scil. ut manifestentur boni et mali (sicut praedixerat Simeon L 2, 34); Iesus negat se venisse ad κρίσιν; potius venit ad salvandum mundum.—ad b) In J 5, 31 Iesus

[5] Fillion, Life etc. II p. 316; Reatz p. 116; Thibaut, in Nouvelle Revue Theol. 1937 p. 931.

[6] Merk p. 474-481; Ceuppens p. 158-160; Lebreton, Life etc. II p. 178-9.

[7] Knabenbauer, Mt I p. 499; II p. 92; Mc p. 238; Dausch p. 249; Durrwell, in VD 1939 p. 269-278.

concessive loquitur.—ad c) L 21, 18 sumi potest proverbialiter, i.e. promittitur Apostolis specialis cura et providentia in eorum munere.—ad d) Iesus haec dixit in diversis adiunctis, ac proinde cum sensu diverso.[8]

Dices 3. Iesus proposuit *doctrinas anti-sociales.* Nam a) vetuit defensionem vitae et bonorum (Mt 5, 38-42) ; b) docuit non esse vivendum oeconomice (Mt 6, 31) ; c) inculcavit odium parentum (L 14, 26) ; d) vetuit nos invitare amicos ad convivia (L 14, 12) ; e) fovit rixas domesticas (Mt 10, 35; L 12, 51-3).

R. *N.ass.* ad a) *Dist.* defensionem quae laederet caritatem *C.* aliam *N.*[9]— b) Iesus tantum vetuit *nimiam* sollicitudinem circa temporalia; eum autem non vetuisse omnem curam, patet ex eo quod ipse nos docet petere a Patre "panem nostrum cotidianum".—ad c) *N.* Cf. supra p. 257.—ad d) Difficultas evanescit si dictum hoc legitur in contextu (v. 12-14). Scil. Iesus comparat duos modos agendi; non vetat priorem, sed commendat alterum ut *meliorem* et dignum praemii aeterni.—ad e) *Dist.* Iesus voluit dissidia *N.* ea praedixit *C.*

Urg. Iesus voluit ut discipuli sui *renuntiarent mundo* (Mt 16, 26).

R. *Dist.* quatenus anima nostra pluris est quam totus mundus materialis *C.* aliter *N.*

Dices 4. Iesus *se accommodavit erroribus* Judaeorum.

R. *N.* vel *Dist.* quoad id quod docuit *N.* quoad modum quo docuit *subd.* in rebus religiosis *N.* in rebus profanis *Tr.* Accommodatio in rebus religiosis aliena fuit a mente Iesu. Id patet non tantum ex eo quod haberi voluit ut magister religiosus, sed etiam ex dictis et factis; v.g. J 6, 61-8 ubi sinit multos discipulos abire potius quam mutare suam doctrinam; Mt 26, 64 ubi se confitetur Filium Dei licet sciret consequentias.[10]

2. *Originalitas doctrinae*

a. Iesus non pendebat a *non-Judaeis.* Nam a) Judaei palaestinenses illius aetatis quam maxime horrebant influxum alienum in rebus religiosis. b) Etsi Iesus subisset talem influxum, inde fortasse hausisset paucas ideas disiectas, sed certo non totum systema. c) Cur omnes aliae religiones impugnabant religionem Iesu quam primum propagata est?

b. Iesus non hausit suam doctrinam a *rabbinis.* Nam a) Iesus non videtur adisse eorum scholas (cf. J 7, 14 "Et mirabantur Judaei dicentes: Quomodo hic literas scit cum non didicerit?"). b) Iesus suam doctrinam constanter opposuit doctrinis rabbinorum, et rabbini eum persecuti sunt ob suam doctrinam. c) Si doctrina Iesu eadem fuisset ac rabbinorum, turbae eam non tantopere miratae essent (cf. Mt 7, 28; J 7, 46).

Quanta autem sit dissimilitudo inter doctrinam Iesu et rabbinorum coaevorum, clare nunc apparet postquam editus est totus

---

[8]Prat, J.-Chr. I p. 458; II p. 68; Knabenbauer, Mt I p. 542-4; L p. 562-3; Lagrange, Mc p. 248; Ruffini p. 317.

[9]Lebreton, Life etc. I p. 163-6.

[10]Prat, J.-Chr. I p. 346; Ottiger I p. 748; Smit p. 197-275.

Talmud. Atque sunt Judaei moderni qui libenter concedunt discrimen fundamentale inter eius doctrinam et Judaismum.

c. Iesum hausisse suam doctrinam ab *Essenis,* gratis asseritur. Esseni erant parva secta Judaeorum, neque umquam fit mentio eorum in N.T. Eorum doctrina peculiaris autem nullam similitudinem habet cum doctrina Iesu.[11]

d. Quod attinet *V.T.*: Iesus sane novit et agnovit illud ut divinum, atque doctrina eius magnam partem fundatur in eo vel est simplex repetitio auctoritativa. At a) ad V.T. Judaei addiderant Mishnam et Gemaram, ita ut difficillima esset separatio; Iesus ea clare separavit. b) Iesus multa nova docuit (v.g. de 3 Personis divinis).[12]

3. *Perfectio cognitionis*

a. Nulla evolutio apparet in cognitione Iesu. Iesus numquam discit aut conatur invenire veritatem, numquam rogat ut discat ignota, numquam secum ratiocinatur, numquam deliberat apud se aut dubitat, numquam timet ne erret, numquam emendat aut retractat suam doctrinam.

Dices 1. Iesus "*proficiebat sapientia*" (L 2, 52).

R. 1 (apol.) *Tr.* Hoc dictum Lucae refert ad *pueritiam* Iesu; nos loquimur de eius vita publica. At in templo, in medio doctorum, cum esset 12 annorum, "stupebant omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius" (L 2, 47).

R. 2 (dogm.) Exegetae diversimode exponunt quomodo Iesus potuerit dici "proficere sapientia". Utique non qua Deus; sed qua homo—quatenus profecerit in *scientia experimentali,* vel quatenus successive *manifestaverit* suam sapientiam etc.[13]

Dices 2. Iesus *gradatim* pervenit ad "conscientiam messianicam".

R. *N.* Iesus eam gradatim *manifestavit*—prout debuit sub circumstantiis concretis.

Dices 3. Iesus interdum *dubitavit;* v.g. Mt 11, 23 "forte mansissent"; J 8, 19 "forsitan et Patrem meum sciretis"; J 5, 46 "crederetis forsitan et mihi".

R. Voces 'forte' et 'forsitan' minus recte ponuntur in versione latina; constructio graeca (ἄν cum imperfecto) non subaudit dubitationem.[14]

Dices 4. Iesus saepe *rogavit* alios; v.g. Mc 5, 9 "quod tibi nomen est?" Mc 5, 30 "quis tetigit vestimenta mea?" Mc 9, 21 "quantum temporis est ex quo ei hoc accidit?" Cf. etiam Mt 16, 16; Mc 9, 16; 9, 33; L 24, 17; J 6, 5 etc.

R. *N.supp.* Quaestio non necessario supponit ignorantiam. Datur enim

---

[11] Grandmaison I p. 264-5; LThK s.v. Essener; Suppl. s.v. Esséniens.

[12] Felder, Christ etc. II p. 75-77; Thibaut, in Nouvelle Revue Théol. 1937 p. 937-943; Prümm, Christentum etc.

[13] Pesch IV n. 274; Lebreton, Life etc. I p. 28.

[14] Porporato, in VD 1939 p. 216-7.

quaestio rhetorica, et magistri humani interrogant discipulos. In Genesi ipse Deus rogat Adam (3, 9) et Cain (4, 9).

Dices 5. Iesus interdum *miratus est* (Mt 8, 10; Mc 6, 6). Atqui mirari est ignorantis.

R. In Mt 8, 10 Iesus potius *admiratus* est fidem centurionis; in Mc 6, 6 Iesus potius *doluit* incredulitatem Nazarenorum doloremque externe manifestavit.

b. Immo cognitio Iesu videbatur esse *illimitata*. Iesus non habuit meras illuminationes occasionales sicut prophetae V.T., sed in eius visione omne discrimen inter res evanuit: aequa facilitate ac certitudine iudicabat de rebus obviis et profundis, de rebus praeteritis, praesentibus ac futuris, de rebus terrenis et divinis (cf. L 9, 47; J 1, 48; 4, 16-9; 4, 29 etc.).

Hinc Apostoli concluserunt: "Nunc scimus quia *scis omnia*" (J 16, 30), et ipse de se simpliciter dixit: *"Ego sum veritas"* (J 14, 6).

Dices: Iesus ipse admisit suam cognitionem esse limitatam; nam negavit se scire *diem ultimi iudicii* (Mc 13, 32).

R. cf. supra p. 238.

4. *Modus proponendi doctrinam*

a. Iesus non docuit sicut fanatici. Non conabatur statim ac violenter corrigere ideas magis vel minus falsas Judaeorum (v.g. circa Messiam eiusque regnum), removere abusus et praeiudicia. Eius methodus plena erat suavitatis et *prudentiae*.[15]

b. Iesus docuit cum absoluta *certitudine*. Quamvis enim eius doctrina fuerit sublimis et mysteriosa, Iesus tanta fiducia locutus est ut populus stuperet. Neque quisquam essentiam Dei et nostram relationem ad Deum descripsit tanta claritate, puritate, perfectione.

c. Iesus docuit summa *auctoritate* (supra p. 205-6).

d. Iesus docuit stilo simplici, directo, *concreto*. Sufficiat unum exemplum (cf. Lercher I p. 178): Iesus vult Petro promittere *primatum iurisdictionis* in Ecclesiam universam. Quomodo id faciet ut etiam rudes intellegant? En solutio problematis: Iesus assumit imagines cuivis puero Judaeo familiares, scil. imaginem funis quo caprae ligantur, imaginem clavis qua domus clauditur et aperitur, imaginem petrae supra quam domus aedificatur ut resistat procellis—et ait: "Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcunque solveris super

[15]Lebreton, Life etc. I p. 156.

terram, erit solutum et in caelis" (Mt 16, 18-19). Sic Iesus quasi ludibundus solvit problema de quo desperasset ingenium etiam acutissimum.

Speciatim notentur *parabolae* quibus Iesus vestivit veritates gravissimas, et quarum gratia, simplicitas, pulchritudo infinite superat parabolas rabbinorum coaevorum.[16]—Quantum discrimen inter Iesum et v.g. *Paulum*. Cum Paulus quasi torqueat suum ingenium ut recte dicat nova quae habet dicenda, et tamen fit obscurus—in Iesu nullus apparet labor intellectualis, nulla reflectio contorta, nulla irretitio verborum.—Quantum discrimen etiam inter Iesum et *rabbinos*: "We notice the total absence of those juristic subtleties so freely indulged in by the teachers of His time, as also of the legends that fill the Midrash; all is simple, profound, direct" (Lebreton, Life etc. I p. 28).

e. Iesus non quidem proposuit suam doctrinam systematice, sed docuit nunc unam veritatem, nunc aliam. Nihilominus enuntiavit *principia systematis*. Doctrinae Iesu enim non sunt quasi membra cadaveris disiecta, sed logice ita inter se cohaerent ut gradatim (in decursu saeculorum) reduci potuerint ad Theologiam, quae est "scientia fidei". Testis est Summa theologica S. Thomae.

f. Tandem scribae, pharisaei, sadducaei eum saepe tentabant quaestionibus subtilibus et captiosis; v.g. de muliere adultera, de censu, de resurrectione. Iesus eorum quaestiones *statim perspexit* ac sine ullo negotio *decerpsit*: "Nemo poterat ei respondere verbum" (Mt 22, 46). Cf. L 20, 26.

Dices 1. *Ineptum* erat argumentum quo Iesus voluit sadducaeis probare resurrectionem (Mt 22, 31-32).

R. *N.* a) Saltem "audientes turbae mirabantur in doctrina eius" (Mt 22, 33). b) De facto, argumentum erat bonum contra sadducaeos.[17]

Dices 2. *Argumentum ad hominem* non est bonum. Atqui Iesus saepe usus est tali argumento; v.g. a) Mt 16, 1-4 "Faciem caeli diiudicare nostis" (i.e. vos putatis nosse); b) Mt 12, 27 "Si ego in Beelzebub eicio daemones, filii vestri in quo eiciunt?" (non est certum Judaeos potuisse eicere daemones); c) in Mt 12, 43-5 et L 16, 22 Iesus loquitur iuxta ideas populares.

R. *Dist.M.* si praemissae obiective falsae proponuntur ut verae *C.* aliter *N.* vel *subd.* non est argumentum efficax *N.* non est logice perfectum *Tr.*—Quoad singula: ad a) et b) Non constat praemissas fuisse obiective falsas. ad c) Nihil obstat quin Iesus locutus sit modo populari (v.g. sinus Abrahae).

---

[16]"Jesus raised the parable to the highest degree of beauty and literary excellence that it has ever reached, and in so doing made a contribution to literature" (G. A. Barton, The Ap. Age p. 37).

[17]Prat, J.-Chr. II p. 220; Lagrange, Mc p. 320.

5. *Modus conservandi doctrinam*

Ut opus suum perpetuo conservaret in mundo, Iesus *instituit Ecclesiam*. Qua de re tria notanda:

a. Ut doctrinam suam perpetuo conservaret et ubique propagaret, Iesus posuit in Ecclesia magisterium authenticum et infallibile, illudque fecit *regulam fidei* et fontem primarium suae doctrinae.

b. Ecclesia tamen non est mera schola philosophica (sicut v.g. schola Platonis), sed est *vita Iesu continuata*: "Ego sum vitis, vos palmites" (J 15, 5). Iesus enim non tantum voluit ut Ecclesia profiteretur suam doctrinam, sed primarie ut viveret suam vitam. Atque Apostolos voluit esse testes primarie suae vitae et personae. Ut hunc finem attingeret, Iesus vitam ita instituit ut sui eum amarent super omnia; nisi enim eum amarent, eum non imitarentur.

c. Uti historia testatur, doctrina Iesu effecit *maximam mutationem morum in melius,* atque Iesus de facto assecutus est amorem intensum et *imitationem* maxime generosam (infra p. 323).

Dices: Efficacior methodus conservandi et propagandi suam doctrinam fuisset *scribere librum* eumque spargere ubique (sicut Mrs. Eddy).

R. *N.* a) Liber potius obscurat auctorem; Iesus autem voluit *se* proponere ut centrum vitae religiosae. b) Omnis liber subiacet multiplici *interpretationi.*[18]

II. Explicatio

1. Certe sapientia Iesu dicenda est *incomparabilis.* Numquam exstitit alius fundator religionis qui tam perfecte in se univerit omnes istas qualitates negativas et positivas. Omnes sentiunt magna problemata religionis: de Deo, de mundo, de homine, de ordine morali, de tempore et aeternitate; sed quis praeter Iesum attulit solutiones ultimas ac definitivas?

Ergo moraliter impossibile est ut Iesus deceptus sit de se suaque missione religiosa.

2. Iesu sapientia dicenda est *superhumana.* Id quod patebit si haec 6 consideraveris:

a. Veteres putaverunt neminem carere errore, idque esse immediate evidens; neque ab hac sententia alieni sunt theologi.[19] Iesus autem *numquam erravit* aut sibi contradixit.—Id quod eo mirabilius est cum eius doctrina sit *originalis* et valde *subtilis* (uti

---

[18]Huby p. 6-11.

[19]Felder, Christ etc. II p. 140-1; Garrigou-Lagrange p. 497.

patet ex haeresibus primorum saeculorum), immo tam mysteriosa ut saepe videatur paradoxica ac *fere contradictoria.*

b. Iesus suam doctrinam *numquam emendavit* aut correxit, neque umquam retractavit ea quae antea docuerat. (S. Thomas seipsum saepe correxit, et S. Augustinus in fine vitae scripsit totum librum "Retractationes").

c. In Iesu mente *nullum dubium* umquam apparuit, nullus progressus, nulla evolutio. Ipse non arguit apud se, sed intuitive vidit veritatem.

d. Iesus suam doctrinam ita proposuit ut etiam *turbae rudes* eam caperent et per eam allicerentur; hinc populus saepe apud eum mansit per integros dies.[20]

e. Iesus suam doctrinam *defendit* contra adversarios infensissimos, ita ut eos redigeret ad silentium.

f. Iesus excogitavit *medium optimum* ut opus suum suaque doctrina conservaretur et vigeret saltem usque hodie.

Haec si omnia simul sumuntur, dubium non est quin Iesu sapientia transcendat *leges psychologicas* humani intellectus. Hinc sapientia Iesu iure dicitur *miraculum intellectuale,* atque sic arguere licet: Si sub circumstantiis concretis Deus in Iesu patravit hoc miraculum, non potuit non *approbare* eius testimonium de seipso. Hinc Deus ipse est eius testis, atque metaphysice impossibile est ut testimonium sit falsum.

3. Tandem cum Iesu scientia videatur fuisse *illimitata,* magna cum probabilitate inferimus eam fuisse *divinam,* i.e. aequalem scientiae Dei. Ergo iterum metaphysice impossibile est ut Iesus sit deceptus.

B. Sanctitas Iesu

I. Facta historica

Sanctitas Iesu, qualem testantur documenta historica, considerari potest dupliciter: a) negative, quatenus Iesus immunis erat ab omni peccato; b) positive, quatenus Iesus manifestavit plenitudinem virtutum. Breviter ante oculos ponemus utrumque respectum.

1. *Immunitas a peccato*[21]

---

[20]Optime hac de re scripsit Meschler, The Humanity of Jesus, part 4.

[21]Tantum probamus Iesum de facto non peccasse; eum non potuisse peccare, probandum est dogmatice.

a. *Inimici Iesu,* ac praesertim pharisaei, totam eius vitam oculis lynceis scrutabantur ut peccatum detegerent: eum sedulo observabant, intererant eius sermonibus, eum dolose interrogabant, exquirebant eos quos Iesus sanaverat etc. Nullum tamen peccatum in eo invenerunt, ita ut nihil haberent respondere quaestioni Iesu: "Quis ex vobis arguet me de peccato" (J 8, 46).

Obiecerunt quidem eum manducare cum publicanis et peccatoribus (Mt 9, 11), eum bibere vinum (Mt 11, 19), eius discipulos non lavare manus cum panem manducarent (Mt 15, 2), eum blasphemare cum dimitteret peccata (Mt 9, 3) etc. Sed hae accusationes evidenter procedebant ex mala voluntate, atque indirecte confirmant innocentiam Iesu; si enim pharisaei vera peccata novissent, has accusationes vix protulissent.

Iesum autem immunem fuisse a crimine religioso et politico, constat ex duplici processu iuridico, scil. coram synedrio (Mt 26, 60) et coram Pilato (Mt 27, 23).

b. *Judas proditor,* familiaris vitae Iesu per 3 annos, coram principibus sacerdotum confessus est: "Peccavi, tradens sanguinem iustum" (Mt 27, 4).

c. *Amici Iesu,* i.e. discipuli et Ecclesia infans, idem implicite testati sunt cum eum agnoscerent verum Deum. *Petrus* autem Judaeos explicite accusavit: "Vos sanctum et iustum negastis" (Act 3, 14; cf. 7, 52; 22, 14).

Nota. Judaei ex V.T. didicerant *omnes* esse sub lege peccati (cf. Rom 3, 9) et actu peccare (3 Reg 8, 46). Unde S. Ioannes ait: "Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est" (1 J 1, 8). Si ergo discipuli immediati Iesu, quamvis Judaei, testantur impeccantiam Iesu, crescit vis testimonii.

d. Impeccantiam absolutam Iesu etiam inferre licet ex eius *dictis et gestis.* Etenim: a) Iesus saepe alios accusavit peccati eosque monuit ut agerent poenitentiam; ipse autem numquam se humiliavit coram Patre ob sua peccata, numquam sibi impetravit veniam, numquam vel levissimum signum manifestavit poenitentiae aut contritionis. E contra, non tantum explicite a se respuit omne peccatum (J 8, 46) et omnem iniustitiam (J 7, 18), sed etiam affirmavit se semper facere voluntatem Patris (J 4, 34; 8, 29) et satanam non habere partem in se (J 14, 30). b) Iesus aperte se discrevit a peccatoribus (Mt 7, 11), sicut discrevit inter "Pater meus" et "Pater vester". Discipulos docuit orare "dimitte nobis debita nostra" (Mt 6, 12), ipse autem numquam sic oravit.

Inde duo alia inferre licet: a) Iesus non tantum immunis fuit a peccatis externis, sed etiam *internis;* b) etiam ante vitam publicam Iesus immunis fuit a peccato; secus enim se aliquando peccatorem coram Patre dicere debuisset.

Dices 1. Ipsa provocatio ad suam impeccantiam (J 8, 46) iam est defectus moralis.

R. *N.* Iesus id debuit facere ut responderet adversariis.

Dices 2. (cum Strauss) Iesus suscepit *baptismum* a Ioanne; ergo sibi conscius fuit peccati.

R. 1 (apol.) Cur Iesus non potuit habere aliam rationem? De facto, ipse aliam indicat, scil. "ut impleretur omnis iustitia".

R. 2 (dogm.) Iesus hic publice agnovit se suscipere munus redemptoris, iuxta Is 53, 6 "Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum".[22]

Dices 3. Iesus *violavit sabbatum.* Septies enim curavit sabbato; atque permisit ut eius discipuli violarent sabbatum; immo "solvebat" sabbatum.

R. *Dist.* ob rationes altiores *C.* ex mera levitate *N.*

2. *Plenitudo virtutum*

a. *Erga Patrem*

Erga Patrem Iesus fovit *obsequium* et *amorem.* Nam a) obsequium erga Patrem ei erat summa solaque lex: "Meus cibus est facere voluntatem eius qui misit me" (J 4, 34; cf. 8, 29; 6, 38); etiam calicem passionis libenter bibit propter voluntatem Patris: "Pater mi, non sicut ego volo, sed sicut tu" (Mt 26, 39); "non mea voluntas, sed tua fiat" (L 22, 42).—b) Ubique in mundo, in tota vita sua, in rebus secundis et adversis, Iesus vidit signa amoris Patris sui. Hinc eum super omnia redamavit atque eius amorem manifestavit discipulis. Cum eo conversatus est pernoctans in oratione, immo semper oravit.[23] Morte iam instante, gavisus est et iussit Apostolos gaudere "quia vado ad Patrem" (J 16, 17). Ultimum eius verbum in cruce fuit suspirium amoris filialis: "Pater, in manus tuas commendo spiritum meum" (L 23, 46).

Ipsi rationalistae (v.g. Renan, Harnack) concedunt Iesu amorem erga Patrem fuisse prorsus singularem.

Dices: Uti patet ex Mt 27, 46 et Mc 15, 34, in cruce Iesus potius *desperavit.*

R. 1 (apol.) a) Matthaeus et Marcus (Petrus), qui nobis tradiderunt hanc exclamationem, non putaverunt eam derogare virtuti Iesu. b) Alia explicatio (praeter desperationem) est saltem possibilis. Sicut enim Lucas (4, 21) narrat tantum *verba initialia* sermonis quem Iesus habuit in Nazareth, ita hic. Scil. Iesus videtur recitasse psalmum 21, cuius haec sunt verba initialia; hinc non dixit "Pater", sicut alias semper ac mox postea (L 23, 46). Psalmus ipse autem potius exprimit *confidentiam erga Deum* in medio tribulationum.

---

[22] Knabenbauer, Mt I p. 189; Pesch IV n. 479; Reatz p. 42.

[23] Prat, J.-Chr. II p. 310-1; Lebreton, Life etc. II p. 454-8; idem in Rech. de science rel. 1939 p. 568-593.

R. 2 (dogm.) Non una est explicatio exegetarum.[24]

b. *Erga proximum*

Nota. a) Non praecise dicimus Iesum manifestasse omnes virtutes, sed eas quarum fuit *occasio*. Atque recolendum est evangelia nostra non esse biographias completas. b) Insistimus in *harmonia virtutum* (moralium). Rationalistae multa obiciunt contra sanctitatem Iesu quia hanc non capiunt; exaggerant enim unam virtutem ita ut contraria fiat impossibilis. Sed "virtus stat in medio" (S. Thomas).

Mansuetudo: Iesus non tantum dixit mites beatos (Mt 5, 4) et iratos mitigavit (L 9, 54), sed etiam discipulos rudes et indociles patienter instruxit.—Judam proditorem amice excepit (Mt 26, 50) et Petrum post trinam negationem vultu mitissimo convertit (L 22, 61).—Mansuetudinem quam Iesus servavit inter calumnias et convicia, Caiphas et Pilatus mirati sunt (Mt 26, 59-63; 27, 14). —Moriens Iesus oravit pro persecutoribus: "Pater, dimitte illis" (L 23, 34).

Dices: Ex iracundia Iesus *maledixit fico* (Mt 21, 18-22).

R. 1 (apol.) Haec potuit esse *actio symbolica,* cuius finis erat docere veritatem altiorem. Similia fecerant prophetae V.T.; v.g. Isaias (20, 1-6), Jeremias (13, 1-11). Cf. Act 21, 11.[25]

R. 2 (dogm.) Iam S. Augustinus dixit: "Hoc factum nisi figuratum accipiatur, stultum invenitur". Maledictio fici igitur erat actio symbolica seu "parabola facti", i.e. actio qua Iesus docere voluit culpam et reiectionem synagogae.[26]

Misericordia Iesu replet totum evangelium. Verbo et opere enim Iesus misericordiam manifestavit erga tristes et flentes: "Videns turbas, misertus est eis, quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem" (Mt 9, 36); "venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos" (Mt 11, 28). Etiam discipulis praecepit: "Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est" (L 6, 36).[27] Petrus autem de eo testatur: "Pertransiit benefaciendo" (Act 10, 38).

Amor proximi. Amicos et inimicos, cognatos et alienigenas, Judaeos et Graecos Iesus amplexus est amore aequali et universali. Mandatum novum amoris mutui quod dedit discipulis suis, ipse

---

[24]Knabenbauer, Mt II p. 541-3; Dausch p. 360; Prat, J.-Chr. II p. 403; Lagrange, The Gospel II p. 270-2; infra p. 339.

[25]Hoc miraculum est unicus casus *poenae* miraculosae. Cum filii Zebedaei vellent infligere poenam miraculosam, Iesus eos increpuit (L 9, 55). Cf. supra p. 192.

[26]Fillion, Life etc. III p. 252, 638-640; Prat, J.-Chr. II p. 205-7; Fonck, Die Wunder des Herrn p. 462-7.

[27]J. Jeremias, in ZNW 1936 p. 75-82.

suo amore consecraverat: "Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos" (J 15, 12).

Obicit Montefiore (Syn. Gospels II p. 81, 91-3): Iesus non dilexit inimicos (v.g. pharisaeos); numquam oravit pro eis.

R. *N.* Mt 23, 37 "Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas"; L 23, 34 "Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt".

Amor Iesu autem non erat mollis aut sentimentalis. Propter scandalum publicum, "eiciebat omnes vendentes et ementes in templo" (Mt 21, 12-13; cf. J 2, 15-16); severe reprehendit pharisaeos, qui miseram plebem seduxerant ne Iesum agnosceret ut Messiam (Mt 3, 7; 12, 34; 23); neminem agnovit ut suum discipulum nisi qui gauderet voluntate firma et magnanimitate (Mt 8, 22; L 9, 61-2); eos reprehendit qui ei suggerebant minus bonum (Mt 12, 48; 16, 23).[28]

c. *Erga seipsum*

Veracitas. Ipsi pharisaei hanc testati sunt (Mt 22, 16). Iesus autem se toti mundo proposuit non tantum ut doctorem veritatis (J 18, 37), sed ut veritatem ipsam: "Ego sum veritas" (J 14, 6).

Obiecit Porphyrius: Iesus non semper locutus est sincere. Nam in J 7, 8-10 dixit se non ascensurum esse ad festum scenopegiae; postea autem ascendit.

R. *N.ass.* Solutio difficultatis autem patet ex contextu. Iesus noluit ascendere cum commeatu festivo; postea ascendit "non manifeste".

Fortitudo. Propter evangelium regni Dei, Iesus fortiter pertulit labores et fatigationes, opprobria et inimicitias perpetuas. Ipsam passionem et mortem crudelem desideravit (L 12, 50) et heroica constantia pertulit.

Humilitas. Socios et discipulos Iesus sibi elegit pauperes et rudes piscatores Galilaeae; cum eis die noctuque familiariter conversatus est eorumque pedes lavit sicut servus minimus.—Humilitas eius autem maxime manifestata est in passione, cum damnaretur a iudicibus iniustis, illuderetur et conspueretur a militibus, tandem crucifigeretur inter duo latrones.

Nihilominus Iesus a) se accommodavit mentalitati Judaeorum coaevorum in modo quo proposuit suam doctrinam, b) non exhibuit stoicismum in passione et morte sua, c) sibi adscripsit attributa divina.

3. *In genere*: Iesus se omnibus proposuit ut exemplum per-

---

[28]Lebreton, Life etc. II p. 183-5.

fectionis moralis: *"Sequere me"* (Mt 8, 22; 19, 21; Mc 2, 14; 10, 21; L 5, 27; J 8, 12). Ergo talis debuit esse eius vita ut id dicere posset sine absurditate.

II. Explicatio

1. Sanctitatem Iesu fuisse *incomparabilem*, pauci rationalistae negant. Ac revera, nemo ex eis quos pagani habuerunt ut magistros, cum eo comparari potest: a) Philosophi graeci et romani, etiam ii qui erant vitae melioris (v.g. Socrates, Seneca, Marcus Aurelius, Epictetus), a nullo reputantur sancti. b) Ex fundatoribus autem magnarum religionum, Gautama Buddha et Confucius ne conceptum Dei quidem habuerunt ut fundamentum religionis; Mahometi vita et doctrina autem scatet erroribus et vitiis.

Unde nemo ex his ausus est dicere discipulis: "Sequere me", sed eos monuerunt: "Sequere naturam" vel "sequere Deum".

2. Plus dicere possumus ac debemus: Sanctitas Iesu fuit *superhumana*. Id quod patet praesertim ex tribus:

a. Ex *absoluta impeccantia* Iesu. Immunitas a peccato enim est homini sibi relicto moraliter impossibilis. Id dogmatice certum est. Idem autem constat lumine naturali, scil. ex experientia uniuscuiusque et ex testimonio virorum etiam sanctissimorum, qui omnes confitentur se in multis deficere et reos esse coram Deo.

b. Ex *virtute heroica* Iesu. Per totam vitam publicam enim Iesus prosecutus est a) finem altissimum, scil. gloriam Dei, b) voluntate intensissima, scil. sine timore aut evasione, per labores et itinera ardua, in paupertate summa et cum plena abnegatione omnium affectuum, c) sub difficultatibus maximis, scil. contra persecutiones et insidias pharisaeorum.

Neque hunc finem reliquit cum adversarii ei mortem minarentur et difficultates crescerent in immensum.

c. Ex perfecta *harmonia virtutum* moralium. In Iesu enim amice iungebantur ea quae difficile conciliantur: odium intensum peccati et suavis amor peccatoris, zelus ardens et patientia inexhausta, energia et lenitas, maiestas et humilitas, gravitas et benignitas qua allexit ipsos infantes. Iesus erat iustus sine duritia, zelosus sine iracundia, humilis sine abiectione, operosus et tamen semper orans.

Haec si omnia simul sumuntur, non est dubium quin sanctitas Iesu transcendat potentiam humanam. Hinc eius sanctitas iure dicitur *miraculum morale*, atque sic arguere licet: Si sub circum-

stantiis concretis Deus patravit hoc miraculum in Iesu, non potuit non *approbare* eius testimonium de seipso. Hinc Deus ipse est testis testimonii Iesu, atque metaphysice repugnat ut hoc testimonium sit falsum.

3. Immo qui omnia attente consideraverit, non poterit non agnoscere in Iesu sanctitatem plane *divinam,* scil. quae soli Deo competit.

Quis enim ex Sanctis Ecclesiae Catholicae umquam assecutus est hanc perfectam harmoniam virtutum? Admiramur sanctos martyres (S. Ignatium Ant., S. Polycarpum, S. Laurentium etc.), viros deditos orationi et praeditos donis supernis (S. Bernardum, S. Bonaventuram, S. Thomam, S. Theresiam etc.), intrepidos Ecclesiae defensores (S. Athanasium, S. Augustinum, S. Hilarium, S. Petrum Canisium), missionarios zelo plenos (S. Paulum, S. Franciscum Xaverium, S. Franciscum Salensem). Sed hi omnes et singuli erant (neque plus esse volebant) *imitatores partiales Iesu.* Iesus est sol—ipsi reflectunt partem exiguam radiorum.

Idem valet de ordinibus religiosis Ecclesiae. Alia est indoles familiae S. Benedicti, alia S. Francisci, alia S. Dominici, alia Societatis Iesu, alia piae congregationis quam fundavit S. Ioannes Bosco. Finis uniuscuiusque familiae autem est imitari Iesum, ut sic pro modulo suo *participet* de ubertate eius sanctitatis.

Tandem Iesus, quamvis sanctissimus, est *omnibus* imitabilis. Licet enim Iesus fuerit verus Judaeus, tamen eius doctrina et vita est supernationalis et supertemporalis. Hinc potest esse exemplar omnibus: viro et mulieri et infanti, Graeco et barbaro, hominibus cuiusvis indolis et saeculi. Atque "imitatio Christi" est finis et scopus omnis sanctitatis (Thomas a Kempis).

Schol. *Ulterius progredi licet.*

In Iesu nulla cernitur discordia inter eius verba et actiones, inter vitam et doctrinam, sed est perfecta *harmonia* inter eius sapientiam et sanctitatem. Hinc melius elucet quo sensu sumenda sit particula "et" in thesi. Nimirum sapientia et sanctitas Iesu non sunt dotes inter se alienae, sed se invicem confirmant et complent.

Nil mirum igitur quod quo magis homines Iesum cognoverunt, eo magis eum admirati sunt et amaverunt. Atque S. Ioannes, qui per 3 annos eum cotidie spectaverat, conclusit: "Vidimus gloriam eius, *gloriam quasi unigeniti a Patre,* plenum gratiae et veritatis" (J 1, 14).

Thesis 20

In confirmationem suae praedicationis, Iesus plurima miracula physica patravit.

Cf. Bonniot, Le Miracle etc.; DieckmannR p. 584-626; Dorsch I p. 637-664; Duplessy II p. 266-294; Falcon p. 243-260; FelderA I p. 215-243; idem, Christ etc. II p. 278-370; Fillion, Les Miracles etc.; Fonck, Die Wunder des Herrn; Garrigou-Lagrange p. 502-512; Goebel p. 171-195; Grandmaison III ch. 1-3; van Laak, Rep. p. 120-137; Lahousse II p. 20-74; Langan p. 243-254; Lercher I p. 185-199; Mazzella, Rel. p. 190-205; Marquardt, Das Wunderproblem; Muncunill I p. 213-226; van Noort, Rev. p. 119-128; Otten III p. 57-65; Ottiger I p. 757-785; Pesch I n. 192-5; Schiffini p. 77-93; Simón I p. 209-217; Suarez, De Mysteriis Christi, Disp. 31; Tanquerey I p. 289-303.

Momentum thesis

In Apologetica scientifica miraculis physicis Iesu summum momentum competit. Id iam constat ex eis quae dicta sunt de miraculo ut *criterio revelationis*. Sed *Iesus* ipse miraculis suis vim probativam tribuit quam maximam; ait enim: "Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum" (J 15, 24). Idem de Iesu miraculis sentiebat *Petrus,* qui die Pentecostes proclamavit Iesum "virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis" (Act 2, 22). Idem sentit *Ecclesia* (D 1790).

Ab hac persuasione minime alieni sunt *rationalistae.* Id quod satis elucet ex eorum conatibus incredibiliter ineptis enervandi miracula Iesu eorumque vim apologeticam.

1. Quid sit *miraculum physicum,* cf. supra p. 63.

2. Iam supra (p. 188) diximus Iesu miracula physica fuisse *plurima numero et genere.* In hac thesi distincte agimus de *4 classibus* in quas communiter dividuntur. At ex una parte non excludimus ea miracula quae summarie narrantur, ex altera parte non descendimus ad singula.

Eruditionis causa tamen inspiciamus 4 classes magis in individuo:

a. *Suscitationes mortuorum* tres narrantur. Iesus enim a mortuis suscitavit filiam Jairi (Mt 9, 18-26 et par.), filium viduae (L 7, 11-17), Lazarum (J 11).—Ut fidem faceret discipulis Ioannis Bapt., Iesus etiam appellavit ad alias suscitationes (Mt 11, 5).

b. *Expulsiones daemonum* 4 accuratius describuntur. Iesus

enim liberavit daemoniacum in synagoga Capharnaum (Mc 1, 23-28 et par.), daemoniacos in regione Gerasenorum (Mt 8, 28-34 et par.), puerum lunaticum (Mt 17, 14-20 et par.), filiam mulieris chananaeae (Mt 15, 21-28 et par.).

c. *Sanationes aegrotorum* multae describuntur, in quibus tamen attendatur varietas morborum et modus sanationis instantaneus. A Iesu enim sanabatur homo habens manum aridam (Mt 12, 10-21 et par.), mulier habens fluxum sanguinis (Mt 9, 20-22 et par.), vir hydropicus (L 14, 1), socer Petri febricitans (Mt 8, 14-15 et par.), filius reguli (J 4, 46-54), caecus natus (J 9), servus centurionis (Mt 8, 5-13 et par.) etc.

d. *Miracula cosmica,* i.e. patrata in creaturis irrationalibus. Iesus subito convertit aquam in vinum (J 2, 1-11), subito sedavit ventum et fluctus (Mt 8, 23-27 et par.), super aquas ambulavit et Petrum super aquas incedentem sustinuit (Mt 14, 23-33 et par.), semel vel bis multiplicavit panes pro milibus hominum (Mt 15, 29-39; Mc 8, 1-10; J 6, 1-15), piscationem miraculosam fieri iussit (L 5, 1-11), verbo ficum arefecit (Mt 21, 18-21 et par.) etc.

Tandem Iesus non solum ipse patravit miracula, sed dedit etiam *Apostolis* potestatem eadem patrandi—idque mero imperio, i.e. sine longa instructione circa modum operationis: "Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones eicite" (Mt 10, 8). Hanc potestatem non fuisse frustra, patet ex Mc 6, 13; L 9, 6.

Nota. Omittimus eos eventus in vita Iesu qui ab aliis exegetis dicuntur miraculosi, ab aliis (etiam catholicis) putantur naturales; v.g. liberatio Iesu e manibus inimicorum (L 4, 29-30; J 8, 3-6); expulsio vendentium et ementium e templo (Mt 21, 12-17). Omittimus etiam lentam sanationem caeci in Mc 8, 22-26.[1]

Thesis est critice et historice *certa*. Dogmatice est *de fide*: D 1790, 1813.[2]

ADVERSARII

1. Praeter ea quae supra (p. 188) dicta sunt in genere, rationalistae hodierni sic fere removent 4 classes miraculorum:

a. Suscitationes mortuorum facile removentur dicendo homines illos fuisse tantum *apparenter mortuos,* et Iesum eos ex stupore excitasse allocutione suggestiva.[3]

---

[1]Cur Iesus sic egerit, cf. Simón I p. 398; Lagrange, Mc p. 213; Lebreton, Life etc. I p. 349.

[2]Cf. etiam D 1707 (de veritate historica).

[3]Cum tamen haec "explicatio" improbabilis sit in casu Lazari, vel negant

b. Expulsiones daemonum hodie sic explicantur: 'Daemoniaci' illi non erant vere possessi, sed erant *hysterici* summi gradus, i.e. laboraverunt *dementia imaginaria* (hystero-paranoia); ob superstitionem illius aetatis autem sibi suggerebant se esse possessos. Iesus igitur eos sanavit per virtutem magneticam (Weisse) vel psychicam (Schleiermacher, Schenkel) vel per suggestionem, i.e. suggerendo daemoniacis illusionem eiecti daemonis (Charcot), vel per simplex imperium auctoritativum (O. Holtzmann, J. Weiss) etc.[4]

c. Sanationes aegrotorum dupliciter explicantur: a) Iesus mere *egit medicum,* i.e. sanavit eodem modo iisdemque mediis quibus medici tunc sanare solebant; b) Iesus praeditus fuit tanta virtute psychica (i.e. tanta vi naturali voluntatis et animi) ut potuerit sanare *suggestione hypnotica* ("faith healing").[5]

d. Miracula cosmica declarantur fuisse eventus ordinarii qui tamen mutati vel *exaggerati* sint in praeternaturales.[6]

e. Tandem rationalistae etiam appellant ad *vires occultas,* i.e. ad vires quae illa aetate ignotae erant (v.g. magnetismus, electricitas, radio etc.) vel quae etiamnunc sunt ignotae.

2. Post Rousseau et Harnack, multi negant veritatem *relativam* miraculorum Iesu. Sic ex J 4, 48 Harnack infert Iesum parvi fecisse sua miracula vel saltem eis vix ullam vim apologeticam tribuisse.

Quoad *methodum* probationis:

a. Argumentum ex miraculis physicis dupliciter proponitur ab auctoribus. Aliqui seligunt unum vel pauca eaque examinant sub omni respectu. Plerique tamen sumunt miracula Iesu *in globo.* Sequimur hanc alteram methodum, qua variae obiectiones eliminantur.

b. Veritas *historica* probanda est praesertim quoad suscitationes mortuorum, expulsiones daemonum, miracula cosmica; qui enim admittit haec esse facta, vix negabit ea esse praeternaturalia.—

---

totam historiam huius suscitationis vel eam tacent. Ita v.g. Warschauer, Jesus p. 47-54. Cf. Prat, J.-Chr. II p. 153.

[4]Smit p. 32-50; Felder, Christ etc. II p. 337-340.—Secundum Harnack (Expansion etc. I p. 152-8), possessio daemoniaca est idem ac "duplex personalitas".

[5]Felder, Christ etc. II p. 330-2; Grandmaison III p. 140-4.

[6]Aliquas ex his "explicationibus" habes apud Felder, Christ etc. II p. 355-9; Ottiger I p. 759-772; C. J. Wright p. 285-8, 296-300.

Veritas *philosophica* probanda est praesertim quoad sanationes; harum enim causas naturales rationalistae putant se posse assignare; unde fere admittunt earum historicitatem.—Veritas *theologica* hodie minus premenda est, cum rationalistae admittant Deum, sed non daemonem.—Propter influxum universalem quem exercet Harnack, insistendum est in probatione veritatis *relativae.*

THESIS PROBATUR

Thesis constat, si constat *veritas quadruplex* miraculorum Iesu.
Atqui verum est antecedens.
Ergo etiam consequens.
Prob.min.

1. Veritas historica

1. Narrationes 40 miraculorum imprimis sunt substantialiter *genuinae,* non interpolatae; omnes enim pertinent ad textum hodie receptum.

2. *Historicitas*

In globo: Ea quae supra (p. 189) dicta sunt, etiam hic valent. Sed agimus distincte de 4 classibus.

a. Quoad *suscitationes mortuorum.* Absurde dicitur has narrationes agere de apparenter mortuis. Id nimis evidens est quoad suscitationem Lazari. Sed in genere dicimus: Si ii quos evangelistae narrant suscitatos a mortuis, non fuissent vere mortui, *tria simul* contigisse supponendum esset: a) Iesum *solum* novisse mortem esse tantum apparentem, etiam antequam eos viderat; b) eos *casu* evigilasse ex stupore cum Iesus eos alloqueretur; c) Iesum *decepisse* circumstantes; nam egit ac si crederet illos homines mortuos. Atqui haec simul contigisse, absurde dicitur.[7]

Dices 1. Dubium est num *filia Jairi* fuerit mortua. Nam a) in Mc 5, 23 pater eius dicit "filia mea in extremis est" (ἐσχάτως ἔχει) ; b) Iesus ipse dicit (Mt 9, 24) : "Non est mortua puella, sed dormit" (καθεύδει).

R. *N.ass.* Certe evangelistae, ex quibus unus erat testis oculatus, narrare voluerunt veram resurrectionem. Dein in Mc 5, 35 nuntii dicunt filiam esse mortuam; cum Iesus diceret eam "dormire", "irridebant eum" (Mc 5, 40) ; postea "obstupuerunt stupore magno" (Mc 5, 42). Ergo Iesus vocem "dormire" alio sensu adhibuit quam ordinario.[8]

---

[7]Felder l.c. II p. 360-1; Dausch p. 164-6.

[8]Cur Iesus dixerit puellam "dormire", exegetae non consentiunt; fortasse ut removeret turbam. Cf. Knabenbauer, Mt I p. 414-8.

Urg. Narratio haec tam similis est refocillationi Samsonis (Jud 15, 19) et viri aegyptiaci (1 Reg 30, 12) ut dicenda sit esse *ficta secundum V.T.*
R. *N.* Cf. Lagrange, L p. 256.
Dices 2. Si resurrectio *Lazari* esset factum, synoptici eam non tacuissent.
R. Est merum argumentum ex silentio. Cf. supra p. 192; Lagrange, Gospel II p. 103-4.

b. Quoad *expulsiones daemonum*

A priori nihil obstat quin evangelistae usi sint vocibus 'lunaticus', 'daemoniacus' etc. sensu tunc usitato, licet homines illi non fuerint possessi a daemone (infra p. 648-9). A posteriori autem constat possessiones illas non fuisse meros morbos psychicos vel nervosos. Etenim a) evangelistae (ex quibus Lucas fuit medicus) clare *distinguunt* inter possessiones et hos morbos, sive in diversis individuis sive in eodem (v.g. Mt 8, 16; 10, 1; Mc 1, 34; 6, 13; L 4, 40-1; 6, 18; 7, 21). b) Iesus aliter *tractavit* aegrotos, aliter daemoniacos; daemoniacis numquam imposuit manum, sed daemonem "increpuit". c) Aliqui saltem daemoniaci manifestaverunt *scientiam superhumanam;* nam Iesum statim proclamaverunt Messiam (Mc 1, 24; 3, 11; 5, 7; L 4, 41); atqui morbi illi non augent scientiam; saltem non dant scientiam superhumanam.[9]

Praeterea, critici non consentiunt qui morbi sint identici cum possessione; et si possessio fuisset morbus ordinarius, adhuc explicandum esset quomodo unum verbum Iesu suffecerit ad sanationem.[10]

Dices 1. Sicut facit quivis medicus prudens, Iesus *se accommodavit* errori populi.[11]
R. *N.* a) Iesus se professus est magistrum religiosum, et semper correxit errores in rebus *religiosis;* ergo in his rebus non potuit se accommodare errori; atqui possessioni daemoniacae subest elementum religiosum, scil. exsistentia daemonum eorumque potestas super homines. b) Si Iesus non putasset dari veram possessionem (v.g. quia non dentur daemones), facile refutasset *pharisaeos* in J 8, 48 negando suppositum; erant enim multi inter Judaeos qui negabant exsistere daemones. c) *Medici* dicunt tali accommodatione aegrotos potius perturbari quam sanari.
Dices 2. *Non exsistunt daemones.* Ergo narrationes evangelicae de expulsionibus daemonum carent fundamento.
R. 1 (apol.) Exsistentia daemonum probari potest historice (saltem cum magna *probabilitate*) ex quibusdam factis, scil. ex malis praestigiis, ex oraculis antiquis, ex ipsis possessionibus de quibus agitur in thesi.— Probata thesi 19 autem sic arguere licet: Nisi daemones exsisterent, Iesus alios decepisset vel ipse misere deceptus esset; nam eos alloquitur,

---

[9] Ob hanc rationem, F. W. Meyers (Human Personality II p. 190-1) admisit dari possessionem.
[10] Grandmaison III p. 128-140; Prat, J.-Chr. II p. 345-7; Dausch p. 153-6.
[11] Smit p. 3-4, 37-40, 191-6.

eos increpat, eos vetat loqui, eis imperat. Atqui utrumque consequens contradicit eius *sapientiae* et *sanctitati*.[12]

R. 2 (dogm.) Exsistere angelos, bonos et malos, est de *fide*.[13]

Dices 3. Nulla expulsio daemonum legitur in J. Cf. supra p. 150.

R. *C*. Sed inde nihil sequitur; est enim silentium mere negativum. Ioannes, qui scripsit diu post synopticos, iure supponere poterat haec miracula Iesu esse nota Christianis secundae vel tertiae generationis.[14]

Dices 4. Mirum est expulsiones daemonum narrari de sola *Galilaea*.

R. *C*. Sed etiam hoc silentium est mere negativum. Fortasse Iesus etiam expulit daemones in Judaea, vel daemoniaci ibi erant pauciores.[15]

Dices 5. Saltem expulsiones daemonum non constituunt *specialem* classem miraculorum. Nam eadem verba (θεραπεύειν, ἰᾶσθαι) de eis adhibentur ac de aegrotis ordinariis.

R. *N*. a) Eadem quidem verba adhibentur 7 vel 8 vicibus, sed plus quam 50 vicibus legitur phrasis stereotypica "et eiciebat daemonium". b) Iesus et evangelistae saepissime *distinguunt* inter daemoniacos et alios aegrotos.[16]

Schol. (dogm.) Est magna similitudo inter *phaenomena* (symptomata) possessionis daemoniacae et hysteriae. Unde nil mirum quod facile confunduntur, et quod rationalistae negant quodlibet discrimen.—Est etiam similitudo quoad *causam proximam;* in utrisque enim deest dominium rationis humanae super quasdam facultates (cognoscitivas, appetitivas, motrices). Et cum medici vix surgant ultra causas proximas, difficile agnoscunt discrimen.—Possessionem fere semper comitatur *disturbatio* organica vel functionalis, quae est vel condicio vel effectus eius.

Discrimen stat in *causa ultima*. In possessione enim diabolus assumit dominium super facultates hominis (fere sicut hypnotizator regit hypnotizatum); hinc se identificat cum homine et eius nomine loquitur. In morbis istis nervosis vel physicis autem facultates sibi relinquuntur.[17]

c. Quoad *sanationes aegrotorum* dicit C. J. Wright (p. 315): "We cannot regard the Gospel accounts of human ills as scientific diagnoses, such as modern medical practitioners would give". Sed hic est hypercriticismus; num plurimi casus narrati requirebant diagnosim scientificam; v.g. caecitas a nativitate, manus arida, fluxus sanguinis, lepra?

d. Quoad *miracula cosmica*. a) Valor testimonii de his miraculis vix minor est quam de aliis; ergo si haec reiciuntur, omnia sunt reicienda. b) Methodus qua rationalistae reiciunt ea, est prorsus

---

[12]Smit p. 1, 196-275; DieckmannR p. 610; A. Monnin, The Curé of Ars p. 182-201.

[13]Suarez, De Angelis VII c. 1; Pesch III n. 359.

[14]Smit p. 181-4; Simón I p. 217.

[15]Simón I p. 217; Prat, J.-Chr. I p. 347.

[16]Smit p. 209-210, 245-250.

[17]Smit p. 250-275; Reatz p. 63-6; Fröbes II p. 123; de Tonquédec, Les maladies nerveuses etc. (1938).—A possessione differt *circumsessio*, in qua daemon mere vexat hominem ab extrinseco. Cf. L 13, 11-17 (mulier curvata).

arbitraria. Ut enim probent hos eventus fuisse naturales, arbitrarie mutant textum: addunt, omittunt, substituunt. Quo iure?[18]

Dices: Ioannes contradicit synopticis quoad *multiplicationem panum.*

R. *N.* Nulla est contradictio si dicitur (cum multis exegetis) duas fuisse multiplicationes panum. Sed narrationes etiam conciliari possunt si dicitur 4 evangelistas narrare eundem eventum.[19]

2. Veritas philosophica

Nota. Nihil dicimus de *modo interno* quo effectus miraculosi producti sint; v.g. *quomodo* aqua mutata sit in vinum. De hoc nihil scimus.

1. Miracula Iesu nequeunt explicari per *vires notas*: Nam

a. Quaedam ex eis *ratione sui et subiecti* superant virtutem omnium causarum creatarum vel saltem mundanarum; v.g. suscitatio mortui, conversio instantanea aquae in vinum, sanatio instantanea manus aridae.

b. Alia opera excedunt virtutem creatam vel saltem mundanam *ratione modi* (externi) quo fiebant. Nam a) Iesus sanavit infirmos distantes (v.g. filium reguli); b) multos leprosos, caecos, surdos et mutos sanavit solo tactu vel vocis imperio; solo vocis imperio etiam sedavit tempestatem et fluctus.

c. Ut miracula semper consideranda sunt in concreto, ita attendenda sunt etiam haec *adiuncta miraculorum Iesu*: a) absentia cuiuslibet apparatus vel medii, b) multitudo et varietas miraculorum Iesu, c) certitudo qua effectus sequebatur imperium, d) actio omnibus manifesta, ita ut etiam suspicio artis humanae vel fraudis excluderetur.

Dices 1. Expellere daemones non excedit vires naturales; nam etiam *exorcistae Judaei* et *pagani* solebant eos expellere.

R. Saltem erat magnum discrimen quoad *modum* (externum) quo Iesus eos expulit; quod discrimen ipsi Judaei perceperunt (Mc 1, 27).[20]

Dices 2. Iesus non semper sanavit sola voce; interdum adhibuit *media;* v.g. a) lutum ad sanandum caecum (J 9, 6); b) ritus quasi magicos (Mc 7, 32-6; 8, 22-5).

R. ad a) *Dist.* media naturaliter apta vel quae putabantur apta *N.* alia *Tr.* Sputum tunc putabatur medicinale, sed non lutum ex sputo.—ad b) Hae actiones poterant esse symbolicae.[21]

2. Miracula Iesu nequeunt explicari per *vires occultas*: Nam

---

[18] Falcon p. 252.

[19] Sigge p. 149-153.

[20] Dausch p. 155; Goebel p. 188.

[21] Lebreton, Life etc. II p. 33; Prat, J.-Chr. II p. 65; Knabenbauer, Mc p. 217; Dausch p. 393, 395-6; Lagrange, The Gospel etc. I p. 250, 312.

a. Si miracula Iesu patrata essent viribus naturalibus, etiam occultis, deberet esse proportio naturalis inter tria: vires ipsas, modum quo adhibebantur, effectum productum.

Atqui in miraculis Iesu erat *evidens disproportio.*

Ergo miracula Iesu non sunt patrata ope virium naturalium, etiam occultarum.

Prob.M. Naturaliter (sive aperte sive occulte) a) effectus determinati produci non possunt nisi b) per media determinata c) applicata modo determinato; si unum ex his tribus varietur, etiam duo alia variantur, vel saltem unum.

Hoc principium, quod est fundamentale, constat ex *vita cotidiana* atque in dies magis confirmatur per *progressus scientiarum.* Cogita quomodo agricola obtinet fructus determinatos agrorum vel arborum; cogita quam accurate scientistae praeparent sua experimenta ut perveniant ad determinatos effectus; cogita instrumenta diversa et curam anxiam medicorum in operationibus chirurgicis. Vel lege, si vis, opera magica ab Houdini patrata: quanta praeparatio, quantum studium, quantus labor.

Ultima ratio autem huius principii est quod omnis vis creata est *limitata,* ac proinde nequit agere extra certos limites.

Prob.min. Opera mirabilia Iesu erant plurima numero et genere, patrata quolibet tempore et loco, sine ullo apparatu aut praeparatione, solo tactu vel vocis imperio etc.

b. Si Iesus miracula patrasset ope virium naturalium, etiam occultarum, ipse eas aut cognovisset aut non.

Atqui utrumque consequens est absurdum.

Ergo etiam antecedens.

Ad M. Evidenter non sufficit una vis naturalis ad patranda omnia miracula Iesu, sed deberent esse *multae.*

Prob.min. a) Si Iesus dicitur *novisse* has vires—quaerimus: Unde in parva urbe Galilaeae hausit suam notitiam? Cur nemo alius eas novit? Cur nemo eas hucusque invenit? Praeterea, si Iesus sic egisset, fuisset mendax et fraudulentus; nam non tantum permisit ut homines putarent sua opera esse praeternaturalia, sed ipse id non semel affirmavit. Atqui talis fraus repugnat sanctitati habituali Iesu.—b) Si hae vires dicuntur egisse *Iesu inscio* ("automatice", uti dicit R. Bultmann)—quaerimus: Cur ipse eas adhibuit prout eis eguit et prout ei libuit? Quomodo potuit esse certus de effectu? Cur hae vires non agunt nobis insciis?

Obiectiones

1. Multa opera Iesu valde similia sunt factis *spiritismi*. Atqui haec facta non excedunt vires naturae.

R. *N.M.* In genere: Facta spiritismi ad summum dici possunt similia miraculis *cosmicis;* sed quid de aliis 3 classibus? Praeterea quadruplex discrimen statui potest: a) Opera Iesu erant *plurima numero et genere,* et conferebant ad salutem hominum; facta spiritismi autem sunt fere semper eiusdem generis, non excitant desiderium melioris vitae, nocent sanitati corporis et animae. b) Opera Iesu fiebant summa *facilitate* ac certitudine, sine apparatu technico, quolibet tempore et loco, solo nutu vel verbo, etiam in personas absentes et inscios; modus quo spiritistae perficiunt sua opera, his sub omni respectu contrarius est. c) Finis operum Iesu erat *gloria Dei;* hinc omnia adiuncta erant decentia, modesta, gravia; finis operum spiritismi autem est satisfacere curiositati et promovere commodum proprium. d) Iesus ipse erat exemplar *sanctitatis;* spiritistae plerumque sunt viri vel feminae famae dubiae.[22]

2. *Sanationes mirabiles* Iesu varie explicantur. Sed iterum quaeritur: Quid de aliis 3 classibus? His enim applicari nequeunt explicationes quas rationalistae proferunt pro sanationibus.

a. Iesus sanavit aegrotos ope *suggestionis* vel hypnosis.

R. *N.* Haec est gratuita hypothesis et contradicit factis.

Suggestio est imperium quo directe excitatur et dirigitur *imaginatio* atque per eam actio. Imperium procedere potest vel a subiecto ipso (autosuggestio) vel ab alia persona; in hoc altero casu, subiectum potest esse sui conscium vel inconscium (hypnosis). Suggestionem facilius subeunt homines imaginativi, emotionales, voluntatis debilis.[23]

Sanatio per suggestionem (*psychotherapia*) a) restringitur ad paucos morbos; scil. psychotherapia sanari possunt morbi qui (partim vel totaliter) pendent ab imaginatione, emotionibus, mala conscientia etc.; sanari non possunt morbi in quibus organum laesum est (morbi 'organici'). b) Methodus sanationis variari debet pro diversis morbis. c) Sanatio postulat plus vel minus temporis. d) Suggestio inefficax est quoad absentes et nescientes.[24]

Atqui a) nemo dicet omnes vel fere omnes aegrotos qui undique portati sunt ad Iesum, laborasse ex imaginatione; immo multi ex eis habuerunt *morbos 'organicos'* (lepram, ariditatem, febrim). b) Nulla erat variatio *methodi* pro morbis diversissimis. c) Si unam excipias, sanatio semper effecta est *in instanti.* d) Sanati sunt etiam aegroti qui longe distabant et *ignorabant* num aut quando Iesus eos sanare vellet.—Ubi vero sanatio per suggestionem a priori possibilis erat, ostendi potest hanc methodum de facto non esse adhibitam.[25]

Urg. Mulieri cum fluxu sanguinis Iesus ipse dixit: "*Fides tua te salvam fecit*" (Mt 9, 22). Ergo sanatio erat effectus autosuggestionis.

R. Medici negant talem fluxum sanari posse nisi per operationem chir-

---

[22]Transmittimus quaestionem num ulla facta spiritismi sint genuina. Qua de re cf. H. Thurston, The Church and Spiritualism; Gearon, Spiritism; its Failure; Houdini, Miracle Mongers and their Methods; H. Kellock, Houdini ch. 20-21.

[23]DieckmannR p. 611; Fröbes II p. 551-574.

[24]Grandmaison III p. 144-8; Allers, Psychology of Character.

[25]Falcon p. 252-3; Grandmaison III p. 148-150, 292-8.

urgicam. Neque enim fluxus debebatur hysteriae, quae sanari potest autosuggestione.[26]

Urg. Distinctio inter morbos 'organicos' et 'functionales' hodie dubia est. Ita C. J. Wright p. 314.

R. *N.* Distinctionem adhuc retinet 'Der grosse Herder'.

b. Iesus sanavit aegrotos sicut sanant "Christian Scientists" (mind cure, faith healing) vel sicut *psychoanalystae*.

R. *N.* Horum methodi non differunt essentialiter a psychotherapia.[27]

Urg. Saltem Iesus maximam efficaciam tribuit *fidei aegrotorum*. Sic a) Iesus laudavit eorum fidem (Mt 9, 22; Mc 5, 34; L 8, 48; 17, 19; 18, 42) et tristatus est ubi deerat fides (Mt 17, 16 et par.); b) Iesus fidem exegit tamquam condicionem sanationis (Mt 9, 28-9; L 8, 50); c) evangelistae quoque notant aegrotos fide ductos esse ad Iesum (Mt 8, 5-10; 9, 2; 15, 28; Mc 5, 28).

R. Imprimis tria notanda sunt quoad facta: a) Iesus *non semper* postulavit fidem ante sanationem; eam non postulavit a paralytico (J 5) neque a caeco nato (J 9); eam *numquam* postulavit a daemoniacis; b) interdum fidem postulavit *ab aliis* quam a sanandis (v.g. a centurione); c) aeque sanati sunt *9 leprosi* qui non ostenderant eandem fidem ac Samaritanus (L 17, 12-19).—Dein fides quam Iesus postulavit, non est eadem quam medici postulant (quae potius est fiducia: trust, confidence). Haec enim adiuvat quidem sanationem, sed ipsa non sanat, saltem non in instanti; atqui sanationes omnes Iesu (unica excepta) erant *instantaneae*. Hinc fides quam Iesus interdum postulavit, non erat praeparatio psychologica (ut in casu medicorum), sed *moralis;* unde etiam patet cur Iesus eandem fidem postulaverit ut posset dimittere *peccata*.

Urg. Post recens bellum, milites qui ex 'shell shock' facti erant caeci, surdi, muti etc., in instanti sanati sunt. "A sudden shock effects what the unscientific mind would call a miracle" (C. J. Wright p. 156). Ergo sanatio *instantanea* non probat miraculum.

R. Num 'shell shock' erat etiam causa morborum quos sanavit Iesus? Num Iesus adhibuit eundem modum sanationis?

3. Veritas theologica

1. *Positive*: a) Inter opera mirabilia Iesu sunt *suscitationes mortuorum*. Atqui suscitare mortuum est solius Dei; nam anima defuncti in manu solius Dei est. b) Iesus saepe professus est se facere signa "in virtute Dei", et opera sua esse "opera Patris"; atqui hoc eius testimonium omnino credibile est—uti patet ex eius *sapientia* et *sanctitate*. c) Virtus qua Iesus patrabat miracula, apparet *illimitata* (cf. Schol.); atqui virtus illimitata solius Dei est.

2. *Negative*: a) Nullum est indicium *caudae serpentinae* in miraculis Iesu: nullus egoismus, nulla vana ostentatio, nulla spes lucri.[28]

---

[26]Dausch p. 163.

[27]Grandmaison III p. 282-291; Cath. World, Dec. 1932 p. 296-301; The Month, Aug. 1937 p. 126-134.

[28]Falcon p. 256-7.

b) Iesus non tantum regnum suum semper *opposuit* regno diaboli (J 12, 31; 14, 30; 16, 11), sed etiam efficaciter redarguit Judaeos qui dixerant eum ope daemonis eicere daemonia: "Si satanas satanam eicit, adversus se divisus est; quomodo ergo stabit regnum eius" (Mt 12, 26)?

Obiectio

Inter opera Iesu erant quaedam quae *contradicunt sanctitati Dei,* et quae proinde non poterant esse patrata a Deo. Nam a) cum aquam convertit in vinum (J 2, 1-11), Iesus excitavit homines ad *ebrietatem;* immo, uti patet ex verbis architriclini (v. 10), eis procuravit vinum cum iam essent inebriati. b) Cum daemones immisit in porcos (Mt 8, 28-34), dominis eorum magnum *damnum* intulit. c) Cum Iesus sanaret sabbato, Judaeos induxit ut et ipsi *violarent sabbatum.*

R. *N.ass.* ad a) *Dist.* Iesus positive excitavit homines ad ebrietatem *N.* praebuit materiam qua homines abuti poterant *Tr.* Nonne Creator idem facit cotidie? Et quae est creatura qua homines non possint abuti? Convivas autem iam fuisse ebrios ante miraculum Iesu, male infertur ex verbis architriclini, quae sumi possunt proverbialiter.—ad b) Duo responderi possunt: a) Iesus tantum *permisit* ut daemones intrarent in porcos. b) Iesus agere potuit *qua Deus;* Deus autem est dominus supremus rerum omnium.[29]—ad c) Iesus Judaeos docere voluit legem caritatis praevalere legi sabbati, et se esse dominum sabbati.

Cor. Ergo 4 classes operum mirabilium Iesu de quibus in thesi, erant *vera miracula.*

4. Veritas relativa

1. Nisi Deus voluit *approbare* praedicationem Iesu, non poterat permittere ut tot ac tanta miracula per vel circa eum praedicantem fierent.

2. Iesus ipse posuit *nexum* inter suam praedicationem et sua miracula (patrata vel patranda). Scil.

a. Iesus saepe *modo generico* appellavit ad sua miracula: "Opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me" (J 5, 36; cf. 10, 25; 10, 37; 10, 38; 14, 10-12; 15, 24).

Dices: In his locis vox 'opera' (ἔργα) non clare significat miracula; potest significare omnia quae Iesus fecit.

R. a) Saltem miracula non excluduntur. b) Miracula sunt 'opera' sensu excellenti. c) Iesus ipse vocavit 'opera' sanationem miraculosam (J 7, 21) et resurrectionem (J 5, 20-1).

b. In multis casibus *particularibus,* Iesus hunc nexum distincte posuit vel asseruit. Sic sanavit paralyticum ut Judaei crederent eum posse dimittere peccata (Mt 9, 6-7); Lazarum suscitavit a mortuis

---

[29] Lagrange, Mc p. 137-8.

"ut credant quia tu me misisti" (J 11, 41-2); urbibus Galilaeae maledixit quia eius miracula neglexerant (Mt 11, 20-4); suam messianitatem Iesus probavit discipulis Ioannis Bapt. monstrando sua miracula (Mt 11, 2-6). Specialem vim apologeticam tribuit expulsionibus daemonum (Mt 12, 28; L 11, 20): "Si ego in spiritu Dei eicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei".

3. *Apostolis* obvia erat vis probativa miraculorum. Nam ipsi crediderunt in eum propter eius miracula (J 3, 2; 9, 35-38; 7, 31) et ad ea appellaverunt ut alios converterent ad Iesum (J 20, 30-1; Act 2, 22).

Obiectiones

1. Ratio cur Iesus patravit miracula, erat eius *misericordia* (cf. Mt 15, 32; Mc 8, 2; L 7, 13), non autem quia voluerit aliquid probare. Ita Harnack.

R. *Dist.* ratio unica aut primaria *N.* aliter *Tr.*[30]

2. Si Iesus miraculis voluisset confirmare suam praedicationem—a) indesinenter patrasset miracula eaque quam maxima et indubia, donec omnes crederent; b) ea patrasset coram peritis, non coram rudi populo; c) numquam recusavisset miraculum petentibus.

Atqui a) Iesus saepe non patravit miracula cum potuit (cf. J 11, 37; Mt 27, 40); b) neque omnia eius miracula erant stupenda; v.g. non creavit alium mundum; c) Iesus recusavit miraculum pharisaeis (Mt 12, 39) et Herodi (L 23, 8-10), qui illud petiverant.

Ergo Iesus practice negavit vim apologeticam miraculorum.

R. *N.M.* ad a) Iesus tot et talia miracula patrare debuit ut *homini bonae voluntatis* sufficerent. Ad hoc per se sufficiebat unum; Deus enim ne semel quidem potest esse testis erroris. De facto tamen, Iesus patravit miracula maxima et plurima (numero et genere); ut enim finem suum citius et facilius obtineret, praestabat ut miracula aliquomodo abundarent.[31]—ad b) De facto, Iesus generatim patravit miracula *publice* et coram omni classe hominum.—ad c) Merito Iesus sic egit. Judaei enim semper nova signa quaerebant quasi Iesus nulla fecerit, vel omnia miracula suis oculis cernere volebant vel exspectabant ignem de caelo etc. Herodes autem exspectabat vanum spectaculum, merae curiositatis causa.

Urg. Iesus saepe prohibuit ne miracula sua *divulgarentur*.

R. Cf. supra p. 220-1 de secreto messianico.[32]

3. Iesus a) usum apologeticum miraculorum reiecit tamquam tentationem diaboli (Mt 4, 5-7), et b) beatos dixit eos qui "non viderunt et crediderunt" (J 20, 29).

R. ad a) *N.* vel *Dist.* miraculorum quae ei suaserat diabolus *C.* aliter *N.*—ad b) Iesus beatiores quam Thomam dixit eos qui in eum credunt

---

[30]Qui attente legerit evangelia, inveniet Iesum patrasse miracula ad triplicem finem: a) ut confirmaret suam praedicationem, b) ut adiuvaret miseros, c) ut se exhiberet remedium omnium malorum. Cf. Falcon p. 256; Simón I p. 210-2.

[31]van Laak, Mot. p. 122-5.

[32]van Laak, Mot. p. 117-9.

quamvis resurrectionem non viderint suis oculis. Signum superbiae enim est non credere testimonio fide digno.

Urg. Iesus *reprehendit* regulum qui exspectabat miraculum antequam crederet: "nisi signa et prodigia videritis, non creditis" (J 4, 48).[33]

R. a) Quamvis in J legatur "ad eum", Iesus potius reprehendit Galilaeos quam regulum (patet ex "videritis" et "creditis"); Galilaei enim credere debuerant eius testimonio et iam viderant eius miracula in Jerusalem (J 4, 45). b) Iesus videtur loqui de miraculis stupendis ("prodigia"), qualia Judaei exspectabant a Messia populari.[34]

Urg. Iesus saepe postulavit fidem *ante* miracula. Ergo non putavit ea ducere vel adiuvare ad fidem.

R. *Dist.ant.* postulavit eandem fidem quam miraculis producere voluit *N.* diversam *C.* Quae diversitas in eo erat quod Iesus proposuit aliam veritatem credendam, vel aliud motivum credendi, vel postulavit maiorem intensitatem fidei etc.[35]

4. Saltem Iesus negavit *suscitationem mortuorum* iuvare ad fidem: "Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent" (L 16, 31).

R. *Dist.ass.* in genere *N.* quoad Judaeos coaevos *subd.* propter inefficaciam talis miraculi apologetici *N.* propter malam dispositionem *C.*

5. Iesus ipse proposuit *aliud criterium* quo diiudicemus eius praedicationem ut divinam: "Si quis voluerit voluntatem eius (Patris) facere, cognoscet de doctrina (mea)" (J 7, 17).

R. *Dist.ass.* sensu aiente *Tr.* sensu negante *N.* Bona voluntas et vita iuxta mandata Dei sunt dispositio generalis ad cognoscendam et admittendam revelationem.

Cor. Ergo quilibet homo sincerus cum *Nicodemo* dicere debet: "Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister; nemo enim potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo" (J 3, 2).

Schol. *Omnipotentia Iesu*

Etiam prophetae V.T. patraverant miracula. Est tamen magnum discrimen in concreto: a) Singuli prophetae patraverunt miracula pauca; Iesus patravit miracula *plurima* ac *maxima,* ac praesertim manifestavit potentiam absolutam super daemones; nam imperat et exeunt. b) Iesus sibi plene *conscius* fuit suae potentiae; numquam enim dubitavit utrum miraculum fieret necne. c) Suam potentiam Iesus *communicavit* etiam discipulis, idque solo imperio. Quae omnia satis manifestant potentiam *illimitatam* seu omnipotentiam.

Unde (per circulum legitimum) duo sequuntur:

a. Cum Iesus non patravit quaedam miracula, ipse *sibi im-*

---

[33] Ita Harnack, Wesen etc. p. 19.

[34] Lagrange, J p. 126; Knabenbauer, J p. 192-3; Tillmann p. 119; van Laak, Mot. p. 119-121; Fillion, Les Miracles etc. I p. 103-5; II p. 113; Holzmeister, in VD 1938 p. 294-9.

[35] van Laak, Mot. p. 121.

posuit limites. Sic noluit patrare miracula a) qualia petiverant pharisaei et Herodes, b) quibus confirmaretur falsa notio Messiae, c) ubi deerat omnis fides in suam missionem, d) ut se liberaret a passione et morte.[36]

b. Merito Iesus *sibi* adscripsit sua miracula. Interdum quidem dixit se patrare miracula "in spiritu Dei (v.g. Mt 12, 25-8) vel "in digito Dei" (L 11, 20), vel ea adscripsit "Patri"—sed ex adiunctis patet eum sic locutum esse ut probaret veritatem theologicam suorum miraculorum, praesertim ut redargueret pharisaeos qui ea adscripserant Beelzebub.[37]

[36]DieckmannR p. 476-8.
[37]Falcon p. 255-6. Quoad explicationem dogmaticam, cf. Pesch IV n. 345.

Thesis 21

In confirmationem suae praedicationis, Iesus veras prophetias edidit.

Cf. DieckmannR p. 584-626; Dorsch I p. 686-699; Duplessy II p. 417-435; Falcon p. 261-283; FelderA I p. 205-215; idem, Christ etc. II p. 112-131; Garrigou-Lagrange p. 533-544; Goebel p. 195-201; Grandmaison III p. 36-50; van Laak, Rep. p. 150-177; Lahousse II p. 75-91; Langan p. 239-243; Lercher I p. 213-220; Muncunill I p. 331-6; van Noort, Rev. p. 114-9; Ottiger I p. 749-757; Tanquerey I p. 303-311; Wilmers p. 347-357; idem, Lehrb. II p. 151-5.

Prophetia (vaticinium) est certa et univoca praedictio rei futurae, praesertim liberae, quae ex causis naturalibus cognosci nequit, et cuius cognitio Deo debetur (supra p. 64).

Prophetiae Iesu

A. *In genere*

1. Loquimur de iis vaticiniis quae *Iesus ipse* edidit, non de "vaticiniis messianicis", quae scil. edita sunt a prophetis V.T. circa Messiam futurum. De his cf. thesim 24.

2. Legenti evangelia patet Iesum multa praedixisse de seipso, de Apostolis, de Ecclesia, de Judaeis etc. Quodsi spectatur *tempus impletionis,* haec vaticinia in 3 classes distribui possunt: a) ea quae iam diu impleta esse debent; v.g. de trina negatione Petri; b) ea quae nondum implenda erant; v.g. de fine mundi; c) ea quae nondum plene implenda erant; v.g. de perpetuitate et indefectibilitate Ecclesiae.

Ad finem nostrum seligimus ea quae iam plene *impleta* esse debent. Unde ad veritatem *historicam* duo probanda sunt: praedictio (cum tempore impletionis) et impletio.

B. In specie seligimus *3 series* vaticiniorum Iesu:

1. Ea quae referunt ad *passionem* et *mortem* eius:[1]

a. *Post confessionem Petri,* Iesus Apostolis praedixit se "multa pati debere", se reprobandum esse a principibus populi et "occidi et tertia die resurgere" (Mt 16, 21 et par.). Petrum, qui talia audire noluit, Iesus vehementer reprehendit (Mt 16, 22-23 et par.).

---

[1]Addimus etiam praedictiones Iesu de sua *resurrectione,* sed de eis non agemus distincte nisi in thesi 22.

b. Eandem praedictionem Iesus repetivit *mox postea* "cum praetergrediebantur Galilaeam" (Mt 17, 21-22 et par.). Ne iterum reprehenderentur, Apostoli "timebant interrogare eum".

c. *In ultimo itinere ad Jerusalem,* Iesus clare indicavit tempus passionis suae et varias circumstantias minutas: "Ecce ascendimus Ierosolymam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum, et tertia die resurget" Mt 20, 18-19 et par.). Ergo haec omnia fieri debuerunt *tempore itineris.*

d. *Duobus diebus ante eventum,* Iesus clarius praedixit tempus et modum mortis: "Scitis quia *post biduum* Pascha fiet, et filius hominis tradetur ut crucifigatur" (Mt 26, 2).[2]

2. Ea quae referunt ad *negationem Petri:* Paucis horis ante eventum enim Iesus clare praedixit ipsam trinam negationem eiusque tempus (Mt 26, 34 et par.).[3]

3. Ea quae referunt ad *destructionem Jerusalem:*

a. Iesus bis praedixit circumvallationem urbis, maximam miseriam incolarum, totalem destructionem *urbis* (Mt 23, 38; 24, 15-21 et par.).

b. De *templo* Iesus praedixit: "Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur" (Mt 24, 2 et par.).

c. Iesus praedixit Judaeos, post destructionem urbis et templi, ductum iri *"captivos in omnes gentes"* (L 21, 24).

d. Tempus quo haec omnia fient, clare enuntiatur in Mt 24, 34 *"non praeteribit generatio haec* donec omnia haec fiant".[4]

Thesis videtur esse critice et historice *certa,* saltem si varia vaticinia simul sumuntur. Dogmatice est *de fide*: D 1790, 1813. Cf. etiam D 1707 (de veritate historica vaticiniorum).

---

[2]Aliae praedictiones passionis et mortis, utpote obscuriores, minoris momenti sunt apologetice: Mt 9, 15 ("auferetur sponsus"), 20, 28 ("dare animam"), 21, 39 (Filium "occiderunt"), 26, 10-12 ("ad sepeliendum"); J 3, 14 ("exaltari oportet"); 8, 28; 12, 32-4. Haec tamen adhiberi possunt indirecte iuxta principium: Dicta obscura et indeterminata explicanda sunt iuxta dicta clara et determinata. Cf. Grandmaison III p. 43-50.—Omittimus etiam praedictionem *proditionis Judae,* quia ex evangeliis non clare constat eam fuisse praeternaturalem.

[3]Non est certum eandem praedictionem contineri in L 22, 32 ("et tu aliquando conversus"). Cf. infra p. 377.

[4]supra p. 224. Idem tempus innui videtur in Mt 24, 20 "orate ut non fiat fuga vestra . . . *sabbato"* (scil. quia discipuli adhuc observarent legem), et in L 23, 28 "super *vos ipsas* flete".

ADVERSARII

1. Multi rationalistae negant veritatem *historicam* sive praedictionum sive impletionis.

a. Jülicher (Introd. p. 372), R. Bultmann etc. putant praedictiones Iesu de sua passione et morte esse meras fictiones communitatis christianae. Alii concedunt "nucleum veritatis". Wrede admittit praedictiones quas Iesus edidit paucis diebus ante mortem; cetera negat.

Fere omnes negant historica esse vaticinia de *destructione urbis;* dicunt a) vel evangelia synoptica scripta esse post 70, et haec vaticinia esse fictiones evangelistarum, vel b) si admittunt synoptica scripta esse ante 70, dicunt vaticinia esse interpolata.

b. Alii admittunt praedictiones citatas esse genuinas et historicas, sed negant eas esse *veras prophetias,* quatenus a) sint nimis vagae, vel b) fuerint merae coniecturae Iesu.[5]

c. Speciatim rationalistae uno ore clamant Iesum praedixisse destructionem urbis coincidere cum fine mundi; hinc negant hanc praedictionem *impletam* esse.

2. Alii rationalistae concedunt praedictiones illas earumque impletionem, sed eas tribuunt naturali *sagacitati* Iesu vel constanti lectioni et meditationi *V.T.*[6]

THESIS PROBATUR

1. Veritas historica

A. PRAEDICTIO

1. Praedictiones citatae sunt *genuinae* (non-interpolatae). Nam a) non est dubium serium ex critica textuali; b) si quis voluisset interpolare, cur non interpolavit praedictiones plures et clariores? c) Speciatim quoad vaticinia de destructione urbis cf. supra p. 119.

2. Praedictiones sunt etiam *historicae.* Nam

---

[5] Unde loquuntur de "dark hints", "premonitions", "dim forebodings" etc. Cf. Felder l.c. II p. 121.

[6] Sic scribit Conrad Noel: "He knew 'in his bones' that Jerusalem would inevitably be destroyed if he could not turn the nation from its disastrous policy; just as Savonarola knew that the sack of Rome was inevitable, or the war prophets of our own time know that certain cities of Europe will be destroyed by poisonous gases within the next few years, if we do not discern the signs of the times and repent ourselves" (Life of Jesus p. 556).

a. In genere tria dici possunt: a) Evangelia nostra sunt per se credibilia. b) Tales sunt discrepantiae inter evangelistas ut pateat eos esse testes aliquomodo independentes; ergo accipiendae sunt saltem illae praedictiones quae a pluribus narrantur. c) Si quis (communitas vel evangelista) voluisset fingere praedictiones Iesu, cur finxit tam paucas? cur non clariores? cur non de aliis rebus?

b. In specie: a) Praedictiones de passione ac morte Iesu sparsae sunt per 4 evangelia, atque intime cohaerent cum aliis factis dictisque Iesu; ergo si essent fictae, ficta dicenda esset magna pars evangeliorum. b) Praedictiones de destructione urbis mire concordant cum indole Iesu: nullum gaudium secretum, nulla ironia, nullus spiritus vindictae. c) Si speciatim consideremus statum mentis evangelistarum vel Ecclesiae infantis, a priori improbabile est eos finxisse praedictionem negationis Petri; Ecclesia infans enim habuit Iesum Deum et Petrum caput Apostolorum.

Dices 1. Praedictio *negationis Petri* non est historica; saltem evangelistae non concordant. Marcus enim eam sic refert: "Priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus". Secundum ceteros autem Iesus mere dixit "antequam gallus cantet".

R. Non est contradictio, sed Marcus accuratius refert id quod ceteri evangelistae referunt modo populari.

Dices 2. Saltem *particularia* praedictionum, praesertim de passione et morte Iesu, addita sunt post eventum.

R. *N*. Evangelistae id fecissent vel scienter (ex fraude praemeditata) vel ex confusione memoriae. Atqui a) primum gratis asseritur; b) ex contextu patet Apostolos (v.g. Petrum in Mt 16, 22) horruisse has praedictiones quia erant tam clarae.

3. Nimis evidens est praedictiones has fuisse de eventibus *futuris liberis*. Passio et mors Iesu, sicut etiam destructio urbis et fatum Judaeorum, pendebant a libera voluntate multorum hominum simul sumptorum; negatio trina Petri pendebat a libera eius voluntate.

4. Iesus fuit *subiective certus*. Nam non est locutus haesitanter vel dubitanter. E contra, a) firma persuasio Iesu elucet ex modo quo monuit Petrum post praedictionem passionis (Mt 16, 21-3) et trinae negationis (Mt 26, 34). b) Ut Apostoli crederent suae praedictioni de destructione urbis, solemniter addidit: "Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt" (Mt 24, 35).

Obicit Celsus: Si Iesus certus fuisset de sua passione et morte, eam *vitasset*.

R. Cur Iesus non potuit habere rationem altiorem? Nonne etiam alii homines mortem voluntarie subeunt?

5. Praedictiones hae non erant vagae aut ambiguae, sed *univocae,* saltem si omnes praedictiones de eodem eventu simul sumuntur.

Dices: Saltem duae praedictiones non erant *clarae.* Nam a) Apostoli non intellexerunt praedictiones de Iesu passione et morte (L 9, 45; 18, 34; 24, 21); b) exegetae adhuc dubitant quid sit "abominatio desolationis stans in loco sancto" (Mt 24, 15).

R. ad a) Apostoli non intellexerunt ob sua praeiudicia; putabant enim Messiam fore gloriosum, ac praesertim eum non esse moriturum (cf. Mt 16, 22; J 12, 34).—ad b) *Dist.* praedictio non intellegebatur ab iis in quorum bonum editum est *N.* a nobis iam non intellegitur *Tr.*[7]

Urg. *Inutile* erat praedicere id quod non poterat intellegi.

R. a) *Tr.* Quaestio non est de utilitate, sed de veritate. b) *N.* Apostoli postea recordari poterant praedictionem, et sic confirmari in sua fide. Cf. J 2, 22; 12, 16.

B. IMPLETIO

1. Praedictiones Iesu de sua *passione* et *morte* ad amussim esse impletas, evidens est ex 4 evangeliis, Act, epistolis Paulinis.

2. Evangelistae omnes narrant trinam *negationem Petri.*

Dices: Evangelistae *sibi contradicunt* in narranda negatione.

R. *Dist.* quoad substantiam eventus *N.* quoad accidentalia *Tr.* vel *subd.* in multis *N.* in paucis *Tr.*[8]

Urg. In sua praedictione (Mc 14, 30), Iesus vocem *'ter'* sane intellexit sensu negante, i.e. non pluries. Atqui Petrus negavit Iesum quinquies (Dionysius Carth. dicit sexies, Caietanus septies).

R. Duplex dari potest responsum: a) Iesus potuit intellegere 3 diversas *occasiones,* non 3 actus physicos; b) negationes non debent addi, sed compenetrari.[9]

3. Praedictiones Iesu de *destructione Jerusalem* esse impletas, constat ex historia. Fl. Josephus, coaevus, fuse narrat obsidionem et eversionem totalem urbis ac templi anno 70, atque dispersionem Judaeorum.[10]

Dices: Iesus etiam praedixit destructionem urbis *coincidere* cum fine mundi. Atqui id non evenit.

R. *N.M.* Cf. supra p. 223-4.

Nota. Verba Iesu *"non relinquent in te lapidem super lapidem"* plene verificata sunt anno 70; "the prophecy was fulfilled as a general statement, not to be pressed with extreme and utter literalness" (Dean). Postea destructio magis completa est. Nam a) sub Hadriano, nova urbs "Aelia Capitolina" aedificata est, cuius centrum erat templum Jovis (ita Dio Cassius); b) anno 363, cum Julianus Apostata vellet instaurare templum ut probaret praedictionem Iesu esse falsam, ipsae ruinae destructae

---

[7]Knabenbauer, Mt II p. 327; Mc p. 348; Schürer I 2 p. 230; Lagrange, Mc p. 234.

[8]Evangelistae tamen eam aliter et aliter narrant.

[9]Durand, in DA II col. 772; Lagrange, The Gospel etc. II p. 240-2; Simón I p. 568-570; Holzmeister, in VD 1936 p. 107-112.

[10]Schürer I 2 p. 235-247.

sunt igne et terrae motu (id quod narratur non tantum a Patribus, sed etiam a scriptoribus paganis coaevis). Hodie manet tantum "Wailing Wall".[11]

2. Veritas philosophica

Praevisio horum eventuum erat *naturaliter impossibilis*. Nam

1. Quoad *passionem* et *mortem* Iesu: a) Naturaliter Iesus forte conicere poterat se serius ocius occisum iri; sed etiam hoc *dubium* manere debuit, cum Iesus frueretur favore populi, quem duces timebant (Mc 14, 2), et cum mori posset ex aliquo morbo. At b) certe *speciem* mortis suae Iesus naturaliter praevidere non poterat. Nam crucifixio a solo praeside romano decerni poterat, et Iesus sibi conscius erat se non commisisse crimen capitale; multo probabilior erat mors violenta in tumultu; v.g. per lapidationem (sicut Stephanus occisus est). c) Nullo modo autem Iesus praevidere poterat *particularia* passionis et mortis.

Dices: Iesus se firmiter putabat Messiam praedictum in V.T. Atqui Messias *praedictus* erat ut patiens et moriens (cf. infra p. 337-8). Ergo Iesus naturaliter cognoscere poterat hos eventus.

R. a) Certe *rationalistae* ita arguere non possunt; hi enim nulla vera vaticinia admittunt. b) Judaei coaevi prorsus *neglexerant* vaticinia V.T. de passione et morte Messiae. c) Iesus addidit varia *particularia* ad vaticinia V.T.; v.g. tempus, flagellationem, crucifixionem.

Urg. Iesus ipse indicavit V.T. ut *fontem* suae praevisionis: "Ecce ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia quae scripta sunt per prophetas de filio hominis" (L 18, 31).

R. *Dist.* his verbis Iesus voluit indicare fontem suae praecognitionis *N.* voluit fidem facere suis praedictionibus iam ante eventum *C.*

2. Quoad *negationem Petri.* Ante eventum, maxime *improbabile* erat Petrum umquam negaturum esse Iesum. Petrus enim, quamvis indolis sanguineae, erat discipulus devotissimus Iesu: cum Iesus praediceret negationem, Petrus sincere protestatus est se velle potius mori; ut Iesum defenderet in horto, paene occidit militem.— Prorsus *impossibile* autem erat praevidere trinam negationem, et quidem intra tempus determinatum. Iesu capto enim, Petrus potuit se abscondere usque mane vel diutius.

Obicit Strauss: Vox 'ter' a Iesu sumebatur sensu *indefinito*.

R. a) Gratis asseritur. b) Quid de tempore negationis?

---

[11]Prat, J.-Chr. II p. 238-9; Knabenbauer, Mt II p. 311-2; Felder, Christ etc. II p. 130-1; Schürer I 2 p. 244, 246, 306-8, 320-1; H. V. Morton, In the Steps of the Master p. 24-47. Lagrange, The Gospel etc. II p. 171: "It makes little difference to the fulfilment of the prophecy if a few bits of these walls are still standing as witnesses to the ancient splendour that has vanished. Artists come to admire them now as they were once admired by the simple Galilaeans".

3. Quoad *destructionem urbis et templi.* a) Ipsa revolutio, cuius tristis exitus erat haec destructio, vix suspicari poterat Iesu vivo. Vires militares Judaeorum enim tam exiguae erant ut nemo sanae mentis cogitaret de bello instituendo contra Romanos. b) Jerusalem tam firmiter munita erat ut inexpugnabilis videretur; teste Fl. Josepho, Titus ipse miratus est quod urbem capere potuerit. c) Neque quisquam ante eventum praevidere potuit tantam miseriam qualem Iesus praedixit et qualis de facto evenit.

Dices: Dubitare licet num miseria fuerit *omnium maxima,* qualem Iesus praedixit (Mt 24, 21).

R. Verba Iesu non necessario sumenda sunt sensu prorsus literali.

Templum autem destructum iri, ante eventum incredibile erat. Nam a) Romanis mos erat conservare templa nationalia; b) templum fortius erat quam urbs; c) Titus expressum mandatum dederat militibus ut templum conservaretur.

Tandem unde Iesus scivit *tempus* horum eventuum?

3. Veritas theologica

Eo tempore quo Iesus edidit has praedictiones, nemo praeter Deum pro certo praevidere poterat istos eventus: a) Non homo, uti probavimus; b) neque angelus; nam eventus praedicti pendebant a libera voluntate hominum, et unus saltem (scil. destructio urbis etc.) nimis distabat tempore.[12]

Cor. Ergo praedictiones allatae Iesu erant *vera vaticinia;* omnibus enim convenit definitio vaticinii.

4. Veritas relativa

1. Deus non potuit dare Iesu praedicanti talem cognitionem praeternaturalem nisi voluerit *confirmare* praedicationem eius, atque imprimis eius testimonium de seipso.

2. Ubi Iesus praedixit destructionem urbis, ipse posuit *nexum;* nam addidit ea fieri "eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae" (L 19, 44), i.e. eo quod me non suscepisti ut Messiam.

Schol. 1. *Alia vaticinia Iesu*

1. Inter vaticinia Iesu etiam numeranda sunt eius *miracula.* Idque ob duplicem rationem: a) Interdum enim Iesus sat clare *praedixit* miraculum futurum; v.g. ante resurrectionem Lazari

[12] van Laak, Rep. p. 173-6.

(J 11, 23), ante primam missionem Apostolorum (L 9, 1-2) etc. b) Interdum vaticinium erat potius implicitum, scil. quatenus Iesus se plane *certum* exhibuit de miraculo futuro; v.g. ante capturam piscium (L 5, 4), ante capturam piscis cum statere (Mt 17, 26), ante suscitationem filiae Jairi (Mt 9, 24) etc.

2. Iesus varia vaticinia edidit quae adhuc exstant *implenda,* saltem complete; v.g. de perpetuitate Ecclesiae (Mt 16, 18), de ultimo iudicio (Mt 25, 31-46) etc. Haec esse vera vaticinia et ad amussim implenda, *apologetice* probari potest a) ex sapientia et sanctitate Iesu, b) (per circulum legitimum) ex probata divinitate Iesu.

3. Inter haec vaticinia speciali mentione dignum est illud quod Iesus edidit ut praemium *Mariae Magdalenae.* Postquam enim haec pia mulier unxit pedes Iesu, ipse praedixit: "Amen dico vobis, ubicunque praedicatum fuerit hoc evangelium *in toto mundo,* dicetur et quod haec fecit in memoriam eius" (Mt 26, 13; cf. Mc 14, 9). Vaticinium hoc impletum esse usque hodie, constat. Eratne tamen tunc probabile factum tam parvi momenti in vita Iesu celebratum iri ubique terrarum?

Schol. 2. *Omniscientia Iesu*

Iesus manifestavit etiam *alias cognitiones superhumanas:* cognitionem rerum absentium (Mt 17, 26; J 1, 48; 4, 18; 4, 29; 11, 11-15), scrutationem cordium (Mt 9, 3-4; 16, 7-8; J 3, 25; 6, 65) etc. Atque ex scrutatione cordium Apostoli cognoverunt eius scientiam illimitatam: "Nunc scimus quia *scis omnia,* et non opus est ut quis te interroget" (J 16, 30).[18]

---

[18]Felder, Christ etc. II p. 114-7; Lercher I p. 213-4; Hervé I p. 202.

Thesis 22

In confirmationem suae praedicationis, Iesus Nazarenus, sicut praedixerat, a mortuis resurrexit.

Cf. DieckmannR p. 627-675; Dorsch I p. 664-686; Duplessy II p. 294-347; Falcon p. 283-304; FelderA I p. 244-265; idem, Christ etc. II p. 370-432; Garrigou-Lagrange p. 512-529; Goebel p. 201-231; Grandmaison III p. 155-238; Hervé I p. 207-229; van Laak, Mot. p. 139-194; idem, Rep. p. 137-150; Lahousse II p. 125-180; Langan p. 254-271; Lercher I p. 199-213; Muncunill I p. 226-242; van Noort, Rev. p. 129-150; Ottiger I p. 786-846; Pesch I n. 196-203; Suarez, De myster. vitae Christi, Disp. 45 s.1; Tanquerey I p. 312-333; Wilmers p. 357-379; idem, Lehrb. II p. 156-160.

Momentum thesis

Inter omnia motiva credibilitatis eminet resurrectio Iesu. Ad hanc *Iesus* ipse saepius provocavit ut sigillum divinae suae missionis. Hanc *Apostoli* ut praecipuum praedicationis suae argumentum proposuerunt, eamque *Paulus* diserte religionis christianae tesseram fecit, scribens Corinthiis: "Si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides vestra" (1 Cor 15, 14). Eandem per 19 saecula, omnes, et *defensores* et *adversarii,* totius fidei christianae cardinem habuerunt.[1]

Nec mirum. Resurrectio enim est miraculum splendidissimum, quod non tantum ex natura sua conexum est cum divinitate Iesu (quatenus *propria virtute* e sepulchro rediit), sed ab eo electum est in coronidem omnium mirabilium suorum, ac velut in *sigillum supremum* universae suae praedicationis.

Hinc die Paschatis, Ecclesia non cessat repetere in Missa et Officio: "Haec est dies quam fecit Dominus; exsultemus et laetemur in ea".

Resurrectio

1. Secundum conceptum vulgarem, resurrectio breviter definiri potest: *Reditus ad vitam.* Cum autem resurrectio supponat *mortem,* accuratius definiri potest (cum Suarez): Revocatio corporis ad vitam quam morte amiserat. Atque resurrectio *humana* est recuperatio vitae amissae per mortem, ita ut iterum habeatur idem homo qualis fuerat ante mortem.

---

[1]Falcon p. 302-4; Lebreton, Life etc. II p. 432-7.

2. Ex psychologia constat vitam deberi *animae,* et mortem essentialiter consistere in separatione animae a corpore. Hinc resurrectio humana philosophice definitur: *"Reunio eiusdem animae et eiusdem corporis quae morte separata erant, ita ut iterum habeatur idem homo".*

Duo notanda ad hanc definitionem:

a. *Reunio* non intellegitur mere extrinseca, sed talis ut anima sit iterum *forma substantialis corporis*—sicut fuerat ante mortem; secus enim non adesset vera vita aut verus homo post mortem.

b. *Identitas* animae et corporis intellegitur talis ut, secundum communem aestimationem hominum, idem dicatur homo *ante* mortem et *post* resurrectionem.

3. Sicut in qualibet mutatione, ita distinguere possumus resurrectionem in fieri et in facto esse. Resurrectio in fieri est ipse transitus a morte ad vitam. Resurrectio in facto esse est vita recuperata, seu (in concreto) homo nunc vivens qui antea mortuus erat.

In thesi directe agimus de resurrectione *in facto esse.* Nullus enim homo vidit transitum Iesu a morte ad vitam—sicut discipuli postea viderunt ascensionem in fieri, scil. transitum a terra ad caelum (Act 1, 9).[2]

At resurrectio in facto esse metaphysice *supponit* resurrectionem in fieri—sicut quaevis mutatio in facto esse supponit mutationem in fieri.

Quoad probationem:

Per se quidem ostendenda esset quadruplex veritas resurrectionis Iesu (sicut in thes. 20 et 21). At a) nemo negat veritatem *philosophicam;* resurrectio enim evidenter est contra leges materiae sibi relictae et contradicit persuasioni universali hominum; immo rationalistae eam negant quia putant eam esse absolute impossibilem. b) Neque est qui neget veritatem *theologicam;* solus Deus enim potest et praeparare materiam et reducere animam ad eam.

Sed probanda est a) veritas *historica* resurrectionis Iesu, quae quam maxime impugnatur. Et cum resurrectio vera supponat mortem veram, b) prius probandum est Iesum vere *mortuum* esse. c) Probanda etiam est veritas *relativa,* ob quam haec thesis ponitur in Apologetica. Tandem d) addimus *praedictionem* resurrectionis Iesu, ut habeamus commoda argumenti ex prophetia impleta.

---

[2]"Evangelium Petri" (apocryphum) narrat resurrectionem in fieri; quae narratio caret omni veritate historica. Cf. Lebreton, Life etc. II p. 405-6.

Unde thesis habet 4 partes:

1. Iesus praedixit suam resurrectionem.
2. Iesus vere mortuus et sepultus est.
3. Iesus tertia die resurrexit.
4. Iesus resurrexit in confirmationem suae praedicationis.

Thesis est critice et historice *certa.* Dogmatice est *de fide.* Vel magis distincte: a) Iesus vere mortuus et sepultus est, et tertia die resurrexit: *de fide divina et catholica* (D 6, 40, 54, 86).[3] b) Iesus praedixit suam resurrectionem, et c) resurrexit ut confirmaret suam praedicationem: *De fide ex clara Scriptura.*

Prima pars probatur

Nota. Fontes unde haec pars probatur, sunt *evangelia synoptica.* Neque Act neque epistolae Paulinae praedictionem resurrectionis commemorant. Atque apologetice minus valent, utpote obscuriora, tria dicta Iesu in J, scil. "solvite templum hoc" (J 2, 18-22), "iterum sumam" animam meam (J 10, 17-18), "iterum modicum et videbitis me" (J 16, 17).[4]

Tribus primis occasionibus quibus praedixit suam passionem et mortem (cf. supra p. 289), Iesus clare et explicite addidit se tertia die resurrecturum esse. Magis implicite, at clare, eadem praedictio continetur in aliis dictis Iesu, in quibus tamen omittitur tempus: a) *Post transfigurationem* "praecepit eis dicens: Nemini dixeritis visionem donec Filius hominis a mortuis resurgat" (Mt 17, 9; cf. Mc 9, 8). b) *In ultima coena* mandavit Apostolis: "Postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam" (Mt 26, 32; cf. Mc 14, 28).

Plura notanda:

a. *Genuinitas.* Uti patet inspicienti editiones criticas evangeliorum, non est dubium textuale de his dictis Iesu.

b. *Historicitas.* Haec dicta non esse ficta, constat ex probata veracitate synopticorum eorumque concordia, praesertim vero ex *reactione Judaeorum;* nam post crucifixionem Iesu "convenerunt principes sacerdotum et pharisaei ad Pilatum dicentes: Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens 'post 3 dies resurgam'. Iube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium" (Mt 27, 62-4).[5]

---

[3] Quo sensu intellegenda sit resurrectio, cf. D 2036-7.

[4] Ob eandem rationem praestat omittere Mt 12, 38-40 et L 11, 30 (signum Jonae).

[5] Lagrange, Mt p. 535-6.

c. Praedictio Iesu erat *univoca* in se (resurrectio ipsa) et quoad tempus (tertia die, i.e. post crucifixionem).

Dices: Iesus ipse quidem dixit "tertia die", sed auditores intellexerunt "post tres dies". Ergo tempus est *ambiguum*.

R. Tempus sufficienter determinatum erat; pars diei enim computabatur ut dies integer. Atque pharisaeis evidenter idem sonabant "post 3 dies" et "in diem tertium".[6]

d. Iesus fuit *subiective certus* de sua resurrectione; numquam enim dedit signum dubii vel merae coniecturae.

Obicit Hase: Si Iesus fuisset certus de sua resurrectione, non tam *tristis* fuisset in horto.

R. *N.* Malum proxime imminens (passio et mors) vim suam exercebat etsi non diu duraret.

e. Iesus praedixit suam resurrectionem *corporalem.* Id constat a) ex contextu; nam Iesus ibidem locutus est de flagellatione corporali et de occisione corporali, et nisi intendisset resurrectionem corporalem, additum 'tertia die' non haberet sensum. b) Idem constat ex eo quod Iesus adhibuit eandem phrasim (ἀνιστάναι ἐκ νεκρῶν) qua alibi significavit resurrectionem corporalem; v.g. de Ninivitis (Mt 12, 41), de Lazaro (J 11, 23), de resurrectione generali (Mc 12, 25) etc. Idem tandem patet c) ex petitione pharisaeorum, qui sane impedire voluerunt resurrectionem corporalem.

Dices: Si Iesus clare praedixisset suam resurrectionem, discipuli eum *intellexissent.* Atqui discipuli non poterant capere "quid esset: cum a mortuis resurrexerit" (Mc 9, 9), et post Iesu mortem omnem spem abiecerunt (L 24, 21).

R. *N.M.* In idea populari Messiae non continebatur eius mors; resurrectio autem supponit mortem (supra p. 293).

Secunda pars probatur

Nota. a) Fontes unde probamus hanc partem, sunt 4 evangelia, Act, epistolae Paulinae. b) Iesum vere mortuum esse in cruce, etiam probari potest ex ipsa crucifixione eiusque adiunctis in casu Iesu.[7] Sed apologetice multo fortius est argumentum ex *testibus.* Immo non desunt exegetae catholici qui putent Iesu mortem deberi *miraculo.*

Verum est id quod, in re sibi gravissima, affirmant (explicite vel implicite) multi testes: immediati et fere immediati, amici et inimici, officiales et privati.

Atqui tale testimonium habemus de morte et sepultura Iesu.

Ergo Iesus mortuus et sepultus est.

Prob.min.

---

[6] DieckmannR p. 660; Zorell s.v. νύξ.

[7] Pesch I n. 198; Wilmers p. 365-9.

a. Quoad *mortem* Iesu

Omnes evangelistae, Petrus (in Act), Paulus (in Act et epistolis) eam explicite affirmant sub diversis expressionibus: Mt "emisit spiritum" (ἀφῆκεν τὸ πνεῦμα), Mc et L "expiravit" (ἐξέπνευσεν), J "tradidit spiritum" (παρέδωκεν τὸ πνεῦμα); Petrus dicit in Act 2, 23 ἀνείλατε et in 5, 30 διεχειρίσασθε; Paulus in 1 Cor 15, 3 habet "mortuus est" (ἀπέθανεν); idem in Act 13, 28-37 evidenter supponit veram mortem.

Dein pars substantialis narrationis evangelicae reicienda esset nisi Iesus vere mortuus esset in cruce. Nam a) *Pilatus* non permisit ut corpus Iesu sepeliretur nisi postquam a centurione certior factus est Iesum vere mortuum esse. b) *Milites* missi ut frangerent crura crucifixorum, cum viderent "Iesum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit" (J 19, 33). Num haec omnia dicenda sunt ficta?

Porro a) *inimici Iesu* non permisissent ut Iesus de cruce tolleretur nisi in eo percepissent signa manifesta mortis. b) *Amici* eius (Josephus ab Arimathaea, Nicodemus, Ioannes Ev., Mater Iesu, piae mulieres) non permisissent ut Iesus sepeliretur si etiam levissimum dubium habuissent de eius morte. c) *Apostoli* et *discipuli* non tam increduli fuissent cum tertia die audirent eius resurrectionem.

Tandem ipsi *rationalistae* hodie irrident theoriam mortis apparentis.

Dices 1. *Pilatus* dubitavit num Iesus mortuus esset (Mc 15, 44).

R. *C.* Sed deposuit dubium postquam audivit centurionem (Mc 15, 45). Scil. Pilatus iudicaverat secundum ea quae ordinarie fiebant in crucifixione; atqui ordinarie crucifixi non tam cito moriebantur, sed per diem et amplius in cruce vivebant.

Dices 2. Mors Iesu non est attestata ab ullo *medico;* ergo non est certa.

R. Centurio erat testis *officialis,* eiusque testimonium acceptum est a Pilato.

Urg. Unicum signum certum mortis est *putrefactio.* Atqui a) nemo testatus est putrefactionem corporis Iesu; b) in V.T. praedictum erat Messiam non esse visurum corruptionem (Ps 15, 10).

R. *Dist.M.* ubi agitur de morte violenta (v.g. cum caput abscinditur) *N.* aliter *Tr.*[8]—In casu Lazari, soror eius testata est putrefactionem (J 11, 39 "iam foetet"), et tamen rationalistae quidam dixerunt eum tantum apparenter mortuum esse.—Quoad vaticinium V.T. cf. infra p 339-340.

Nota. Duo facta mira narrantur, scil. Iesus moribundus exclamavit *"voce magna"* (Mt 27, 50 et par.), et ex latere eius fluxit *"sanguis et aqua"* (J 19, 34). Disputant exegetae num haec fuerint miracula; saltem ex eis argui nequit contra veram mortem.[9]

---

[8]Grandmaison III p. 158; DThC s.v. Mort col. 2497.

[9]Knabenbauer, Mt II p. 544; J p. 565; Lagrange, Mc p. 436; J p. 499; Tillmann p. 328; Dausch p. 361; Prat, J. Chr. II p. 407.

b. Quoad *sepulturam* Iesu

Iesum a) sepultum esse, explicite traditur a 4 evangelistis, et supponitur in argumentis Petri (Act 2, 24-31) et Pauli (Act 13, 29). Evangelistae etiam testantur b) sepulchrum fuisse *privatum* (non commune aut publicum); fuit id quidem privilegium, sed Pilatus annuit.[10] c) Matthaeus etiam narrat *custodiam* esse positam ad sepulchrum, ut caveretur omnis suspicio fraudis.[11]

c. *Res gravissima*

Impossibile est ut testes erraverint. Nam a) erat officium *militum, centurionis, Pilati* curare ut Iesus vere moreretur; legaliter enim capitis damnatus erat. b) *Inimici Iesu* iam diu moliti erant eius mortem, et Pilato tandem eodem die omnibus viribus persuaserant ut Iesum capitis damnaret. c) Pro *Apostolis* tantum vera mors Iesu erat finis spei quam foverant, et vitae apostolicae.

Tertia pars probatur

1. Adversarii

A. *Theoria mythorum*

Iuxta Strauss, tota narratio de resurrectione Iesu est mythus (fabula, legenda) ortus sub influxu mythorum orientalium (Isis in Aegypto, Tammuz in Babylonia, Attis in Phrygia etc.).—Novo apparatu critico, eandem theoriam multi defenderunt post ortam "scholam comparatae religionis"; v.g. T. K. Cheyne, Bible Problems p. 100-130.

Praeter argumenta quibus in hac thesi probatur resurrectio Iesu, tres rationes speciales statim afferri possunt contra hanc theoriam: a) Deerat *tempus* ad formandum talem mythum; Petrus enim praedicavit resurrectionem iam 50 dies postea (Act 2, 24; 2, 32). b) Gratis asseritur et maxime improbabile est mythos istos orientales *notos* fuisse Judaeis coaevis Iesu, praesertim piscatoribus Galilaeae, et ab eis adoptatos esse. Cur Apostoli non intellexerunt Iesum cum praediceret resurrectionem? c) Theoria neglegit immensam *dissimilitudinem* inter mythos istos et resurrectionem Iesu.[12]

---

[10] Prat, J.-Chr. II p. 431-3.

[11] Grandmaison III p. 158-9; 299-306; Knabenbauer, Mt II p. 553-4.

[12] DieckmannR p. 634-5; Grandmaison III p. 155, 219-225; Felder, Christ etc. II p. 398-401; Prümm I p. 337-435; J. Orr, The Resurrection of Jesus

B. *Theoria mortis apparentis* (swoon theory)

Secundum H. G. Paulus, Iesus tantum apparenter mortuus est in cruce, nec proinde vere resurrexit. Extra theosophos autem haec theoria hodie relicta est et ludibrio habetur.[13]

C. Aliae theoriae rationalistarum

Hodie rationalistae generatim admittunt Iesum vere mortuum esse in cruce atque sepultum esse. Etiam admittunt primos Christianos firmiter credidisse resurrectionem Iesu. Cum autem nolint admittere resurrectionem ut factum, varias theorias excogitaverunt ut explicarent duas narrationes evangeliorum in quibus fundabatur fides Christianorum, scil. de sepulchro vacuo et de apparitionibus.

1. Quoad *sepulchrum vacuum*

a. Judaei coaevi dixerunt Apostolos *furatos* esse corpus Iesu, ac dein praedicasse eius resurrectionem (cf. Mt. 28, 13). Eandem theoriam repetivit Celsus (saec. 2), Toldoth Iesu (medio aevo), Woolston et Reimarus (saec. 18).—Rationalistae quidam hodierni dicunt corpus Iesu clam ablatum esse ab Iosepho ab Arimathaea vel a Judaeis ipsis.[14]

b. Strauss dixit corpus Iesu sepultum esse in *"fossa communi"*; unde cum Apostoli praedicarent resurrectionem Iesu, nemo eis contradicere poterat, afferendo cadaver Iesu adhuc mortuum. Eandem theoriam recenter renovaverunt Loisy et Guignebert. Eam iam refutavimus probando corpus Iesu positum esse in monumento privato et novo.

2. Quoad *apparitiones*

Transmissa quaestione de sepulchro vacuo, plurimi rationalistae agunt de variis apparitionibus, atque negant multas, si non omnes, esse historicas. Nihilominus post varias eliminationes semper manent aliquae apparitiones explicandae. Hinc tres theoriae:

a. Theoria *amplificationis*: Apostoli modo generali dixerant se vidisse Iesum, quatenus nempe firmiter crediderunt eius immortalitatem; sed eorum discipuli exaggeraverunt haec dicta Apostolorum et paulatim crediderunt Iesum vere apparuisse Apostolis.[15]

---

p. 235-261; Thorburn, The Resurrection Narratives p. 200-8; H. G. Wood, Did Christ Really Live? BN p. 420-2.

[13] DieckmannR p. 631-2; Pesch I n. 201; Grandmaison III p. 199-201; Felder, Christ etc. II p. 408-410.

[14] Felder, Christ etc. II p. 410-4.

[15] Ita v.g. Weizsäcker, The Apostolic Age I p. 1-19.

b. Theoria *hallucinationum*: Apostoli habuerunt apparitiones; sed hae erant pure imaginariae, autosuggestiones, "visiones subiectivae". Primo Maria Magdalene aliaeque mulieres, dein Petrus et Apostoli, demum totus coetus fidelium sibi persuaserunt se vidisse Iesum redivivum—quamvis Iesus nemini apparuerit.

Hanc theoriam olim proposuerat Celsus; hodie eam tenent fere omnes rationalistae, atque etiam Strauss eam admisit in "A New Life of Jesus".[16]

c. Theoria *visionum obiectivarum*: Iesus non apparuit Apostolis in carne, sed ita eos visitavit in spiritu ut putarent eum esse praesentem in carne. Apparitiones igitur erant illusiones potius quam hallucinationes.

Hanc theoriam proposuit Th. Keim (Hist. of Jesus of Nazara VI p. 360-5), eique favet C. J. Wright (Miracle etc. p. 334-365).[17]

D. *Protestantes*

Protestantes "orthodoxi" tenent resurrectionem Iesu sicut nos. Sed post Schleiermacher, Ritschl etc., multi eam interpretantur *sensu spirituali,* scil. quatenus anima Iesu nunc sit beata in caelo, vel quatenus Iesus propter mortem suam factus sit obiectum fidei nostrae, vel quatenus Iesus semper vivat in Ecclesia et suos adiuvet ("ego vobiscum sum") etc.[18]

Huc pertinet distinctio inter "factum paschale" (i.e. Iesum resurrexisse) et "fidem paschalem" (i.e. Apostolos firmiter credidisse resurrectionem); multi Protestantes negant illud, admittunt hanc. Ita v.g. Harnack (Wesen etc. p. 101-3).

E. *Modernistae*

Secundum eos, resurrectio, utpote res supernaturalis, non potest cognosci nisi *fide* (cf. D 1625, 2036); quae fides debet esse "experientia" interna, qualem habuit Paulus in via ad Damascum.

---

[16]DieckmannR p. 635-6; Grandmaison III p. 212; Felder, Christ etc. II p. 415-8; Thorburn l.c. p. 185-8.

[17]Grandmaison III p. 213; Felder, ib. p. 429; Thorburn, l.c. p. 136-140, 189.

[18]"The modern critics speak of the resurrection with warm unction, but understand by it at best his spiritual, psychical ascent into heaven, chiefly, indeed, only as his continued life in the faith of his disciples; indeed, many behold in the resurrection nothing more than a symbol of triumphant humanity" (Felder ib. II p. 379).

2. Probatio

Nota. Duo prima argumenta sunt independentia ab invicem; unde se invicem confirmant. Duo ultima argumenta pendent a secundo, quamvis etiam sumi possint ut interna, i.e. ex modo quo res narrantur.

Arg. 1. *Ex fide Ecclesiae infantis*

Ecclesia infans firmiter credidit resurrectionem corporalem Iesu.

Atqui haec fides inexplicabilis esset nisi Iesus tertia die vere a mortuis resurrexisset.

Ergo Iesus tertia die vere a mortuis resurrexit.

Prob.M. a) Ne *rationalistae* quidem dubitant hac de re.[19] b) In Act narratur Petrum et Paulum constanter *praedicasse* resurrectionem Iesu ut dogma fundamentale fidei christianae; atqui dubium non est quin Ecclesia infans crediderit id quod Apostoli tanta emphasi praedicabant. c) Synoptici certo crediderunt resurrectionem Iesu; eam enim narrant in suis evangeliis. Atqui haec continent *catechesim primitivam* (cf. supra p. 141-3). d) Licet Paulus epistolas suas scripserit etiam ad ecclesias quas ipse nondum inviserat, tamen resurrectionem non probat, sed eam *supponit* notam et acceptam ubique.[20]

Porro haec fides erat *firmissima* et *práctica.* Ob eam enim Christiani totam vitam mutaverunt in melius et parati erant mortem subire.[21]

Prob.min. Nisi resurrectio Iesu fuisset factum, haec fides fundaretur in mera fictione vel hallucinatione. Atqui fictio et hallucinatio non explicant tantam fidem tot hominum. Omnino enim negamus id quod dicit Baur: "What history requires as the necessary antecedent of all that is to follow, is not so much the fact of the resurrection of Jesus, as the belief that it was a fact" (Church Hist. I p. 42). Status abnormalis numquam producit aliquid novum et permanens.

Arg. 2. *Ex testibus fide dignis*

Iesum tertia die resurrexisse, affirmatur a) a multis testibus immediatis vel fere immediatis, quibus b) erat res gravissima, quam c) non admiserunt nisi ob rationes graves.

Atqui tale testimonium nequit esse falsum.

Ergo Iesus tertia die resurrexit.

---

[19] Felder, ib. II p. 378-381.
[20] Felder, ib. II p. 375-7; Grandmaison III p. 188.
[21] Grandmaison III p. 194-9; Prümm I p. 420.

Prob.M.

1. *Testes* sunt 4 evangelistae, Petrus, Paulus.

a. Narratio resurrectionis est evidenter *pars substantialis* 4 evangeliorum. Evangelistae enim non tantum affirmant nudum factum resurrectionis, sed etiam narrant Iesum, inde a tertia die usque ad diem Ascensionis, multis apparuisse redivivum diversis temporibus ac locis. Ex his *Matthaeus* erat testis oculatus quoad multa; *Marcus* suam cognitionem facile haurire poterat ex Petro, teste immediato; *Lucas* eam habere potuit ab iis "qui ab initio viderunt et ministri fuerunt sermonis". *Ioannes* testatur se vidisse sepulchrum vacuum, narrat 4 apparitiones et partem suam specialem in una (J 21); resurrectionem etiam supponit in 2, 22.

b. *Petrus,* statim post Ascensionem, posuit criterium apostolatus in testimonio resurrectionis (Act 1, 22); inde autem a die Pentecostes non cessavit publice praedicare resurrectionem Iesu (Act 2, 32; 3, 15; 3, 26; 4, 10; 5, 30; 10, 40).

c. *Paulus* quavis occasione praedicavit resurrectionem Iesu eamque habuit fundamentum fidei et spei christianae: Act 17, 31; Rom 4, 25; 6, 9; 7, 4; 8, 34; 14, 9; 1 Cor 15, 4-17; 2 Cor 5, 15; 1 Thess 4, 14; 2 Tim 2, 8 etc.

Dices 1. Apostoli et evangelistae testati sunt resurrectionem Iesu secundum *suum* conceptum resurrectionis. Atqui hic alius esse potuit quam noster.

R. *N.supp.* Apostoli potius formaverunt suum conceptum ex factis quorum fuerant testes.[22]

Dices 2. Paulus non intellexit resurrectionem Iesu sensu corporali, sed spirituali. Patet a) ex 1 Cor 15, 47 "Primus homo de terra, terrenus; secundus homo (i.e. Christus) de caelo, *caelestis*"; b) ex 2 Cor 3, 17 "Dominus autem *spiritus* est".

R. Paulum praedicasse resurrectionem corporalem Iesu, constat ex variis rationibus: a) Ipse adhibet *voces easdem* (ἀνιστάναι, ἐγείρειν) quas adhibent evangelistae cum narrant resurrectionem; atqui hi certo intellexerunt resurrectionem corporalem. b) In 1 Cor 15 Paulus loquitur de morte et sepultura Iesu *corporali;* ergo etiam de eius resurrectione corporali. c) Ibidem Paulus proponit resurrectionem Iesu ut exemplar *nostrae;* atqui nostram evidenter intellexit corporalem: "Quomodo resurgent mortui? *Qualive corpore* venient?" (v. 35).[23]

2. *Res gravissima*

Apostolorum tota vita ac spes omnis pendebat a resurrectione Iesu. Si enim Iesus non vere resurrexit, redire debuerunt ad

[22]Grandmaison III p. 206.

[23]Inter exegetas catholicos non constat qui sit verus sensus 2 Cor 3, 17. Cf. Prat, Theol. II p. 435-444; Cornely, 2 Cor p. 103-5; Nisius, in Zeitschrift für kath. Theol. 1916 p. 617-675; Lattey, in VD 1940 p. 187-9.

labores priores et exspectationem messianicam; si autem resurrexit, debuerunt esse testes officiales et praecones fidei in Iesum.

3. *Rationes graves*

a. Negative: Apostoli non leviter crediderunt. Cum primo audirent resurrectionem a mulieribus, putabant esse "deliramentum" (Mc 16, 11; L 24, 11); atque unus ex eis, Thomas, ne Apostolis quidem credere voluit (J 20, 25). Petrus, licet oculis suis vidisset sepulchrum vacuum, non credidit, sed "abiit mirans quod factum fuerat" (L 24, 12). Paulus autem, qui ante suam conversionem persecutus erat Ecclesiam Christi, certe non credidit resurrectionem Iesu nisi coactus evidentia factorum.

b. Positive: Apostoli crediderunt propter apparitiones varias et sepulchrum vacuum (ut dicetur in arg. 3 et 4).

Arg. 3. *Ex apparitionibus*

Inde a tertia die post mortem ac dein per 40 dies, Iesus corporaliter apparuit a) multis personis, b) in variis locis, c) diversis temporibus, d) eo fine ut probaret se esse redivivum.

Atqui haec inexplicabilia essent nisi Iesus tertia die vere resurrexisset a mortuis.

Ergo Iesus tertia die vere resurrexit a mortuis.

Prob.M.

1. *Conspectus apparitionum*

a. Apparitiones quae narrantur in nostris fontibus (scil. in 4 evangeliis, Act, epistolis Paulinis), sic distribui possunt secundum *loca* ubi factae esse narrantur: a) In *Judaea* (i.e. in vel circa Jerusalem): Ipso die paschae Iesus apparuit Mariae Magdalene (Mc 16, 9; J 20, 11-18), dein mulieribus (Mt 28, 9). Vespere eiusdem diei apparuit duobus discipulis euntibus in Emmaus (Mc 16, 12; L 24, 13-33) et Apostolis omnibus, absente Thoma (Mc 16, 14; L 24, 36-49; J 20, 19-23). Eodem die, Iesus etiam apparuit Petro singulariter (L 24, 34; 1 Cor 15, 5), sed nescimus ubi. Post 8 dies Iesus apparuit Apostolis cum Thoma (J 20, 24-29).—b) In *Galilaea*: Iesus apparuit 7 discipulis atque Petro contulit primatum (J 21, 1-23), dein 12 Apostolis (Mt 28, 16-20; Mc 16, 15-18), tandem 500 fratribus (1 Cor 15, 6).—c) Iterum in *Judaea*: Iesus apparuit Iacobo (1 Cor 15, 7). Die ascensionis apparuit discipulis, qui etiam viderunt eum ascendere in caelum (Mc 16, 19; L 24, 44-51; Act 1, 4-9; 1 Cor 15, 7).[24]

[24]Quoad visionem quam *Paulus* habuit in via ad Damascum, cf. Schol.—

b. Numerantur communiter *12 apparitiones,* ex quibus in Mt leguntur 2, in Mc 3, in L 5, in J 4, in 1 Cor 6. At non est consensus inter exegetas, etiam catholicos, qui fuerit numerus exactus et ordo chronologicus apparitionum. Etenim a) nullus scriptorum dicit se velle dare catalogum completum; b) Iesus videtur etiam (et quidem primo omnium) apparuisse Matri suae "ut debitam amoris et honoris significationem praeberet" (Suarez); fontes nostri autem silent hanc apparitionem; c) non constat quo ordine ponantur apparitiones in 1 Cor 15, 5-8, aut quomodo componendae sint cum apparitionibus quas tradunt evangelistae.

2. *Genuinitas* narrationum patet inspicienti editiones nostras criticas. Mc 16, 9-20 autem est probabilissime genuinum, vel saltem continet traditionem antiquissimam (cf. supra p. 131-2).

3. *Historicitas* harum narrationum sufficienter constat ex probata credibilitate evangeliorum. Nam a) hae narrationes constituunt sat magnam partem evangeliorum et pertinent ad eorum scopum; b) testes sunt aliquomodo independentes inter se; unde adest consensus quoad substantialia eventus, divergentia quoad accidentalia.

Contra historicitatem tria urgentur a rationalistis: a) In 1 Cor 15, 5-8 *Paulus* voluit dare catalogum completum apparitionum; atqui hic catalogus continet tantum 6; ergo ceterae sunt fictae. b) Iuxta L 24, 44-52, Iesus *eodem die* resurrexit et ascendit in caelum; ergo fictae sunt apparitiones omnes post diem paschae. c) Duplex distingui debet series apparitionum: *judaica,* quae continet apparitiones in et circa Jerusalem habitas, et *galilaea,* quae continet apparitiones in Galilaea habitas. Iamvero ficta est series judaica; nam Matthaeus et Marcus eas silent, sed narrant Iesum praedixisse Apostolis apparitiones in Galilaea (Mt 26, 32; 28, 7-10; Mc 14, 28; 16, 7).[25]

M. Goguel distinguit duas alias series apparitionum; in aliis enim Iesus apparuit ut *glorificatus,* in aliis ut *merus homo.* Goguel censet illas admitti posse, has non.[26]

Resp. In genere responderi potest: Obiectiones istae se invicem conficiunt, atque conclusio deberet esse: ergo *omnes* apparitiones sunt fictae. Atqui ne rationalistae quidem usque eo progrediuntur.—Ad singula · ad a) *N.M.*

Omittimus visiones quas habuerunt Stephanus (Act 7, 55-6), Ananias (Act 9, 10-16), Petrus (Act 10, 10-17; 11, 5-10), Paulus (Act 22, 17-21; 23, 11); hae enim non sunt factae ut probaretur resurrectio Iesu, sed ob alium finem. Omittimus etiam visiones quae narrantur in evangeliis apocryphis. Cf. Grandmaison III p. 181-7.

[25]Ita Schmiedel (in Encycl. Biblica, s.v. Resurrection and Ascension Narratives), K. Lake (The Historical Evidence for the Resurrection of Jesus Christ), Warschauer (Jesus p. 234-5) etc.

[26]Grandmaison III p. 204-6.

Maior gratis ponitur. ad b) *N.ant.* Cf. supra p. 165. ad c) *Aequa* est evidentia pro utraque classe apparitionum; ergo utraque classis aut reicienda est aut admittenda. Silentium Mt et Mc autem explicari potest ex scopo utriusque evangelii.[27]

Etiam contra Goguel dicendum est: *Aequa* est evidentia pro utraque classe apparitionum.

4. Constat igitur Maior. Scil. a) quoad *personas*: Iesus apparuit viris et mulieribus; interdum apparuit uni, interdum multis. b) Quoad *loca*: Iesus apparuit in Judaea et Galilaea, sub tecto et sub divo. c) Quoad *tempus*: Iesus apparuit diversis horis diei ac noctis; at sicut apparitiones non coeperunt nisi tertia die post eius mortem, ita cessaverunt post 40 dies.—Tandem quoad *finem*: Ut se probaret vere redivivum, Iesus non tantum apparuit a longinquo, sed stetit in medio discipulorum; neque tantum videbatur, sed etiam audiebatur et tangebatur; immo ut discipulis incredulis melius persuaderet se esse eundem Iesum, quem antea noverant, cum eis manducavit, atque explicite affirmavit se esse eundem et redivivum.[28]

Prob.min.

Nisi Iesus redivivus corporaliter adfuisset coram discipulis, apparitiones istae fuissent *hallucinationes*. Atqui non erant hallucinationes; nam non sequebantur *leges* earum. Scil. a) hallucinationes supponunt dispositionem hystericam et b) fidem in rem visam, c) generatim non habentur nisi in uno sensu, d) non habentur in diversis personis eodem modo, neque e) cessant subito eodem die apud omnes; tandem f) post cessationem facile agnoscuntur ut hallucinationes (sicut somnia). Atqui apparitiones quas experti sunt discipuli, his omnibus contrariae erant.[29]

Dices 1. *Pii homines* interdum testantur se vidisse Iesum in carne et cum eo conversatos esse. Atqui tale testimonium vix unquam dat certitudinem.

R. *N.par.* ob duplicem rationem: a) Argumenta quibus probatur Iesum apparuisse discipulis, sunt multo *fortiora.* b) Si Iesus apparet aliis hominibus, est favor pure *personalis;* neque hi realitatem apparitionis

---

[27]Lebreton, Life etc. II p. 417-9.—Quoad praedictionem Iesu (et angeli): Ante passionem suam, Iesus quidem voluerat ut Apostoli peterent Galilaeam ibique exspectarent eum redivivum. Sed cum Apostoli obliti essent huius mandati neque crederent mulieribus (L 24, 11), Iesus benigne eis apparuit in Jerusalem.

[28]Felder, Christ etc. II p. 387-397.

[29]Felder, ib. II p. 415-432; Fròbes I p. 230-2; II p. 554-5; Grandmaison III p. 212-9.—Omisimus in argumento 'visiones obiectivas' de quibus Keim fabulatur. Sed haec theoria est non tantum obscura et a paucis tenetur, sed etiam facile refutatur; nam sic vel Deus vel anima Iesu decepisset Apostolos.

aliis probare debent. Sed Apostolis Iesus apparuit eo fine ut fierent testes publici resurrectionis (Act 1, 8; 1, 22).

Urg. Credere apparitionibus aliorum, est signum levitatis et semper ducit ad dubia. Ita Harnack.

R. *Dist.* credere ob ra iones validas *N.* aliter *Tr.*

Dices 2. Testimonium hominum *abnormalium* nihil valet. Atqui post mortem Iesu, discipuli eius erant in statu abnormali; nam "existimabant se spiritum videre" (L 24, 37).

R. *Tr.M. N.min.* Ad prob. *Dist.* id accidit in omnibus apparitionibus *N.* in prima illa *subd.* in initio apparitionis *C.* in fine *N.* In fine enim "gavisi sunt discipuli" (J 20, 20).

Urg. Saltem Petrus passus est *hallucinationes;* patet ex Act 12, 9-11 "existimabat se visum videre" (ὅραμα βλέπειν).

R. *N.ass.* Eventus ille accidit aliquot annis post diem paschae. Scil. Petrus, subito ex somno evocatus, non potuit statim distinguere inter somnium et veram apparitionem; postea clare cognovit obiectivam realitatem apparitionis (Act 12, 11).

Dices 3. Si Deus potuit directe et immediate producere in sensibus discipulorum *eosdem effectus* quos produxisset Iesus corporaliter praesens, apparitiones Iesu non sunt certae. Atqui verum est antecedens.

R. *Dist.M.* si Deus id potuit potentia ordinata *C.* potentia absoluta *Tr.* Si Deus ita egisset, discipulos positive duxisset in errorem.

Dices 4. Visio quam *Paulus* habuit in via ad Damascum, erat mere subiectiva et interna. Atqui apparitiones ceterorum Apostolorum erant *eiusdem naturae;* nam in 1 Cor 15, 5-8, eadem vox ὤφθη adhibetur ut describantur omnes. Ergo etiam apparitiones Apostolorum erant pure subiectivae. Ita J. Weiss.

R. a) *N.M.* Cf. statim. b) *N.supp.* Paulus aequiperat suam visionem visionibus Apostolorum, non vice versa.

Schol. Visio Pauli

1. Factum

Saulus, cum iter faceret in Damascum ut Christianos puniret, subito visionem expertus est, per quam ex inimico infenso nominis christiani mutatus est in magnum Apostolum Iesu. Non potest esse dubium de ipso facto. Ter narratur in Act; scil. semel a Luca auctore (9, 3-19), bis a Paulo ipso (22, 6-16; 26, 12-18); discrepantiae inter has tres narrationes confirmant substantiam eventus (cf. supra p. 171). Praeterea Paulus saepius ad eundem eventum alludit in suis epistolis: 1 Cor 9, 1; 15, 8; Gal 1, 12; 1, 16 etc.[80]

2. Natura visionis

a. Rationalistae generatim dicunt hanc fuisse meram *hallucinationem.* Id quod falsum est. Nam a) non solum Paulus ipse "prae claritate luminis illius" *amisit visum,* sed etiam comites eius *viderunt*

---

[80] Boudou p. 193-9.

lumen et ***audierunt*** vocem; dein ea quae Paulo praedicta sunt in illa visione, postea ***evenerunt***. Atqui talia non fiunt in hallucinationibus. b) In Act 26, 16 et 1 Cor 9, 1 Paulus suum apostolatum ***probat*** ex illa visione; atqui eum non probasset mera hallucinatione. c) Visio haec permanenter ***mutavit*** Paulum ex inimico infenso Iesu in Apostolum plenum zeli et amoris; atqui hallucinatio brevissima non producit talem mutationem.

Ergo Paulus vere vidit et audivit a) *sensibus externis* b) obiectum reale et *independens* a suis sensibus.

Dices: Paulus vidit Iesum tantum perceptione interna; patet ex Gal 1, 16 "ut revelaret Filium suum *in me*".[31]

R. *N.ass.* In Gal 1, 16 Paulus quidem effert perceptionem internam, sed non negat externam.[32]

Urg. Vox ὤφθη qua Paulus describit hanc visionem in 1 Cor 15, 6, significat perceptionem mere internam (in ecstasi, in spiritu).[33]

R. *Dist.* exclusive id significat *N.* interdum *C.* Propria et ordinaria significatio vocis ὁράω (etiam in N.T.) est videre oculis externis obiectum corporeum; v.g. J 1, 34; 3, 11; 15, 24; Act 22, 15 etc. Quia tamen alia significatio possibilis est, inspiciendus est contextus ut verus sensus eruatur.[34]

Urg. *Aliae* visiones quas Paulus expertus est, erant pure internae (v.g. Act 23, 11; 2 Cor 12). Ergo etiam haec.

R. *Tr.ant. N.cons.* Paulus clare distinxit alias suas visiones a prima illa. Nam a) ubi enarrat alias, omittit primam illam; b) alias non potuit describere, hanc describit.

Urg. Paulus utrasque visiones designat *eadem voce* ὀπτασία (cf. Act 26, 19; 2 Cor 12, 1).

R. Haec vox potest esse generica.[35]

b. Obiectum quod Paulus vidit, non fuit tantum anima Iesu glorificata (uti volunt quidam rationalistae), sed *totus Iesus.* Nam a) in 1 Cor 15, 8 Paulus aequiperat suam visionem apparitionibus *Apostolorum;* atqui Apostoli viderunt totum Iesum; b) per visionem illam Paulus debuit fieri *"testis resurrectionis"*; atqui mera visio animae Iesu eum non fecisset talem; c) Paulo ipsi *firmiter persuasum* erat se vidisse Iesum ipsum, idemque testati sunt Ananias (Act 9, 17) et Barnabas (Act 9, 27).[36]

Dices 1. In Act 13, 31, ubi Paulus Antiochenis probare vult resurrectionem Iesu, non audet appellare ad *suam* visionem, sed citat apparitiones

---

[31] Ita Weizsäcker (Ap. Age p. 7-9, 90-2); Pfleiderer (Hibbert Lect. p. 33), Bousset etc.

[32] DieckmannR p. 654-5; Murillo p. 11-2.

[33] Ita J. Weiss.

[34] Grandmaison III p. 165; Murillo p. 8-11.

[35] Cornely, 2 Cor p. 314.

[36] Boudou p. 201-2.

Apostolorum. Ergo visio Pauli alia erat ac apparitiones Apostolorum.[87]

R. *Ad ant.* est silentium mere negativum sive Pauli sive Lucae. Hinc *N.cons.*

Dices 2. Si Iesus corporaliter apparuisset Paulo, etiam *comites* eum vidissent. Atqui comites Pauli nihil viderunt (Act 9, 7).

R. *N.M.* Cur enim Deus id impedire non potuit?

Dices 3. Paulus non didicit resurrectionem Iesu ex illa visione, sed *ex V.T.;* nam dicit Iesum resurrexisse "secundum Scripturas" (1 Cor 15, 5).

R. Sicut Petrus (Act 2, 14-40), ita etiam Paulus prius cognovit factum resurrectionis (scil. ex apparitionibus et testibus), dein eius necessitatem, scil. ob prophetias V.T.[88]

c. Ergo dicendum est: In via ad Damascum, Paulus sensibus suis externis percepit *Iesum redivivum,* qui ei apparuit in specie *corporali.*[89]

Arg. 4. *Ex sepulchro vacuo*

Sepulchrum privatum in quo Iesus positus est post crucifixionem, post tres dies inventum est vacuum.

Atqui id inexplicabile esset nisi Iesus tertia die a mortuis resurrexisset.

Ergo Iesus tertia die a mortuis resurrexit.

Prob.M.

a. Evangelistae omnes id *explicite* narrant. Ex his Ioannes erat testis oculatus (J 20, 3-9); ceteri autem factum hoc facile cognoscere poterant ex testibus oculatis; v.g. a Petro, a Ioanne, mulieribus etc. Porro evangelistae non tantum narrant nudum factum, sed a) addunt circumstantias minutas, quae tamen b) non sunt eaedem apud omnes; hinc sunt testes aliquomodo independentes.

b. Apostoli, inde a die Pentecostes, *publice praedicabant* resurrectionem Iesu; atqui Judaei eis facile ad oculos demonstrassent errorem vel fraudem si digito monstrare potuissent sepulchrum adhuc clausum.

---

[87] Cf. Chase, Cred. of Acts p. 185-7.

[88] Prumm I p. 416-7; Tanquerey I p. 317; DieckmannR p. 645.

[89] S. Thomas III qu. 57 a. 6 ad 3; Cornely, 1 Cor p. 457; Wilmers p. 444-6; DieckmannR p. 654; Felder, Christ etc. II p. 420-2.—Haec sunt certa et sufficiunt pro Apologetica. Dogmatici ulterius quaerunt quomodo Iesus, qui tunc iam erat corporaliter in caelo, apparuerit Paulo. Atque tres sunt opiniones: a) S. Justinus: Iesus *mansit in caelo,* ibique visus est a Paulo (non videtur admittendum); b) S. Thomas: Iesus *reliquit caelum* et accessit ad Paulum (probabilissimum); c) a Lapide: Iesus mansit in caelo, sed per *bilocationem* praesens factus est Paulo (possibile).

c. Discipulis Iesu *firmiter persuasum* erat Iesum resurrexisse; atqui haec persuasio psychologice impossibilis fuisset si sepulchrum mansisset clausum.

Dices: Paulus nihil scivit de hoc argumento; nam illud *tacet* in 1 Cor 15, ubi affert omnia argumenta pro resurrectione.

R. a) *N.supp.* Paulus ibi non vult probare resurrectionem Iesu, sed eam supponit notam Corinthiis; a fortiori non dicit se velle afferre omnia argumenta pro ea. b) Ibidem et alibi (v.g. Act 13, 29-37; Rom 6, 4) Paulus dicit Iesum esse mortuum ac sepultum, sed tertia die resurrexisse; atqui haec evidenter *supponunt* sepulchrum vacuum, quamvis id non explicite dicatur.

Prob.min.

Nisi Iesus tertia die resurrexisset, sepulchrum vacuum explicandum esset a) aut eo quod Iesus, tantum apparenter mortuus, *abierit* e sepulchro, b) aut eo quod cadaver eius *ablatum* sit, c) aut eo quod *disparuerit* in terrae motu (cf. Mt 27, 51), d) aut eo quod a Deo *in caelum assumptum* sit. Non datur alia explicatio.

Atqui nihil horum dici potest.

a. Non primum. Nam Iesus vere *mortuus* est in cruce.

b. Non secundum. Nam corpus Iesu ablatum esset aut ab inimicis aut ab amicis (discipulis). Atqui a) *non ab inimicis;* cur enim hi non exhibuerunt cadaver cum Apostoli publice praedicarent resurrectionem? b) *Non ab amicis;* huic hypothesi enim obstant custodia militum et notus timor discipulorum.—Praeterea, supponamus *discipulos* abstulisse corpus Iesu: Cur non sunt puniti? Praesertim cur simulatio Iesu redivivi eos mutare potuit in viros prorsus alios? Mox enim, spreto quovis periculo, resurrectionem Iesu audacter praedicabant coram Judaeis, fidem in eam ab omnibus postulabant, pro hac fide parati erant mori.[40]

c. Non tertium. Cur enim in sepulchro manserunt linteamina et *sudarium involutum,* uti testatur Ioannes (20, 5-7).

d. Non quartum. Nam cum Iesus per 40 dies se exhiberet ut adhuc degentem in terra, Iesus ipse vel Deus fuissent *mendaces.*

Cor. 1. Ergo problema psychologicum *insolubile* ponunt ii qui extollunt "fidem paschalem" discipulorum, sed negant "factum paschale".—Absurde quoque dicit W. Wrede discipulos credidisse messianitatem Iesu propter eius resurrectionem, sed negat Iesum vere resurrexisse.[41]

---

[40] Felder, Christ etc. II p. 386, 408-415; quoad διάταγμα Καίσαρος nuper inventum, quo prohibetur ne violetur sepulchrum, cf. Lebreton, Life etc. II p. 404-5; Biblica 1937 p. 360-2; Lusseau-Collomb p. 870-1.

[41] supra p. 215; Sanday, Life etc. p. 73, 75.

Cor. 2. Ergo etiam theoria *amplificationis* reicienda est. Talis amplificatio seu exaggeratio enim vix tolerata esset ab Apostolis, neque fuisset eadem apud omnes.

3. *Obiectiones*

1. Innumerae sunt *contradictiones* inter narrationes 4 evangelistarum. Neque enim concordant quoad *tempus* quo piae mulieres emerunt aromata et inviserunt sepulchrum, quoad *numerum* et *nomina* earundem mulierum. quoad earum *silentium,* quoad *'angelos'* qui dicuntur eis apparuisse in sepulchro vacuo.

Magis specifice: a) Iuxta Mc 16, 1 piae mulieres emerunt aromata "cum transisset sabbatum"; iuxta L 23, 56-24, 1 autem ea iam paraverant ante sabbatum. b) In Mt 28, 1 iter mulierum ponitur "vespere sabbati"; in Mc 16, 2 "valde mane una sabbatorum . . . orto iam sole"; in L 24, 1 "una sabbati valde diluculo"; tandem in J 20, 1 "una sabbati cum adhuc tenebrae essent". c) Iuxta Mt 28, 1 duae mulieres ("Maria Magdalene et altera Maria") inviserunt sepulchrum; iuxta Mc 16, 1 tres erant mulieres (Maria Magdalene, Maria Iacobi, Salome); iuxta J 20, 1 una ("Maria Magdalene"). d) Iuxta Mc 16, 8 mulieres redeuntes a sepulchro "nemini quidquam dixerunt"; id quod negatur in Mt 28, 8 et L 24, 9.

Est etiam contradictio quoad numerum, locum, positionem 'angelorum'. Scil. iuxta Mt 28, 2-7 mulieribus apparuit unus angelus sedens super lapidem revolutum; iuxta Mc 16, 5-7 erat iuvenis sedens "in dextris", scil. intra sepulchrum; iuxta L 24, 4-7 erant duo viri stantes; tandem iuxta J 20, 11-13 erant duo angeli sedentes in sepulchro.

R. 1 (apol.) Tria responderi possunt: a) Plurimae ex his sunt *discrepantiae* potius quam contradictiones; et si essent contradictiones, non afficerent *substantiam* eventus quem evangelistae narrare voluerunt. Hinc apologetice dicere possumus: *Transeat.*—b) Discrepantiae tam evidentes *confirmant* substantiam eventus; nam ostendunt evangelistas fuisse testes aliquomodo independentes ab invicem. c) Tandem 4 narrationes aliquomodo *conciliari* possunt, uti dicetur in responso dogmatico.

R. 2 (dogm.)

ad a) Fortasse piae mulieres *coeperunt* parare aromata die crucifixionis (L 23, 56); dein, sabbato transacto, emerunt alia (Mc 16, 1).[42]

Dices: Absurde dicitur mulieres voluisse *iterum* ungere corpus quod iam unctum erat (J 19, 39-40) et sepultum per 3 dies.

R. *N.* Ob parasceven, prima unctio facta est festinanter et provisorie. Cf. Mc 15, 42; L 23, 56; Braun, Revue bibl. 1936 p. 46-7.

ad b) Duo dicenda sunt: a) *Dies* ipse itineris fuit "una sabbati" seu "prima sabbati", i.e. primus dies hebdomadae. Contradictio ex Mt 28, 1 est tantum apparens; nam eius expressio ὀψὲ σαββάτων significat "postquam transiit sabbatum"; nisi enim ita esset, Matthaeus sibi statim contradixisset addendo "quae lucescit in prima sabbati". b) Contradictio quoad *tempus diei* autem disparet si cogitas idem tempus aliter exprimi ab aliis, et, iuxta humanum modum loquendi, terminos 'dies', 'nox', 'ortus solis' etc. non stare in indivisibili.

ad c) Nullus evangelista dicit se velle enumerare *omnes* mulieres quae venerunt ad sepulchrum. Ipse Ioannes, qui tantum unam nominat in 20, 1, innuit in 20, 2 eam non fuisse solam (οὐκ οἴδαμεν).

[42] Knabenbauer, Mc p. 432; L p. 632; Dausch p. 560.

ad d) Distingue tempora et concordat narratio. Scil. mulieres non statim (*initio diei*) narraverunt suam visionem, sed postea.

Tandem quoad 'angelos': Imprimis alia est apparitio in J, alia in synopticis; hinc nulla est contradictio ex J.—Quoad synopticos: Voces 'angelus', 'iuvenis', 'viri' idem significant; ergo solutio difficultatis peti non potest ex diversitate personarum. At praesto sunt aliae solutiones: a) quoad *numerum*: in Mt et L non dicitur adfuisse tantum unus; b) quoad *locum*: contradictio disparet si distinguuntur diversa tempora; neque enim putandum est angelos semper mansisse in eodem loco; c) quoad *positionem*: vox "stantes" (ἐπέστησαν) in L significat "subito apparuerunt"; nihil dicitur de eorum positione.

2. Ad veram resurrectionem requiritur ut *idem* sit qui moritur et resurgit. Atqui is qui apparuit discipulis tertia die, non erat idem ac Iesus ante mortem; nam neque Maria Magdalene (J 20, 14-15)neque discipuli euntes in Emmaus (Mc 16, 12; L 24, 16) neque Apostoli (J 21, 4) eum agnoverunt.

R. *C.M. N.min.* Ad prob. *Dist.* initio apparitionis *C.* in decursu vel fine *N.* (L 24, 31; J 20, 16; 21, 7; 21, 12). Nisi autem Iesus fuisset moraliter idem, eum ne in fine quidem apparitionis agnovissent.[43]

Urg. Corpus Iesu redivivi habuit qualitates *spirituales*. Ergo non erat idem atque ante mortem.

R. *C.ant. Dist.cons.* non erat idem sub omni respectu *Tr.* moraliter idem *N.* Secus enim discipuli non potuissent eum agnoscere.[44]

3. Ut constet Iesum vere resurrexisse, probandum est animam eius iterum fuisse *formam substantialem,* non mere formam assistentem (cf. Cotter, Cosm. p. 183). Atqui id ex evangeliis probari nequit; nam in variis apparitionibus Iesus nihil plus egit quam v.g. angelus qui apparuit Lot (Gen 19) vel angelus Raphael, qui comitatus est Tobiam in via.

R. *Tr.M. N.min.* Iesus multa egit (v.g. manducavit) eo fine ut probaret se esse redivivum (L 24, 41-2). Si igitur non fuisset vere vivus, fuisset *mendax*—contra probatam eius sanctitatem.

4. Resurrectio est mysterium et opus *supernaturale*. Ergo lumine naturali probari nequit.

R. *Tr.ant. Dist.cons.* a priori *Tr.* a posteriori *N.*[45]

Cor. 1. Ergo etiam dicta et facta quae de Iesu narrantur in evangeliis *post resurrectionem,* possunt esse historica. Ea autem esse historica, apologetice eodem modo probandum est uti fecimus hucusque.[46]

---

[43]Mysteriosum, quod habetur in his apparitionibus et quo impediebatur recognitio instantanea, sic explicatur a S. Thoma: "Sicut in eius potestate erat ut corpus suum videretur vel non videretur—ita in potestate eius erat ut ex eius aspectu formaretur in oculis intuentium vel forma gloriosa vel non gloriosa aut etiam commixta vel qualitercunque se habens" (III qu. 54 a. 1 ad 3; cf. qu. 55 a. 4).

[44]Corpus Iesu ante mortem et post resurrectionem erat numerice et specifice idem. Sed aderat differentia "qualitativa", ut aiunt, quatenus corpus Iesu post resurrectionem plene subiectum erat spiritui. Cf. Grandmaison III p. 156, 165-6; Muncunill I p. 232-3.

[45]Suarez, De myst. Christi qu. 53 a. 1 s. 8; Grandmaison III p. 156.

[46]supra p. 202, 207.

Cor. 2. Ergo praedictiones Iesu de sua resurrectione erant *vera vaticinia.* Id facile constat post impletionem; nemo enim nisi Deus talem eventum praevidere potuit. Idem tamen cognosci potuit ante impletionem, scil. ex eximia sapientia et sanctitate Iesu, ex eius miraculis physicis.

Quarta pars probatur

1. *Apostolis* obvia erat vis probativa resurrectionis. Ad eam enim constanter appellaverunt ut conciliarent fidem Judaeorum in Iesum ut Messiam et Deum.[47] Atque Petrus munus primarium Apostoli definivit esse "testem resurrectionis".

2. Iesus a) per 3 annos se exhibuerat ut magistrum religiosum mundi et Deum, b) resurrectionem suam clare praedixerat. Atqui, *sub his circumstantiis,* Deus non potuit Iesum suscitare a mortuis nisi vellet confirmare eius praedicationem, ac praesertim eius testimonium de seipso.

Confirmatur: Ex J 2, 18-22 ("solvite templum hoc") et ex Mt 12, 38-42 ("signum Jonae"). Utrumque enim a Iesu *explicite* proponitur ut signum suae missionis. Atqui in utroque casu Iesus locutus est de sua resurrectione.[48]

Obiectiones

1. Iesus non putavit resurrectione probari quidquam. Patet ex L 16, 31.
R. *N.supp.* Cf. supra p. 287.

2. Si resurrectione sua Iesus voluit confirmare suum testimonium, debuit se ostendere *omnibus,* praesertim *inimicis* suis. Sic iam dixit Celsus: "Si suam divinam potentiam revera innotescere voluit Christus, oportuit utique ut se suis adversariis, suo iudici, omnibus omnino ostenderet".

R. *N.* vel *Dist.* si testimonium aliorum numquam gignere potest certitudinem *C.* si potest *N.* Iamvero, uti Cornelio declaravit Petrus (Act 10, 40-2), fuit consilium Dei ut resurrectio innotesceret mundo per *paucos* testes immediatos, scil. Apostolos.

---

[47] Act 2, 32; 3, 15; 3, 26; 5, 30; 10, 40; 13, 30-7.
[48] van Laak, Mot. p. 187-8.—Ex interpretatione Patrum, haec confirmatio est argumentum fortissimum.

ARTICULUS 3

CONCLUSIO

THESIS 23

Iesus Nazarenus fuit verus Deus et Filius Dei naturalis, eiusque religio est revelatio publica.

Thesis haec est *centralis* in nostra Apologetica (cf. supra p. 15). Ad eam probandam enim convergunt theses hucusque positae, eamque supponunt theses subsequentes (excepta thesi 24).

Quis sit *Iesus Nazarenus,* cf. supra p. 178.—Quid sit *Deus,* cf. supra p. 228.—Quid sit *Filius Dei naturalis,* cf. supra p. 243.—Quid sit *revelatio publica,* cf. supra p. 25.

Thesis est critice et historice *certa.* Dogmatice est *de fide divina et catholica* (ex omnibus fontibus).

Adversarii

Nota. Omittimus adversarios *indirectos,* qui scil. vel negant praemissas nostri argumenti, vel adstruunt praemissas suas ex quibus logice sequitur negatio huius thesis. Illos iam refutavimus (thesibus 15-22) ; de his aget tractatus de Verbo.

Negatores thesis in 5 classes distribui possunt:

1. *Pagani* quid olim senserint de Iesu et quid aliqui hodie sentiant, cf. Grandmaison II p. 237-251.

2. *Iudaei* semper negaverunt et adhuc negant Iesum esse Deum. Timent enim ne pereat monotheismus strictus si admittatur alia Persona divina praeter Patrem (Yahwe).[1]

3. *Mahometani* venerantur Iesum ut magnum prophetam, sed negant eum esse aequalem Deo unico Allah.[2]

4. *Haeretici veteres*

Generatim loquendo, hi docuerunt Iesum non fuisse merum hominem, sed ei *iunctum* fuisse ens supra-mundanum ac fere divinum, quod vocabant 'angelum', 'Logon', 'aeon', 'Filium Dei' etc.

a. Secundum Cerinthum, Iesus initio fuit merus homo, sed in baptismo Christus (i.e. angelus quidam) in eum descendit, et ab eo

---

[1]Kohler p. 428-9; Klausner p. 377-8; Grandmaison II p. 251-265; Bonsirven, Les Juifs et Jésus (1937) ; G. Lindeskog, Die Jesusfrage im neuzeitlichen Judentum (Uppsala 1938).

[2]Grandmaison II p. 265-9; di Matteo, La divinità di Cristo.

ante passionem recessit. Similia docuerunt Ebionitae, Nicolaitae, Gnostici.[3]

b. Ariani (saec. 4) admiserunt Iesu homini unitum fuisse *Verbum* (ὁ Λόγος). Verbum autem dixerunt esse Deo Patri subordinatum et inferius; Pater illud libere creavit ut posset per illud creare mundum.[4]

c. Semiariani sic vocantur quia voluerunt mitigare errorem Arii. Admiserunt Verbum esse Patri ὁμοιούσιον i.e. habere naturam ei *similem,* sed negaverunt illud esse ὁμοούσιον cum Patre, i.e. habere *numerice eandem* naturam cum eo.[5]

5. *Haeretici moderni*

Inde a saec. 16, haeretici plurimi habent Iesum ut *merum hominem,* quamvis ei generatim concedant specialem relationem ad Deum, ob quam eum saepe vocant 'Deum' et 'divinum'.

a. Faustus Socinus (1539-1604), Sociniani, Unitariani haec tenent: Iesus non fuit Deus ullo sensu proprio. Nihilominus vocari potest *Filius Dei*—vel quatenus natus sit modo miraculoso (virgin birth), vel quatenus suscitatus a Deo nunc sedeat ad dexteram Patris, vel quatenus propter suam oboedientiam constitutus sit dominus mundi.[6]

b. Rationalistae, inter quos numerantur Judaei liberales et multi theologi Protestantes, similiter negant Iesum fuisse Deum. Multi tamen dicunt eum fuisse sibi conscium *specialis coniunctionis cum Patre*—vel quatenus Patrem magis ardenter amaverit quam ceteri homines (Renan), vel quatenus fuerit mediator electus a Patre et instrumentum eius fidele (Ritschl), vel quatenus eum praeclarius agnoverit et manifestaverit ut Patrem (Harnack) etc.[7]

c. Modernistae distinguunt inter "Iesum fidei" et "Iesum historiae"; illum dicunt Deum, hunc merum hominem.[8]

---

[3]Ruffini p. 267, 302; Knabenbauer, J p. 21.—Etiam Jackson-Lake dicunt: "At the baptism Jesus was conscious of becoming possessed by some power external to himself, which he identified with the spirit of God" (Beg. of Chr. I p. 287).

[4]Bardenhewer p. 238-9; LThK s.v. Arianismus; HE III p. 72. Ariani refutati sunt a S. Athanasio ac damnati a Concilio Nicaeno (D 54).

[5]LThK s.v. Arianismus.

[6]Harnack, Hist. of Dogma VII p. 137-167; Wilmers, Lehrb. I p. 421; CE s.v. Socinianism; Emerton, Unitarian Thought p. 148, 163.

[7]CE s.v. Ritschlianism; Lepin p. 266-280; Pesch IV n. 6-7; Wilmers, Lehrb. I p. 421-2; II p. 89-92; Klausner p. 377-8; Montefiore I p. xx.

[8]D 2029; Huby p. 187-191.

Nota. Protestantes in genere et Graeci "orthodoxi" semper tenebant divinitatem Iesu, quamvis multi eorum duces dubitent.

Thesis probatur

a. Iesus *clare dixit* se esse Deum et Filium Dei naturalem.

Atqui hoc eius testimonium est *logice verum.*

Ergo Iesus fuit Deus et Filius Dei naturalis.

Dices 1. Iesus ipse ait: "Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum" (J 5, 31).

R. Cf. supra p. 208.

Dices 2. "I believe we shall get a much higher, truer, and more satisfying conception of Christ's divinity when we rest it mainly upon the testimony of conscience, or *Christian experience* in the individual and in the Church at large, upon the inward light that lighteth every man, than when we make it depend upon some express claim of Christ or some doubtful deduction from His words" (Rashdall, Jesus etc. p. 41).

R. *N.* vel *Dist.* experientia propria uniuscuiusque certo aut melius probat divinitatem Iesu *N.* probabiliter *Tr.* Nos quaerimus argumenta certa et optima.

Dices 3. Si accipiendum est testimonium Iesu de seipso, etiam accipiendum est testimonium quod *Mohammed* tulit de seipso. Atqui huius testimonium reicimus.

R. *Dist.M.* si testimonium Mohammedis est spurium *N.* si est historicum *subd.* accipiendum est ut historice verum *C.* etiam ut logice verum *subd.* si eius veritas logica probatur *C.* secus *N.*[9]

Dices 4. *Apollonius Tyanaeus* eadem dixit et fecit ac Iesus. Atqui nemo putat Apollonium fuisse Deum. Ergo neque dicta et facta Iesu probant eum fuisse Deum. Ita Blount, Voltaire.

R. *N.M.* Iam Eusebius (Contra Hieroclem) ostendit ea quae de Apollonio conscripta sunt a Philostrato et Hierocle, esse plerumque fabulas. Deest igitur veritas *historica.*[10]

Cor. 1. Ergo Iesus Nazarenus est prorsus singularis inter *fundatores religionum.* Neque Mohammed neque Buddha sibi tribuerunt miracula, neque a mortuis resurrexerunt.

Cor. 2. Ergo ingens est discrimen inter *mythos paganos* et fidem christianam quoad divinitatem Iesu. Quod discrimen stat a) obiective, in eius origine stricte historica et in absentia absurditatis vel contradictionis, b) subiective, in firmitate, constantia, universalitate fidei christianae.[11]

Cor. 3. Ergo reicienda est distinctio inter "Iesum fidei" et "Iesum historiae", qua modernistae et theologi quidam Protestantes

---

[9] Cf. Falcon (p. 192), qui comparat originem evangelii cum Koran.

[10] Grandmaison II p. 241-2, 365-9; HE II p. 211-3; LThK s.v.; DThC s.v.; Lechler p. 115-7; Bonniot, Le Miracle etc. p. 160-188; Suppl. I col. 66-7.

[11] Prümm I p. 165-7.

(v.g. Karl Barth) conantur salvare suam fidem in divinitatem Iesu. *Idem* enim est Iesus fidei et Iesus historiae.[12]

b. *Revelatio* est locutio Dei attestans.

Atqui Iesus, qui fuit Deus, docuit religionem, et simul postulavit fidem.

Ergo religio Iesu est revelatio.

c. Revelatio dicitur *publica* si a Deo intenditur pro toto mundo.

Atqui Iesus intendit suam religionem pro toto mundo.

Ergo religio Iesu est revelatio publica.

Cor. 1. Ergo constat *factum revelationis* (christianae).[13]

Cor. 2. Ergo obiectum primarium revelationis christianae (quasi realis) est *persona et vita Iesu.* Nam Iesus se fecit *centrum* suae religionis. Unde S. Ioannes testatur et annuntiat non tantum "quod audivimus", sed etiam "quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt" (1 J 1, 1). Idemque supponit S. Paulus in epistolis pastoralibus, atque asserit se praedicare "Christum crucifixum" (1 Cor 1, 23) neque se aliud scire (1 Cor 2, 2).

Nota. Id quod minime obstat sententiae communi quod "Deus ut Deus" est obiectum primarium Theologiae (supra p. 2).

Cor. 3. Ergo tota religio quam Iesus docuit (sive ante sive post resurrectionem), credi potest *fide divina;* eius motivum enim est auctoritas Dei revelantis.—Immo tota religio Iesu credenda est; si enim a Iesu intendebatur pro omnibus, omnes habent *obligationem* eam credendi.

Unde quod attinet auctoritatem divinam, nulla distinctio facienda est a) inter mysteria et res naturaliter cognoscibiles, b) inter res fidei et morum, seu veritates theoreticas et practicas, c) inter veritates maioris vel minoris momenti, d) inter veritates fundamentales et alias. Omnia enim sunt publice revelata.[14]

Obiectiones

1. Idem nequit esse *homo* et *Deus.*

R. *Dist.* sub eodem respectu *C.* sub diverso respectu *N.* Saltem nequit ostendi repugnantia ut idem, sub diverso respectu, sit homo et Deus.[15]

---

[12]D 2029, 2076, 2084.

[13]Utrum autem haec revelatio sit stricte supernaturalis necne, nondum dicitur.

[14]Quamvis autem omnes veritates practicae habeant eandem auctoritatem divinam, non omnes obligant eodem modo. Aliquae enim sunt *consilia,* quae non praecipiuntur omnibus, sed commendantur ut meliora (cf. Mt 19, 11-12).

[15]Quae sit relatio et distinctio inter hos duos respectus, cf. tractatum dogmaticum de Verbo Incarnato. P. Galtier, L'unité du Christ (1939).

2. Saltem thesis haec non est centralis sive in Apologetica sive in fide christiana. *Practice* enim parum refert quis Iesus fuerit; sufficit ut credamus eum nos docuisse a) Deum esse Patrem, b) nos omnes esse fratres, et c) dedisse nobis exemplum vitae. Ita Schleiermacher, Ritschl, Harnack.

R. *N.* a) Tota doctrina Iesu caret fundamento solido (theoretico et practico) nisi nitatur eius divinitate. b) Opinio illa contradicit dicto Iesu: "Haec est vita aeterna ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum" (J 17, 3). Contradicit etiam dictis quibus Iesus se omnibus proposuit ut centrum vitae religiosae (supra p. 353-4). Tandem contradicit Apostolis, qui inde a die Pentecostes praedicabant: "Non est in aliquo alio salus" (Act 2, 22-36; 4, 9-12).[16]

Urg. Evangelia nostra continent *doctrinam* Iesu. Haec igitur probetur esse vera.

R. a) Evangelia etiam probare volunt Iesum fuisse Deum. Cur hoc omittitur? b) Ut tota doctrina Iesu probetur esse vera, prius probandum est eum fuisse Deum ac proinde non potuisse errare. c) Potest esse ut doctrina Iesu contineat mysteria stricte dicta; atqui haec rationabiliter credi non possunt nisi prius constet factum revelationis.

Urg. Iesus non venit ut nos solveremus mysterium personae eius, sed ut possemus solvere *problemata practica* huius vitae. "Jesus Himself certainly did not make any solution of the problem of His nature the condition of following Him, still less could any such self-estimation have been part of His own religion. Not any doctrine, but only the denial of self, the choice of service and of suffering for love's sake, were the conditions of discipleship" (F. C. Porter, in Contemporary Am. Theol. II p. 238).

R. Responsio eadem est.[17]

Urg. Si Iesus fuit Deus, non iam potest esse *nostrum exemplar*. "No one of us could dare to emulate the character of God, even were He incarnate" (H. Perry, in Scribner's, April 1931).

R. *N.* a) Iesus ipse docet: "Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est" (Mt 5, 48); ergo ipse non putavit talem imitationem impossibilem. b) Sancti catholici nullam experti sunt difficultatem in imitatione Iesu.

3. Religio Iesu est tam sublimis (intellectualiter et moraliter) ut non *omnes homines* possint obligari ad eam amplectendam.

R. *N.* Non est dubium quin Iesus intenderit religionem suam pro toto genere humano; unde praxis religionis christianae non potest esse impossibilis. Atque, uti constat ex historia missionum, non est populus tam barbarus quin possit eam sufficienter intellegere et secundum eam vivere.[18]

4. Ne *daemones* quidem cognoverunt ex dictis et gestis Iesu eum esse Deum. Ergo probatio nostra saltem non erit certa.

R. *N.ant.* Cf. Knabenbauer, Mc p. 52-4.

Schol. 1. Alia argumenta

Nostra methodus probandi divinitatem Iesu Nazareni non est unica. Breviter indicemus alia argumenta apologetica, quorum

[16] Huby p. 187-191; Prat, J.-Chr. II p. 470-2.

[17] Wilmers, Lehrb. II p. 162.

[18] Aliud tamen est fides qua talis, aliud eius expressio practica in *societate;* haec saepe postulat tempus sat longum. Cf. Die kath. Missionen 1937 p. 81-2.

tamen quaedam non sunt adaequate distincta a nostro.

a. Argumentum *ex absurdis,* quod evolvitur in thesi 18, per se sufficit.

b. Ei simile est argumentum ex dicto: *"Iesus aut Deus aut non bonus".* Iesum fuisse bonum, immo optimum, generatim conceditur etiam ab inimicis. Nisi autem Iesus fuit Deus, fuit deceptor deliberatus, hypocrita peior pharisaeis, superbior Lucifero.[19]

c. Divinitas Iesu directe inferri potest ex eius *scientia* (cf. supra p. 268), ex eius *sanctitate* (cf. supra p. 274), ex perfecta *harmonia* inter eius sapientiam et sanctitatem (cf. supra p. 274), ex eius *omnipotentia* (cf. supra p. 287).

d. Speciatim divinitas Iesu probari potest ex eo quod *propria virtute* a mortuis resurrexit (J 2, 19-21; 5, 21; 10, 18).

e. Divinitas Iesu etiam sic probari potest: Iesus Nazarenus fuit *Messias* praedictus in V.T.; nam a) ipse se clare dixit Messiam propheticum (cf. thes. 14) et testimonium eius logice verum est (thes. 18-22); b) in eo impleta sunt vaticinia de futuro Messia (cf. thes. 24). Atqui in V.T. praedictum est Messiam fore Deum (cf. infra p. 342).

f. Divinitas Iesu erit corollarium thesium quibus probabimus *veritatem Ecclesiae Catholicae.* Si enim vera est Ecclesia Catholica, verum esse debet dogma eius fundamentale, quae est divinitas Iesu.

g. Tandem pulcherrimum est argumentum ex mysterio *amoris* et *odii.* De quo in Schol. 2.

Schol. 2. MYSTERIUM AMORIS ET ODII

Factum historicum singulare est quod inde a nativitate Iesu humanum genus appareat in duo quasi castra divisum. Evenit enim id quod Mariae dixerat Simeon: "Ecce positus est hic in *ruinam* et in *resurrectionem* multorum in Israel" (L 2, 34).

Ex hoc facto historico deducere possumus aliud argumentum quo Iesu divinitas confirmetur.[20]

A. *Amor Iesu*

1. *Facta*

a. Iesus *postulavit* ut ab omnibus amaretur—et quidem a) amore quo *solus Deus* amandus est (cf. supra p. 236), b) amore qui non esset mere theoreticus vel sentimentalis, sed quam maxime *operosus*

[19] Otten III p. 54-6; Liddon, The Divinity of Our Lord p. 195-208.

[20] Dorsch I p. 775-8; Hurter I p. 97-8; Müller p. 610-624; Lercher I p. 257-8; Wilmers, Lehrb. II p. 127-131.

("si diligitis me, mandata mea servate" J 14, 15), immo c) amore qui esset cardo et *centrum* totius vitae religiosae ("manete in dilectione mea" J 15, 9).

b. Iesus *exspectavit* ac *praedixit* se assecuturum esse hunc amorem: "Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum" (J 12, 32).

c. Iesus *assecutus* est eum. Testes sunt Sancti innumeri Ecclesiae: Apostoli, martyres sanguinis et caritatis, confessores et virgines. Qui Iesum non tantum ita amaverunt ut servarent eius mandata, sed totam vitam instituerunt iuxta eius exemplum; neque ullum impedimentum eos separare potuit a caritate Christi (Rom 8, 35-39).[21]

2. *Argumentum*

Ex his factis historicis tripliciter arguere possumus:

a. Cum Iesus postulavit ac fidenter exspectavit talem amorem, aut insanus fuit aut is cui soli talis amor impendi potest. Atqui Iesus non fuit insanus (cf. thes. 18). Ergo is fuit cui soli talis amor impendi potest, i.e. Deus.

b. Si Deus *miraculo* morali perpetuo approbat amorem Iesu qua Dei, Iesus est Deus. Atqui verum est antecedens. Ergo etiam consequens.

Prob.min. Amor Iesu qua Dei enim *transcendit leges cordis humani.* Nam a) amor *naturalis* restringitur ad paucos, et quidem ad cognatos, concives, amicos etc., qui aliquando saltem nobis coniuncti erant; erga alios sumus indifferentes; b) post separationem, praesertim post mortem, amor naturalis paulatim defervescit et brevi exstinguitur; c) viri etiam illustrissimi huius saeculi movent ad admirationem, fortasse ad gratitudinem et reverentiam, tandem ad piam memoriam, sed vix ad verum amorem. Atqui amor Iesu, quem semper manifestaverunt et adhuc manifestant Sancti, his omnibus contrarius est; est enim verus, diuturnus, universalis, saepe heroicus.

c. *Causa per se boni* est bona et vera. Atqui per 19 saecula amor Iesu ut Dei per se et ex natura sua produxit fructus optimos (cf. thes. 40). Ergo amor Iesu ut Dei est bonus et verus.

---

[21] Pulchre hunc amorem intensum ac perpetuum Sanctorum Ecclesiae Catholicae descripsit Grandmaison III p. 447-481; cf. DieckmannR p. 552; Muller p. 613-5.

B. *Odium Iesu*

1. *Facta*

Multis Iesum semper odio fuisse, historia luculenter testatur. Sunt tamen plura quae faciunt hoc odium prorsus singulare:

a. Odium hoc est *perpetuum* (sicut amor Iesu). Alii homines (v.g. Tiberius, Nero) odio habentur dum vivunt; post mortem contemnuntur vel negleguntur.

b. Odium hoc non est mera aversio platonica, sed (sicut amor Iesu) est *efficax* et intensum. Cogita quid non moliti sint persecutores Ecclesiae (cf. thes. 38). Nullus alius fundator religionis tanto odio umquam habitus est aut habetur.

c. Odium hoc est *iniustum*. Nam a) Iesus ipse "pertransiit benefaciendo" (Act 10, 38), uti testantur ii qui eo maxime familiariter usi sunt; b) eius religio "robur praestat infirmis, moestis solatium, omnibus spem et pacem et veram felicitatem" (Dorsch).

Dices: Saltem *Judaei* merito oderunt Iesum. Nam a) Iesus eorum religionem destruxit; b) Christiani semper persecuti sunt Judaeos eosque adhuc persequuntur.

R. *N.ass.* ad a) *Dist.* eam perficiendo, uti praedictum erat in V.T. *C.* aliter *N.* (cf. supra p. 226). ad b) *Dist.* quia religio Iesu doceat aut toleret talem persecutionem *N.* aliter *Tr.*

d. Iesus *praedixit* hoc odium: "Eritis odio omnibus propter nomen meum" (Mt 10, 22; cf. L 21, 17; J 15, 18-24).

2. *Argumentum*

Causa per se mali est mala et falsa. Atqui a) ii qui Iesum odio habent sunt mali; et quo magis eum odio habent, eo peiores sunt;[22] b) odium Iesu per se producit effectus malos: exstinguit virtutes, fovet corruptionem, destruit vitam socialem, nationalem, internationalem. Ergo odium Iesu est malum et obiective falsum. Ergo amor Iesu ut Dei est bonus et obiective verus.

Schol. 3. Probatio *dogmatica* thesis

a. Ex *magisterio* Ecclesiae: Magisterium doctrinam Arii solemniter anathematizavit in Conc. Nicaeno (D 54) ac saepius postea (D 61, 85, 213, 223).[23]

b. Ex *S. Scriptura*: Probatio haec materialiter coincidit, quoad magnam partem, cum thesibus 15-17; differt autem quatenus a) omnia dicta Iesu et asserta genuina hagiographorum supponuntur

---

[22] Dorsch I p. 776; BillotE I p. 190-2.

[23] Cf. D Index system. VIII a.

esse verbum Dei, b) quatenus magisterium (Concilia, Patres, Theologi) multa authentice interpretatum est.[24]

c. Ex *Patribus*: Quamvis Patres ante-Nicaeni interdum ambigue locuti sint, dubium non est quin firmiter tenuerint ac docuerint divinitatem Iesu.[25] Patres post-Nicaenos autem idem firmiter tenuisse ac docuisse, nimis evidens est.

d. Ex *Theologis*: Cum hi omnes scripserint post multiplicem damnationem Arianismi, eorum consensus est firmus et constans.

e. Ex *praxi* universali et constanti Ecclesiae Catholicae, quae semper et ubique adoravit Iesum ut Filium Dei.

---

[24]Pesch IV n. 8-10; 16-19; Otten III p. 7-17, 31-40; Prat, Theol. II p. 125-131.

[25]Pesch IV n. 26; Otten III p. 66-73, 75-8; Wilmers, Lehrb. II p. 165-171.

APPENDIX

Iesus Messias

Thesis 24

Iesus Nazarenus fuit Messias in V.T. promissus et a Judaeis exspectatus.

Cf. Brunsmann-Preuss II p. 555-599; CE s.v. Messias; DA II col. 1614-1651; DieckmannR p. 393-420, 539-553; Dorsch I p. 609-636; Duplessy II p. 348-417; Falcon p. 304-324; FelderA I p. 190-215; Garrigou-Lagrange p. 544-567; Hervé I p. 152-177; Langan p. 143-184, 272-5; Lepin p. 59-106; Lercher I p. 220-234; Muncunill I p. 248-331; van Noort p. 193-225; Ottiger I p. 640-748; Pesch I n. 212-247; Romeis p. 320-436; Schiffini p. 38-73; Tanquerey I p. 260-271; Wilmers p. 245-257; idem, Lehrb. II p. 16-57.

Iesum fuisse Messiam promissum in V.T., iam implicite probavimus. Ostendimus enim Iesum se professum esse hunc Messiam (thes. 14), eiusque testimonium de seipso esse fide dignum (thes. 18-22).

Praesto tamen est aliud argumentum, scil. ex eo quod in Iesu impleta sunt *vaticinia messianica.*

Dupliciter enim vaticinia adhiberi possunt ut criteria apologetica: a) si is qui se dicit legatum Dei, ipse edit vaticinia ut confirmet suam missionem, ac dein haec vaticinia impleantur (thes. 21); b) si legatus Dei ante suum adventum annuntiatus est variis vaticiniis.

Procedimus nunc hoc altero modo, qui independens est a testimonio Iesu de seipso.

Quod argumentum semper *valde usitatum* erat. Ipse Iesus eo usus est ut convinceret Judaeos, qui noluerant credere eius testimonio (cf. supra p. 227). Dominum dein imitati sunt Apostoli in sua praedicatione, uti constat ex Act 3, 18; 28, 23 etc. Idem argumentum familiare erat primis Apologetis ubi eis agendum erat cum Judaeis; v.g. S. Justinus, Tertullianus etc.[1]

1. *Iesus Nazarenus* est persona historica cuius vita et mors narrantur in 4 nostris evangeliis. In thesi hac supponimus saltem ea quae de eo probavimus in prima parte thesis 12.

---

[1]DA I col. 191-4; Fillion, Life etc. I p. 513-7; Lortz, Tertullian als Apologet I p. 260-5.

2. Quid sit *Messias* et *regnum messianicum,* cf. supra p. 213.

3. Per *'Judaeos'* intellegimus a) primarie Judaeos coaevos Iesu, b) Judaeos 'orthodoxos' hodiernos.

a. Judaeos tempore Iesu *exspectasse* Messiam, olim negatum est a Bruno Bauer et H. J. Holtzmann,[2] est tamen historice certum.

Etenim a) nisi talis exspectatio tunc exstitisset inter Judaeos, innumeri loci 4 evangeliorum carerent sensu; b) in Act Petrus et Paulus probare conati sunt Judaeis Iesum fuisse Messiam; ad quid, nisi quod Judaei exspectabant Messiam; c) scimus tunc temporis multos pseudo-Messias apparuisse; id quod inexplicabile esset nisi Judaei firmiter exspectassent Messiam.

Neque haec exspectatio erat tunc recentis originis, sed repetenda est ex *traditione perantiqua.* Uti enim constat ex verbis mulieris samaritanae (J 4, 25), eadem exspectatio exsistebat apud Samaritanos; atqui hi eam vix habuerunt a Judaeis, a quibus separati sunt anno 722 ante Christum; ergo exspectatio Messiae venturi iam antea communis fuerat in Israel.

b. Ex iisdem argumentis etiam patet Judaeos coaevos Iesu exspectasse Messiam *personalem,* non tantum aeram messianicam (uti volunt Judaei hodierni 'reformati' et liberales).[3]

Dices: Saltem libri apocryphi V.T. vix umquam loquuntur de Messia personali, sed potius de *aera* felici.

R. *Dist.* ita ut excludant Messiam personalem *N.* aliter *Tr.*

c. Variae quidem erant ideae Messiae futuri quas foverunt Judaei coaevi Iesu (cf. thes. 14), sed omnes conveniebant in definitione nostra generali. Unde *messianismus* definiri potest: Exspectatio Messiae personalis et regni messianici, quam Judaei foverant iam diu ante Iesum Nazarenum.

4. *Vetus Testamentum* sunt libri quos Judaei coaevi Iesu habuerunt ut sacros, et qui etiam enumerantur ut sacri a Concilio Tridentino (D 784).

Thesis est critice et historice *certa.* Dogmatice est *de fide* (ex clara Scriptura).

ADVERSARII

1. *Judaei 'orthodoxi'* admittunt quidem Messiam personalem et regnum messianicum olim promissum esse variis vaticiniis V.T., sed negant haec impleta esse in Iesu Nazareno. Immo negant

---

[2]Schürer II 1 p. 135-7.

[3]Schürer I 2 p. 279, 300; Kohler p. 389; Goldstein, Camp. etc. p. 191-3.

Messiam iam advenisse; adhuc enim precantur ut Deus eum cito mittat.[6]—Etiam *Judaei 'reformati'* admittunt vaticinia V. T., sed negant Messiam promissum esse unam personam; generatim exspectant *aeram* messianicam.—De *Judaeis 'liberalibus'* dicit O. Lazarus: "He (the Jew) does not, at least most liberal Jews do not, believe in a personal Messiah who will come, or who has come, in order to redeem the world. He believes that it is within man's power to bring God's kingdom upon earth" (Liberal Judaism and its Standpoint 1937 p. 89).

2. *Calvinus* admisit tantum promissionem *generalem* Messiae; sed vaticinia particularia quae citantur ut talia in N. T., habuit ut meras accommodationes, allusiones, metaphoras. Non igitur negat thesim, sed minuit vim argumentorum.

3. A. Collins (saec. 18) putavit vaticinia V.T. non intendi sensu "literali," sed tantum *sensu typico* vel *allegorico*. Ipse tamen fatetur: "I am persuaded that a prophecy literally fulfilled is a real miracle; and that one such produced, to which no exception could justly be made, would go a great way in convincing all reasonable men".[7]

4. *Rationalistae* hodierni: a) negant vaticinia esse possibilia, et dant explicationes *naturales* vaticiniorum messianicorum; ita praesertim Ewald et Reuss; b) vel negant vaticinia messianica *impleta* esse in Iesu; c) vel, si admittunt impletionem, eam adscribunt *casui*.[8]

5. Commemorare adhuc licet Marcionitas et Manichaeos, qui negaverunt omnem *nexum* inter V.T. et N.T. Ita etiam Kuenen.[9]

Thesis probatur

Nota. Duo argumenta sunt independentia ab invicem; unde se invicem confirmant.

Arg. 1. *Ex tempore utili*

Nisi Iesus Nazarenus erat Messias, messianismus est *vana illusio.*

Atqui messianismus non est vana illusio.

Ergo Iesus Nazarenus erat Messias.

---

[6] Goldstein, Camp. etc. p. 192, 199; DA II col. 1673-6; L. Browne p. 312-5.

[7] Cf. Lechler p. 273-5, 280.

[8] DieckmannR p. 397-8; Ceuppens p. 9-10; Schöpfer p. 431-6; Moffat, p. 91-4.

[9] Quoad Theodorum Mops. et S. Ephraem, cf. Höpfl, Insp. p. 240-1, 246.

Prob.M. Nisi Iesus Nazarenus erat verus Messias, Messias nondum advenit neque adveniet. Etenim:

1. *Ex praedictionibus antiquissimis*: Pulchre S. Petrus (1 Petr 1, 10-12) dixit prophetas V.T. scrutatos esse tempus Messiae ("in quod vel quale tempus"), i.e. eos voluisse scire num salus messianica ventura sit suo tempore; revelatum est eis responsum negativum ("quia non sibimetipsis ministrabant"). Nihilominus plures exsistebant praedictiones quae aliquomodo indicaverant tempus Messiae:

a. *Patriarcha Jacob* praedixerat Judam amissuram esse sceptrum (i.e. autonomiam) eo tempore quo venturus esset Messias (Gen 49, 8-10). Atqui Judaei amiserunt autonomiam tempore quo Iesus vixit: "Non habemus regem nisi Caesarem" (J 19, 15). Ergo tempus Iesu erat utile pro adventu Messiae.[10]

b. *Propheta Aggaeus* (2, 7-10) praedixit magnam fore gloriam templi secundi, immo maiorem quam templi Salomonis. Rationem gloriae maioris autem dedit *Malachias* (3, 1), scil. quia illuc veniet Messias (cf. infra p. 502). Atqui templum de quo hi duo locuti sunt, destructum est anno 70. Ergo tempus post 70 non iam erat aut erit utile.

Nota. Non adducimus *prophetiam Danielis* (9, 24-7), ex qua aliqui fere mathematice computant tempus Messiae; est enim locus valde controversus, etiam inter exegetas catholicos.[11]

2. Ex *historia coaeva Iesu*. a) Judaeos circa tempus Iesu vehementer exspectasse Messiam eiusque regnum, explicite testantur Fl. Josephus, Tacitus, Suetonius. Eademque exspectatio clare exprimitur in (apocryphis) Psalmis Salomonis (v.g. Ps 17), in epistolis Paulinis, in evangeliis synopticis. b) Cum Iesus se exhibuit ut Messiam, nemo Judaeorum obiecit tempus utile nondum advenisse aut iam praeterisse. c) Eo fere tempore, multi surrexerunt dicentes se esse Messiam; immo ultimus eorum (Simon bar Kochba) a fere omnibus Judaeis habebatur pro vero Messia. Ergo Judaeis coaevis Iesu persuasum erat tempus utile adesse.

---

[10] Suarez, De Verbo Inc., Disp. 1 s. 1; Bea, De Pent. p. 209-210; Ceuppens p. 61-84; Yuritch, in Irish Eccl. Rec. 1922 II p. 352-368; Bikerman, in Revue biblique 1938 p. 187-192.

[11] Ottiger I p. 685-702, 742-5; Wilmers, Lehrb. II p. 25-34; Lagrange, Le Jud. p. 67-9; idem, J p. 69; idem, in Revue bibl. 1930 p. 179-198; Ceuppens p. 492-521; Closen, in VD 1938 p. 47-56; Gruenthaner, in Cath. Bibl. Qu. 1939 p. 44-54; Bonsirven I p. 394-7.

3. Ex *historia subsequente*. Post infelicem exitum ultimae revolutionis, Judaei malunt iam non computare adventum Iesu; immo talem computationem vetant. At concedunt Messiam tardare, et quaerunt rationes cur nondum advenerit.[12]

Ergo timent ne tempus utile iam praeterierit.

4. *Filius David*. Messias debet non tantum esse filius David, sed etiam se talem probare Judaeis. Atqui mox post tempus Iesu talis probatio impossibilis evasit; nam circa illud tempus genealogiae officiales perierunt. Ergo post tempus Iesu inutiliter advenisset aut adveniret Messias.[13]

Prob.min.

a. Judaei 'orthodoxi' *concedunt* minorem.

b. Messianismus Judaeorum nitebatur promissione divina saepe repetita; praedictiones messianicae V.T. enim probari possunt, etiam independenter ab impletione, fuisse ***verae prophetiae*** ex charactere prophetarum V.T., quibus firmiter persuasum erat sibi haec esse a Deo revelata; id quod confirmari potest ex testimonio Iesu ipsius (post probatam eius sapientiam et sanctitatem), Ioannis Bapt., 4 evangelistarum, S. Pauli.[14]

Dices: Si messianismus Judaeorum niteretur revelatione, esset originis praeternaturalis. Atqui (ita Renan) messianismus est ***originis naturalis***. Nam mere exprimit desiderium aevi felicioris, quod sponte oriebatur in calamitatibus populi Israel. Quod desiderium postea vestiebatur formis propheticis et apocalypticis, ac tandem accepit formam concretam in exspectatione Messiae personalis.[15]

R. *C.M. N.min.* a) Cur similis exspectatio non est orta apud alios populos similiter oppressos? Et cur ne apud Judaeos quidem similis praedictio orta est inde a tempore Iesu? Sane calamitates quas Judaei passi sunt ex illo tempore (v.g. hodie), multo graviores sunt. b) Plures praedictiones messianicae primo editae sunt tempore quo populus Israel bona pace fruebatur (v.g. sub David). c) Plures praedictiones annuntiant Messiam patientem, destructionem templi, reiectionem Judaeorum; num etiam hae ortae sunt ex desiderio aevi felicioris?

Urg. Similis exspectatio redemptoris vigebat apud Persas, Babylonios, Aegyptios etc.

R. *N.* vel *Dist.* similis sub omni respectu *N.* sub uno vel alio respectu *Tr.*[16]

---

[12]Moore II p. 352; Kohler p. 386; Wilmers, Lehrb. II p. 75-6; 78; Ruffini p. 39; Grandmaison I p. 287-8.

[13]Arendzen, The Gospels p. 119; Goldstein, Camp. etc. p. 201; idem, Autob. p. 97-8; Prat, J. Chr. I p. 75.

[14]DieckmannR p. 395-6, 415-8, 546-7; Falcon p. 313-6, 322.

[15]Cf. Moore II p. 330.

[16]BN p. 354-362, 1091; König p. 8-74.

Urg. Vaticinia messianica erant *condicionata;* scil. Messias veniet si populus Israel se reddet dignum hoc favore caelesti.

R. *N.* vel *Dist.* si tempore utili nemo venisset cui convenirent vaticinia messianica *Tr.* si talis venit *N.*

Arg. 2. *Ex impletione vaticiniorum*

Si in Iesu Nazareno impleta sunt multa ac minima particularia personalia quae multis saeculis ante a variis prophetis praedicta erant de futuro Messia—tunc Iesus erat Messias praedictus.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Expl.M.

a. Duplex est methodus arguendi ex vaticiniis messianicis: a) Pervolvuntur omnes libri V.T. et ostenditur promissionem messianicam fuisse grandem praeparationem Messiae eiusque regni; dein ostenditur haec omnia impleta esse in Iesu Nazareno. Argumentum pulchrum, sed longum ac difficile. b) Afferuntur *multa* vaticinia *particularia* et *concreta* de ipsa *persona* Messiae futuri, et ostenditur ea impleta esse in Iesu Nazareno. Quae methodus est facilior et communior.[17]

b. Argumentum nostrum eo fortius evadit a) quo *minutiores* sunt res praedictae, b) quo maior est earum *numerus,* c) quo *plures* vaticinati sunt de eodem Messia, d) quo longius hi *distabant* inter se et ab impletione. Inde enim magis elucet veritas philosophica et theologica vaticiniorum.

c. Non negamus a) exstare multo plures prophetias messianicas quam hic afferuntur, aut b) eas omnes impletas esse in Iesu. Sed ad finem nostrum apologeticum seligimus eas quae clare referunt ad *personam* Messiae, et quidem sensu *"literali"*. Omittimus eas quae enuntiant aliquid generale vel spirituale, vel quae potius referunt ad regnum messianicum, vel quae non valent de Messia nisi sensu typico aut accommodato.[18]

Prob.M. Naturaliter enim impossibile est ut multi viri, viventes diversis saeculis, praevideant multa ac minima particularia alicuius individui quod non exsistet nisi post saecula; neque daemones talem

---

[17]Sunt quidem qui eam reiciant (v.g. BN p. 244-5; EcclR 1936 I p. 218), sed nonne eandem adhibuerunt Apostoli et evangelistae, praesertim Matthaeus?

[18]Quamvis igitur argumentum nostrum simile sit scopo Mt (cf. supra p. 87), est discrimen. *Matthaeus* enim arguere potuit ex sensu typico vel accommodato; v.g. Mt 2, 15; 2, 17-18. Idem dic de J 19, 36. Cf. Ceuppens p. 14-5.

cognitionem habent. Ergo tales praedictiones, si implentur, sunt *verae prophetiae*. *Nexus* autem inter eas et personam annuntiatam est nimis evidens.

Prob.min.

Tria notanda ad probationem minoris:

a. Non adhibebimus omnes libros V.T.; arguemus tantum ex 8; scil. a) ex paucis *Psalmis* (2, 15, 21, 109); b) ex 3 *prophetis maioribus*: Isaias, Jeremias, Ezechiel; c) ex 4 *prophetis minoribus*: Michaeas, Aggaeus, Zacharias, Malachias.

Ordo chronologicus horum prophetarum hic est: Isaias (740-690), Michaeas (735-690), Jeremias (627-580), Ezechiel (598-570), Aggaeus (ca. 520), Zacharias (ca. 520), Malachias (ca. 450). Cf. BN p. 278-290.

b. Cum thesis nostra sit apologetica et habeat etiam rationalistas adversarios, non supponimus hos libros esse inspiratos, sed eos adhibemus ut *documenta historica*. Non quidem ita ut statim supponamus omnia quae in eis legantur, esse historice vera, sed quatenus libri hi a) scripti sint a *diversis auctoribus*, b) multis saeculis *ante Iesum*. A quibus auctoribus aut quo saeculo determinato scripti sint, relinquimus "Introductioni in V.T."

c. Horum librorum lingua originalis erat *hebraica*, eorumque textus originalis adhuc exstat. Unde in probatione semper respiciemus textum hebraicum, i.e. indicabimus divergentias a Vulgata.

Etiam respiciemus versionem graecam quae dicitur *LXX*; haec enim cum facta sit *diu ante Christum* (saec. 2, uti videtur), non potuit pati influxum ex nostra controversia.

Idem a priori dici nequit de versionibus Aquilae, Theodotionis, Symmachi, quae non sunt factae nisi *saec. 2 post Christum*.

Nota. In singulis praedictionibus citandis a) primo dabimus *textum V.T.;* dein b) probabimus verba esse *messianica*, i.e. sensu "literali" referre ad Messiam futurum; c) tandem ostendemus praedictionem *impletam* esse in Iesu Nazareno. Ad hoc ultimum supponimus auctoritatem historicam librorum N.T. probatam in thesibus 9-11.

1. Filius David

a. Legimus apud *Isaiam* (11, 1): "Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice Jesse ascendet"; Jesse seu Isai autem erat pater Davidis.—Similiter legimus apud *Jeremiam* (23, 5): "Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum".

b. Ambae praedictiones referunt sensu "literali" ad *Messiam*. Nam a) ulterior descriptio eius de quo est sermo apud Isaiam (11,

2-10), convenit soli Messiae, non autem Zorobabel aut Ezechiae aut Manasse (uti putant rationalistae quidam); atque teste S. Hieronymo, ipsi Judaei hunc locum interpretabantur de Messia.— b) Germen ex stirpe David esse Messiam, omnes interpretes consentiunt, neque inde ab aetate Jeremiae ortus est rex ex stirpe David cui convenerit descriptio.[19]

Dices: S. Hieronymus, S. Thomas, Cornelius a Lapide interpretati sunt Is 11, 1 de *Maria virgine*.

R. a) *Dist.* totum versum *N.* primam partem ("virga de radice Jesse") *C.* b) Eorum interpretatio autem adversatur contextui (hebraico et latino).[20]

c. *Iesus Nazarenus* fuit filius David. Etenim a) Paulus, qui "secundum certissimam (i.e. exactissimam) sectam nostrae religionis vixit pharisaeus" (Act 26, 5), explicite asserit Iesum fuisse "ex semine David secundum carnem" (Rom 1, 3). b) Die Pentecostes, Petrus praedicavit Judaeis undique congregatis Iesum fuisse "de fructu lumbi David" (Act 2, 30), neque quisquam ei contradixit. c) Matthaeus et Lucas texuerunt genealogiam Iesu ut Judaeis probarent eius descensum a rege David. d) Nisi inimici Iesu certi fuissent de eius descensu davidico, facile eum ad silentium redegissent cum se diceret Messiam. e) Iesus ipse se habuit filium David (thes. 14).

Dices: Messias sane debuit esse filius *naturalis* David. Atqui non est certum Iesum fuisse talem. Nam a) Joseph non erat pater naturalis Iesu; unde eius genealogia (apud Mt) nihil probat; b) Maria autem, mater eius naturalis, non videtur fuisse ex domo David.

R. *Dist.M.* eo sensu qui, iuxta principia communiter recepta apud Judaeos, requirebatur et sufficiebat ut aliquis diceretur filius David *C.* aliter *Tr.* Quae solutio valet quoad genealogiam Joseph. Sed praeterea historice certum est Mariam fuisse ex domo David.[21]

2. Conceptus virginalis

a. Legimus apud *Isaiam* (7, 14): "Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel" (hebr. "ecce virgo gravida et pariens filium et vocans. . . .").

Est tamen *difficultas*. In Vulgata latina utique legitur 'virgo', et in LXX παρθένος. At vox hebraica *almáh* habet sensum latiorem; primarie enim

---

[19]Knabenbauer, Is I p. 295-8; Ceuppens p. 268-273, 424.

[20]Messiam fore filium David, a) continetur etiam in Mich 5, 2 (cf. infra p. 335); domus David enim orta est ex *Bethlehem;* b) idem Judaeis coaevis Iesu persuasum erat, sive ex his locis V.T. sive ex aliis.

[21]Knabenbauer, Mt p. 90, 93; L p. 62; Prat, J. Chr. I p. 77; Dausch p. 294-5; Fillion, Life etc. I p. 324; Wilmers, Lehrb. II p. 37-8.

significat *mulierem nubilem,* quae reputatur esse virgo. Hinc ceterae versiones graecae habent *νεᾶνις*. Dein si Isaias efferre voluit virginitatem, cur non adhibuit *bethuláh,* quae vox clare significat virginem? Tandem Judaei hunc locum Isaiae numquam ita interpretati sunt ut inde deducerent conceptum virginalem Messiae; unde est quod Maria rogavit angelum: "Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco" (L 1, 34)?

Tria tamen responderi possunt: a) Sensus non est sumendus ex nuda voce, sed ex contextu. Secundum contextum autem 'virgo' sumi debet sensu stricto. Nam conceptio filii promittitur ut signum quod sit *in sola potestate Dei;* atqui non esset signum tale nisi conceptio filii fieret per virginem matrem (sensu composito). b) Aliae illae versiones graecae etiam alibi manifestant tendentiam anti-christianam; unde earum testimonium hac in re neglegi potest. c) Textus fuit obscurus ante impletionem, ita ut Judaei non comprehenderent eius verum sensum; ut plene intellegeretur, requirebatur nova revelatio, quae facta est Mariae per angelum.[22]

b. Hunc textum referre ad *Messiam* venturum sensu "literali", patet ex ulteriore descriptione eius de quo est sermo.[23]

Dices 1. Textus hic fortasse typice refert ad Messiam, sed "literaliter" agit de *Ezechia,* filio Achaz regis, vel de *filio ipsius Isaiae.*

R. *N.* Nam a) Ezechias iam erat puer 9 annorum cum ederetur hoc vaticinium; nonne stultum esset praedicere eius nativitatem? b) Quomodo Isaias potuit tribuere Ezechiae aut filio suo ea quae in contextu tribuuntur filio promisso?[24]

Urg. In Is 7, 16 Isaias evidenter loquitur de puero qui vixit circa tempus Isaiae et regis Achaz ("antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum"). Atqui *idem* est puer de quo est sermo in v. 14, uti patet ex proximitate.

R. *N.M.*[25]

Urg. Signum *praecedere* debet eventui. Atqui Messias non erat venturus nisi post saecula (Isaias enim vixit saec. 8 ante Christum), conceptus pueri autem promittitur ut signum eventus mox futuri.

R. Generatim loquendo quidem signum praecedit eventui. Sed in nostro casu, *propheta* loquitur, qui ut talis agnoscitur ab Achaz. Signum promissum autem exhibet voluntatem efficacem Dei salvandi domum David.[26]

c. *Iesum Nazarenum* natum esse ex Maria Virgine, narratur a duobus testibus coaevis: a Matthaeo (1, 18-23) et Luca (1, 26-38).

Dices 1. Iesu nomen non erat *Emmanuel,* uti praedictum erat ibidem (Is 7, 14).

---

[22] Knabenbauer, Is I p. 187-195; Machen p. 294-316; Arendzen, Prophets etc. p. 97-111; Pesch IV n. 602; Dausch p. 48; Prat, J. Chr. I p. 48, 51; Lagrange, Jud. p. 365; Steinmueller, in Cath. Bibl. Qu. 1940 p. 28-43.

[23] Pesch IV n. 600; Machen p. 289-291; Knabenbauer, Is I p. 185-6; Wilmers, Lehrb. II p. 87; Ogara, in VD 1937 p. 8, 75-81; Coleran ib. p. 303-312.

[24] Knabenbauer, Is I p. 201-5.

[25] Machen p. 292-3; Knabenbauer, Is I p. 205-211.

[26] Knabenbauer, Is I p. 195-7; Vaccari, in VD 1937 p. 80-1; ib. 1940 p. 61; Suppl. II p. 1043-9. Aliter Feuillet, in Rech. de science rel. April 1940 p. 129-151.

R. *N.supp.* Ex usu V.T. talia nomina aut de facto usurpantur ab hominibus, aut exprimunt id quod per hominem vel in homine efficitur.[27]
Dices 2. Iuxta Ss, in Mt 1, 16 legendum est: "*Joseph* genuit Iesum".
R. Haec lectio varians contradicit omnibus fontibus textus, et hodie simpliciter neglegitur ut error librarii.[28]
Urg. Saltem iis Christianis qui texuerunt genealogiam Christi, persuasum erat Josephum fuisse patrem eius *naturalem;* voluerunt enim Judaeis probare descensum physicum a Davide. Ita H. Lietzmann, in ZNW 1937 p. 311-2.
R. *N.* Cf. supra p. 333.
Dices 3 (cum Harnack, Cadoux etc.): Conceptus virginalis Iesu est *fictio primorum Christianorum.* Hi enim cum legerent Is 7, 14 in LXX et putarent textum esse messianicum, sibi persuaserunt Messiam debere nasci ex matre virgine; et cum crederent Iesum fuisse Messiam, ei tribuerunt conceptum virginalem.[29]
R. *N.* a) Strauss, qui olim idem dixerat, postea retractavit. b) Tota narratio in Mt et L est coloris semitici, non graeci.[30]

3. Nativitas

a. Legimus apud *Michaeam* (5, 2): "Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in milibus Judae; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis".[31]

b. Textus est *messianicus.* Nam descriptio eius de quo est sermo, soli Messiae convenit. Hancque fuisse communem interpretationem Judaeorum, patet ex Mt 2, 5-6 et J 7, 42.[32]

Obiciunt Judaei quidam: Hic textus refert ad *Zorobabel.*
R. *N.* Zorobabel enim non est natus in Bethlehem.

c. *Iesus Nazarenus* natus est in Bethlehem Judae (Mt 2, 1-12; L 2,1-7).

Dices 1. Iesus natus est in *Nazareth;* ideo enim vocabatur Nazarenus (Nazaraeus) vel Galilaeus.
R. *N.*[33]
Dices 2. Saltem vaticinium Michaeae non videtur esse impletum in Iesu; nam aliter legitur in Mt 2, 6.
R. a) Textus in Mt 2, 6 substantialiter idem est ac in Michaea. b) Cur citatio in Mt non sit ad verbum? Nescimus. Fortasse Matthaeus citavit secundum lectionem variantem, vel secundum modum quo rabbini citaverunt textum, vel (rectius) textum *accommodavit* impletioni.[34]

---

[27] Knabenbauer, Is I p. 197.
[28] Machen p. 176-187.
[29] Machen p. 287-8.—Cheyne (Bible Problems p. 65-100) vocat totam narrationem "legendam" similem legendis babylonicis etc.
[30] Machen p. 313-5; Dausch p. 49-51; Prümm I p. 255-281.
[31] König p. 200-4.
[32] König p. 204-8.
[33] supra p. 178; Machen p. 258-9.
[34] Knabenbauer, Mt I p. 139; Prat, J. Chr. I p. 104; Lagrange, Mt p. 26-7.

4. Praecursor

a. Legimus apud *Malachiam* (3, 1): "Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quaeritis, et angelus testamenti quem vos vultis".

b. Textus "literaliter" refert ad *Messiam* futurum eiusque praecursorem immediatum.[35]

c. Hanc praedictionem impletam esse in *Ioanne Bapt.,* asserunt angelus (L 1, 17), Zacharias (L 1, 76), Iesus ipse (Mt 11, 10).

Dices: Uti patet ex Mal 4, 5, praecursor Messiae debuit esse *Elias;* eademque erat persuasio Judaeorum (Mt 17, 10). Atqui Ioannes Bapt. negavit se esse Eliam (J 1, 21).

R. *N.supp.* In Mal 4, 5 non agitur de Messia, sed de fine mundi ("dies Domini magnus et horribilis").[36]

5. Ingressus in Jerusalem

a. Legimus apud *Zachariam* (9, 9): "Filia Jerusalem, ecce rex tuus veniet tibi—iustus et salvator (hebr. victoriosus); ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum, filium asinae" (hebr. "super asino, i.e. super pullo, filio asinae").[37]

b. Textus "literaliter" refert ad *Messiam.* Nam a) is de quo est sermo, dicitur "rex Jerusalem", "iustus", "victoriosus", "pacificus" (pauper), habens "potestatem usque ad fines terrae". b) Etiam Judaei habuerunt textum ut messianicum; non tamen firmiter, cum contradiceret eorum ideae Messiae gloriosi.[38]

c. Die Palmarum, *Iesus Nazarenus* ingressus est Jerusalem, sedens super pullum asinae (Mt 21, 1-11 et par.).

Dices 1 (cum Wellhausen): Si hic ingressus triumphalis tamquam regis esset factum historicum, huius rei accusatus esset coram Pilato. Atqui nihil legimus de tali accusatione.

R. Cur Iesus non potuit curare ne ingressus triumphalis videretur habere significationem politicam?

Dices 2. Si hoc ingressu impletum esset vaticinium V.T., discipuli id cognovissent. Atqui non cognoverunt (J 12, 16).

R. *N.M.* Etiam discipuli foverant ideam popularem Messiae; atqui ingressus super asino videbatur contradicere adventui glorioso Messiae quem exspectabant.

---

[35] König p. 288-293.
[36] supra p. 262; Prat, J.-Chr. I p. 429; Schiffini p. 73.
[37] König p. 185-9; Ceuppens p. 467-9.
[38] Knabenbauer, Mt I p. 208-9; Ceuppens p. 470.

6. Servus Yahwe (ébed Yahwe)

a. In secunda parte libri *Isaiae* (cap. 40-55) leguntur *4 carmina*, quae hodie dicuntur "Ebed Yahwe Songs". In primo carmine (Is 42, 1-7) Yahwe introducit aliquem quem dicit servum suum: "Ecce servus meus, suscipiam eum (hebr. eum sustineo), electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum etc.". In secundo carmine (Is 49, 1-50, 9) servus ipse inducitur loquens atque annuntians opus suum laboriosum. In tertio et quarto carmine (Is 52, 13-15; 53, 2-12) describuntur eius passio et mors expiatoria.

Non omnes exegetae eodem modo delimitant 4 carmina; sed contextus neglegi potest, cum sensus non pendeat ab eo. Idem tamen est servus Yahwe in 4 carminibus, quamvis describatur sub diversis respectibus, qui se invicem complent.[39]

Nota. Post Döderlein et Eichhorn, multi critici negant cap. 40-55 esse Isaiae prophetae; ea adscribunt *deutero-Isaiae*. Alii adscribunt cap. 56-66 *trito-Isaiae*, eique aliqui tribuunt quartum canticum. Nostra parum interest. Inter omnes enim convenit haec omnia scripta esse multis saeculis ante Christum.[40]

b. Servus Yahwe "literaliter" est *Messias*. Nam eius descriptio et munera quae implere debet, non conveniunt nisi Messiae futuro.[41]

Dices 1. 'Servus Yahwe' est *populus Israel*—uti patet ex contextu et ex aliis locis Isaiae ubi Israel explicite dicitur servus Yahwe (v.g. Is 41, 8; 43, 10; 44, 1; 49, 3). Ita Judaei 'reformati'.[42]

R. *N*. Praedicata enim quae Isaias tribuit populo Israel in eadem parte libri, prorsus contradicunt praedicatis huius servi Yahwe.[43]

Urg. 'Servus Yahwe' non est totus populus Israel, sed eius *pius nucleus*, praesertim prophetae V.T.

R. *N*. Etiam haec interpretatio impossibilis est. Nam a) cur pars infidelis populi hunc pium nucleum contemnit propter afflictiones quae debuerunt esse communes toti populo (Is 53, 2-3)? b) Cur pars infidelis putat has afflictiones vicarie tolerari a pio nucleo? Neque enim idea expiationis vicariae alibi occurrit in V.T. c) Cur auctor ipse se ponit extra pium nucleum (Is 53, 6)?

Urg. 'Servus Yahwe' est *Israel idealis*, i.e. qua electus a Yahwe.

R. *N*. Servus Yahwe enim est instrumentum redemptionis cum populi Israel tum aliorum omnium.

---

[39] van der Ploeg p. 1, 16-26, 64-71.—Criticam textualem carminum habes ib. p. 7-15.

[40] supra p. 332; cf. D 2115-9; Merk p. 547-551; Ceuppens p. 276-9; van der Ploeg p. 72-82.

[41] Ceuppens p. 318-338; van der Ploeg p. 149-154.

[42] L. Browne p. 312-5.

[43] Lagrange, Jud. p. 376; VD 1934 p. 342.

Nota. Contra omnes has interpretationes insistendum est 'servum Yahwe' esse *unam personam*. Nam ab utero vocatur (Is 49, 1), debet implere mandatum peculiare (Is 49, 5-6), crescit ut virgultum coram Deo (Is 53, 2), debet pati et mori pro populo, corpus dabit percutientibus et genas vellentibus (Is 50, 6).[44]

Dices 2. 'Servus Yahwe' non est una persona, sed duae vel plures; eius praedicata enim essent *contradictoria* in eadem persona.

R. *N.* Praedicata quae leguntur in diversis carminibus, exprimunt diversos respectus, qui se invicem complent.[45]

Dices 3. 'Servus Yahwe' erat *aegrotus* quidam qui morti proximus fuerat, sed revixit.

R. *N.* Haec est hypothesis gratuita. Servus Yahwe multa passus est ut expiaret peccata aliorum, eos iustificaret coram Deo, ipse inde fieret rex regum; de quo aegroto haec valent?[46]

Dices 4. 'Servus Yahwe' est *rex* quidam Judae, qui vixerat ante Isaiam (forte Josias vel Jechonias), vel *Jeremias* propheta.

R. *N.* a) Descriptio servi Yahwe prorsus aliena est ab iis quae historia tradit de Josia vel Jechonia. b) Jeremias quidem in aliquibus similis est servo Yahwe, sed non in omnibus: non expiavit peccata populi sui; nationes non venerunt ad eum; gloria eius ne comparari quidem potest cum gloria servi Yahwe.

Dices 5. Messias debuit esse spes et laetitia Israel. Atqui Messias patiens et moriens Judaeos potius affecisset *tristitia*. Ergo 'servus Yahwe' non potest esse Messias.

R. *C.M. N.min.* Passio et mors Messiae enim debuerunt adducere redemptionem Israel.

Urg. *Rabbini Judaei* de facto numquam concipiebant Messiam ut patientem et morientem.[47] Ergo saltem eorum interpretatio non favet nostrae.

R. *C.* Sed cur rabbini Judaei non poterant errare?[48]

c. *Iesus Nazarenus* erat servus Yahwe. a) Apostoli et primi praedicatores evangelii non cessaverunt appellare ad haec 4 carmina Isaiae ut probarent Iesum esse Messiam. b) Descriptio servi Yahwe ei plene convenit; immo convenientia tanta est ut aliqui rationalistae dixerint passionem et mortem Iesu in evangeliis esse fictam iuxta prophetiam Isaiae. Franz Delitzsch autem dixit Isaiam haec scripsisse cum ipse quasi steterit sub cruce Golgothae.[49]

7. Agonia in cruce

a. *Ps 21* (22) constat duabus partibus: in v. 1-22 is qui loquitur

---

[44] Knabenbauer, Is II p. 347-359; VD 1934 p. 343; Coppens, in EphL 1936 p. 494-500.

[45] Ceuppens p. 310-4; van der Ploeg p. 64-82.

[46] Lagrange, Jud. p. 377-8; VD 1934 p. 343-4.

[47] Bonsirven I p. 381-6; Boudou p. 178.

[48] Alias obiectiones habes apud Knabenbauer, Is II p. 359.

[49] van der Ploeg p. 154-9.—Non adducimus Zach 12, 10, cuius textus et sensus non est critice certus. Cf. Ceuppens p. 376-381, 473-7.

queritur immanem suam afflictionem et petit a Deo liberationem; in v. 23-32 idem sperat afflictionem suam allaturam esse effectus salutares Judaeis et toti mundo.

Nota. a) Disputant quando et a quo psalmus hic scriptus sit; id tamen non afficit nostrum argumentum. b) In quibusdam versibus textus hebraicus vel versiones vacillant; sed exegesis psalmi qua totius his dubiis non afficitur. Cf. Ceuppens p. 359-372.

b. Psalmus multo probabilius est "literaliter" *messianicus,* i.e. is qui loquitur per totum psalmum est Messias. Etenim *idem* est qui loquitur in prima et in secunda parte; ea autem quae leguntur in secunda parte (dignitas patientis, fructus passionis) de nullo rege aut propheta V.T. valent, sed de solo Messia futuro.[50]

c. Psalmus impletus est in *Iesu* cum penderet in cruce, id quod notatur ab omnibus evangelistis; atque Iesus ipse hunc psalmum in cruce recitavit.[51]

8. **Sepultura**

a. Legimus apud *Isaiam* (53, 9), iuxta textum hebraicum: "Dederunt sepulchrum eius cum impiis, sed cum divite est in morte sua".[52]

b. Cum hic textus occurrat in quarto carmine Isaiae, est *messianicus* sensu "literali".

c. Uti constat ex Mt 27, 57-60, praedictio haec impleta est in *Iesu Nazareno.* Licet enim sepeliri debuerit cum impiis, de facto sepultus est ab homine divite in monumento eius novo.[53]

9. **Resurrectio**

a. In *Psalmo 15, 10* is qui loquitur (vel de quo David loquitur), asserit se post mortem esse resurrecturum: "Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem".

Dices 1. In textu hebraico non legitur 'corruptionem', sed *shâchath,* i.e. *foveam* vel sepulchrum; id quod etiam postulat parallelismus hebraicus.

---

[50] Knabenbauer, Ps p. 97; Ceuppens p. 375-7; Dennefeld, in DThC s.v. Messianisme col. 1505-6.

[51] supra p. 271; Vaccari, in VD 1940 p. 72-80.—S. Justinus ostendit Tryphoni Judaeo totum psalmum et singulos eius versus agere de Christo.

[52] van der Ploeg p. 13-4; Knabenbauer, Is II p. 336-340.

[53] Matthaeus quidem non explicite notavit impletionem huius vaticinii, eam tamen innuit; haec enim videtur esse ratio cur Josephum vocet "divitem". Cf. Knabenbauer, Mt II p. 551; van der Ploeg p. 157.

Aliis verbis, non est sermo de resurrectione, sed is qui loquitur, dicit se non esse moriturum.

R. *N.* a) Certe vox 'sháchath' potest significare corruptionem (uti constat ex Job 9, 31; 17, 14). Atque versiones graecae antiquae eam hic verterunt per *διαφοράν*, i.e. corruptionem. b) Is qui loquitur, iam supponit animam suam esse in 'sheól' ac proinde se esse mortuum. c) Parallelismus non est inter infernum et foveam, sed inter animam (quae non derelinquetur in sheól) et corpus (quod non corrumpetur).

Dices 2. Verba psalmi vera essent etsi cadaver maneret incorruptum, sine resurrectione.

R. *N.* a) Sine resurrectione, anima derelinqueretur in sheól. b) In v. 11 est sermo de nova vita et laetitia eius qui mortuus erat; quomodo id fieret sine resurrectione?

b. Psalmus 15 est *messianicus* sensu "literali". Nam a) exegetae fere consentiunt de hoc. b) Petrus (Act 2, 24-31) et Paulus (Act 13, 35-7), loquentes ad Judaeos, textum hunc explicite referunt ad Messiam; atqui id vix fecissent nisi Judaei admisissent eum esse messianicum. c) Nullus rex aut sacerdos aut propheta V.T. umquam a mortuis resurrexit; atque Petrus et Paulus (ib.) explicite probant textum non referre ad David ipsum.[54]

Dices 1. Textus hebraicus habet *'pios tuos'* pro 'sanctum tuum'. Ergo saltem non est sermo de solo Messia.

R. Numerum *singularem* esse legendum, notatur in textu hebraico; atque concordant versiones graecae antiquae.

Dices 2. *Eadem* est persona loquens in toto psalmo 15. Atqui Messias non potest dicere vv. 3-4.

R. *C.M. N.min.*

c. Neque anima *Iesu* mansit in inferno neque corpus eius corruptum est. Iesus enim tertia die gloriose resurrexit.

Nota 1. a) In Act 17, 3 et 26, 23 Paulus probat Judaeis, utique ex V.T., "quia Christum *oportuit* pati et resurgere a mortuis"; sed non dicitur quos textus V.T. Paulus citaverit. Cf. 1 Cor 15, 3-4. b) Interdum pro resurrectione afferuntur Is 11, 10 et 53, 11-12; sed haec probatio est dubia.[55]

Nota 2. Secundum leges physicas, statim post mortem incipit *corruptio*, quae potest esse velox vel lenta; unguenta vel adiuncta externa eam retardant, sed non totaliter impediunt. Iuxta S. Thomam (III qu. 51 a. 3), talis corruptio totaliter arcebatur a corpore Iesu; id tamen non est de fide.[56]

Cor. Ergo praedictiones adductae in probatione erant *vera vaticinia.* Solus enim Deus praevidere poterat ea quae in eis annuntiantur de futuro Messia.[57]

---

[54] D 2272; Merk p. 482; Simón II p. 47-9, 51.
[55] Knabenbauer, Is I p. 313-5; II p. 341.
[56] Connell, in EcclR 1938 I p. 306-7.
[57] Falcon p. 313-6.

Obiectiones

1. Si Iesus fuisset Messias, omnia vaticinia messianica in eo impleta essent. Atqui non omnia in eo impleta sunt. Sic multa promiserunt *prosperitatem Judaeorum* (v.g. Ez 36, 24-38; Is 35, 1-10; 41, 18-20; 51, 3; Amos 9, 11-4; Os 2, 21-2; 14, 6-7).

R. Tria in vaticiniis messianicis distinguenda sunt: a) Promissio Redemptoris spiritualis eiusque dotum; haec erat absoluta et impleta est in Iesu Nazareno. b) Promissio prosperitatis temporalis; haec erat condicionata; scil. si Judaei recepissent Messiam, etiam haec aliquomodo impleta esset. c) Vestis literaria utriusque promissionis; neque enim omnia sumenda sunt sensu proprio.[58]

Urg. Saltem non omnia vaticinia messianica referre possunt ad eandem personam; nam *inter se pugnant.* Sic praedicitur Messias pauper et humilis, sed etiam dives et gloriosus; praedicitur Messias ut princeps pacis, sed etiam ut dux belli. Ita Klausner.

R. Varia vaticinia exhibere possunt *diversos respectus* eiusdem personae.[59]

2. *Nomen Messiae* non evasit usitatum nisi paulum ante tempus Iesu. Ergo praedictiones antiquiores non referunt ad eum.

R. *C.ant. N.cons.* Etsi vaticinia messianica non contineant nomen Messiae, eum satis indicant aliis nominibus vel descriptionibus.[60]

3. Iesus ipse eventus suae vitae *adaptavit* vaticiniis V.T. Ergo nil mirum si vaticinia messianica in eo impleta sunt.

R. Concedimus id aliquomodo factum esse quoad ingressum triumphalem in Jerusalem. At a) varia adiuncta huius eventus non pendebant a voluntate Iesu; b) neque ab ea pendebant alii eventus praedicti; v.g. conceptus virginalis, nativitas in Bethlehem, passio et crucifixio etc.[61]

Urg. Vaticinia messianica *casu* impleta sunt in Iesu.

R. *N.* Esset effectus sine causa adaequata.[62]

4. Aliqua saltem ex his vaticiniis sunt *obscura.* Atqui ex talibus non potest trahi argumentum certum.

R. *Dist.M.* si sumantur singillatim, extra adiuncta historica, ante impletionem *Tr.* si omnia simul considerantur cum suis adiunctis historicis et in sua impletione N.

Tria sunt notanda: a) Singula vaticinia non continent totam realitatem et omnes respectus Messiae futuri; hinc ante impletionem poterant esse obscura et apparere contradictoria. b) Vaticinia legenda sunt in luce adiunctorum (localium, personalium etc.) in quibus primo edita sunt; huc pertinet praesertim stilus poeticus vel propheticus Judaeorum, qui nobis alienus est. c) Post impletionem vaticinia fiunt clariora. Unde clare videmus unitatem omnium vaticiniorum messianicorum et conciliationem paradoxorum; ii vero qui negant eorum impletionem in Iesu, haec non vident.[63]

Urg. S. Hieronymus multa vaticinia ita *vertit* ut magis appareat eorum indoles messianica; v.g. Is 11, 10; 16, 1; 45, 8; 51, 5; Jer 31, 22; Dan 9, 26; Hab 3, 18.

---

[58]Falcon p. 319-320; Meli, in Biblica 1935 p. 307-329.
[59]Frey, in Biblica 1933 p. 286.
[60]Lagrange, Jud. p. 364-5.
[61]Hervé I p. 174-5.
[62]Muncunill I p. 329; Baierl I 2 p. 452-6, 499.
[63]Lagrange, Jud. p. 384-7; Merk p. 532-5; Hervé I p. 157.

R. *Tr.* a) Non arguimus ex versione S. Hieronymi, sed ex textu hebraico. b) In nostra probatione nullum ex istis locis V.T. citavimus.[64]

5. Si tot vaticinia impleta essent in Iesu, Judaei non potuissent eum non agnoscere ut Messiam. Atqui non tantum populus rudis, sed etiam scribae et legis doctores, qui magis versati erant in V.T., eum *reiecerunt.*

R. *Dist.M.* si Judaei caruissent praeiudiciis *C.* aliter *N.* a) Plurimi Judaei fovebant falsam notionem Messiae (thes. 14). b) Populus qui audiebat praedicationem Iesu, seducebatur per machinationes ducum religiosorum. c) Etiam obcaecatio Judaeorum praedicta erat in V.T. (v.g. Is 6, 9-10).[65]

Urg. Ipse *Ioannes Bapt.,* qui sane caruit praeiudiciis istis, dubitavit num Iesus esset Messias; ideo enim misit discipulos qui rem investigarent (Mt 11, 2-6).

R. *N.* Ioannes ipse non dubitavit; divinitus enim illuminatus erat de persona Iesu (cf. Mt 3, 11-6; J 1, 26-7; 10, 41). Misit autem discipulos ut et ipsi agnoscerent Iesum ut Messiam.[66]

Schol. *Divinitas Messiae*

Uti patet ex 4 evangeliis, Judaei noluerunt audire Iesum cum se diceret Deum et Filium Dei naturalem; immo eum reum iudicaverunt blasphemiae et mortis. Quare aliquis quaeret: Num in vaticiniis messianicis V.T. etiam praedictum erat Messiam fore Deum et Filium Dei naturalem?

Tria responderi possunt:

1. Messiam fore *Deum,* clare continetur in *Is 9, 6.* Etenim a) "parvulus" et "filius" de quo in Is 9, 6-7, est certo Messias. b) Hic autem dicitur *El gibbór, Deus fortis;* atqui hic titulus, qui saepe occurrit in V.T. atque etiam in Is 10, 21, soli Yahwe reservatur.[67]

Minus clari sunt alii loci V.T. qui interdum citantur:

a. In Ps 44, 7-8 rex bis vocatur *Elohim,* eiusque sedes dicitur *aeterna.* Sed a) hic psalmus non videtur esse messianicus sensu "literali"; b) Elohim etiam dicitur de regibus, iudicibus etc.; c) "in saeculum saeculi" potius dicitur de regno quam de regnante.[68]

b. In Ps 109 legimus: "Dixit Dominus *Domino meo*: Sede a dextris meis". Psalmus hic est quidem messianicus sensu "literali". Sed a) quamvis LXX vertat "Domino meo" per τῷ κυρίῳ μου atque intellegat de solo Deo, tamen vox hebraica 'Adón' ex se significat meram personam superiorem; b) "sedere a dextris meis" autem, ex stilo orientali, significat primum locum post regem occupare.[69]

---

[64] DA IV col. 1966; Knabenbauer, Is I p. 314-5; infra p. 703.

[65] Suarez, De Myst. Chr., Disp. 31 s. 2 et 4; Falcon p. 320-1; Frey, in Biblica 1933 p. 133-149; Lebreton, Life etc. II p. 433-451; Rigaux, in BN p. 1133-7; Vaughan, Concerning the Holy Bible p. 42-4.

[66] Prat, J. Chr. I p. 260-3; Lagrange, L p. 212-4; idem, The Gospel etc. I p. 163-5.

[67] Ceuppens p. 226-246; Vaccari, in VD 1935 p. 77-86; Ogara, in VD 1937 p. 3-9; Knabenbauer, Is I p. 247-259.

[68] Ceuppens p. 382-401; Otten III p. 10-1, 16.

[69] Ceuppens p. 148-9, 164.

c. In Is 7, 14 Messias vocatur *Emmanuel.* Sed tale nomen sumi potuit mere symbolice vel effective: Deus est nobis pignus salutis.[70]

d. In Jer 23, 6 nomen Messiae dicitur esse *"Dominus* iustus noster", i.e. Yahwe iustitia nostra. At talia nomina variis rebus imponuntur in V.T.; v.g. Jerusalem (Jer 33, 16), altari (Gen 33, 20; Ex 17, 15). Unde Messias hic non vocatur Deus, sed edicitur in eius nomine (composito) occurrere Yahwe.[71]

e. In Dan 7, 13 Messias (*"quasi filius hominis"*) dicitur "venire cum nubibus caeli et pervenire usque ad antiquum dierum", i.e. ad Yahwe. Locus hic indicat quidem auctoritatem divinam Messiae, sed non clare divinitatem.[72]

f. In Mich 5, 1 egressus Messiae dicitur "ab initio a diebus *aeternitatis*". Quae expressio potest indicare veram aeternitatem, sed etiam tempus longum indeterminatum.[73]

2. Messiam fore *Filium Dei naturalem,* clare continetur in Ps 2: *"Filius meus et tu, ego hodie genui te".* Etenim a) psalmus hic est messianicus sensu "literali"; b) nulla persona singularis dicitur in V.T. genita a Deo nisi Messias; c) ubi agitur de generatione personae singularis, vox yalád in V.T. semper significat generationem proprie dictam.[74]

Minus clari sunt:

a. Ps 109, ubi Yahwe dicit de Messia: *"ex utero ante luciferum genui te".* Sed disputatur utrum textus noster hebraicus sit *genuinus* an LXX. Divinitas Messiae quidem clare apparet in LXX, quam sequitur Vulgata latina, sed non in textu hebraico.[75]

b. Is 53, 8 *"Generationem eius quis enarrabit?"* Sed textus noster hebraicus differt a Vulgata, neque effert generationem aeternam Messiae.[76]

3. Cum agatur de *mysteriis stricte dictis,* a) ante adventum Messiae, hi loci vix sufficiebant ad creandam fidem firmam in eius divinitatem, quamvis debuissent mentem ad eam inclinare; de facto, Judaei coaevi Iesu non concipiebant Messiam ut Deum.[77] b) Post adventum Messiae, debuerunt Judaei rem accuratius examinare, neque statim accusare Iesum blasphemiae. c) Nobis haec consideranda sunt in statuendo vero sensu V.T.

---

[70]Knabenbauer, Is I p. 197-8; Ceuppens p. 225.

[71]Ceuppens p. 423.

[72]Ceuppens p. 484, 490.

[73]Ceuppens p. 344-6, 357.

[74]Ceuppens p. 129-147.—Ps 2 est primum documentum hebraicum quod continet terminum 'Messias'.

[75]Ceuppens p. 150-4, 163-4; Murillo p. 552-3; Lusseau-Collomb p. 731; Otten III p. 11.

[76]Knabenbauer, Is II p. 331-4; Ceuppens p. 12-3; van der Ploeg p. 12-3; Fernandez, in IB p. 440.

[77]Bonsirven I p. 370-5.

APOLOGETICAE

PARS SEXTA

Institutio Ecclesiae

Iesus Nazarenus non tantum multa docuit, sed etiam voluit ut *omnes homines* amplecterentur integram suam doctrinam atque secundum eam viverent. Ideo enim de seipso dixit: "Ego sum lux mundi" (J 8, 12).

Iamvero Iesus ipse non praedicavit extra fines Palaestinae; immo mulieri chananaeae dixit: "Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel" (Mt 15, 24). Neque semper mansurus erat in hac terra, sed 40 diebus post resurrectionem gloriose ascendit in caelum (Act 1, 9). Non erat consilium Patris ut Iesus directe et immediate doceret omnes homines sicut docuerat Apostolos.

Iure igitur quaeritur quod fuerit consilium Iesu circa ulteriorem *propagationem* suae religionis. Seu quaeritur quomodo ceteri homines (praeter Judaeos coaevos) cognoscere possint religionem Iesu.

Si rem consideremus *a priori,* Iesus varias vias inire potuit. Potuit scribere codicem (v.g. catechismum) qui contineret universam eius doctrinam, esset expers omnis erroris et ambiguitatis, gauderet limpida claritate; quem codicem utique sigillare deberet ut suum et curare ut servaretur incorruptus. Vel potuit singulis hominibus privatim revelare suam religionem sicut eam revelavit S. Paulo. Vel potuit eam relinquere traditioni historicae, ita ut conservaretur et propagaretur mediis pure naturalibus (sicut v.g. philosophia Platonis).

Nullam ex his viis Iesus elegit. "Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare *Ecclesiam* decrevit, in qua, velut in domo Dei viventis, fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur" (D 1821).

Id probare, est finis huius partis Apologeticae, quae constat duobus articulis:

1. Regnum Dei
2. Hierarchia et magisterium

Methodus adhuc est *apologetica* (cf. supra p. 18-21). Tria tamen notentur:

a. Iam supponimus probatum Iesum Nazarenum fuisse *Deum,* eum tertia die a mortuis *resurrexisse,* et per *40 dies* apparuisse Apostolis eisque locutum esse de regno Dei (Act 1, 3).

b. Dicta *S. Pauli* et *Patrum* generatim adducuntur ut "confirmationes"; non iam enim agitur de factis historicis quae facile cognoscere poterant, sed de doctrina Christi.[1]

c. *Omittimus* ea quae nequeunt tractari nisi dogmatice.[2]

---

[1]Eadem dicta, postquam tractari possunt dogmatice, constituunt argumenta fortissima.

[2]supra p. 17.

ARTICULUS 1

REGNUM DEI

THESIS 25

Christus praedicavit regnum Dei ut societatem religiosam, quae non esset mere eschatologica, sed iam in hac vita exsistens, nec mere interna, sed etiam externa, eamque vocavit Ecclesiam suam.

Cf. BainvelE p. 23-41; BillotE I p. 56-102; DA I col. 1222-1230; Dict. prat. II col. 1032-1042; DieckmannE I p. 77-125; Dorsch II p. 21-36; FelderA II p. 4-12; Goebel p. 236-255; de Groot p. 45-53; Hervé I p. 295-303; van Laak, Rep. p. 202-217; Lercher I p. 274-286; Mazzella, Rel. p. 352-369; Muncunill II p. 14-26; Ottiger II p. 474-494; Pesch I n. 305-310; Schiffini p. 188-213; Schultes p. 38-47, 82-8; Straub II p. 589-601; Suarez, De Fide, Disp. 9 s. 8; Tanquerey p. 418-430; Zapelena p. 4-22, 51-60, 342-352.

Thesis haec introductoria duo praestat: a) removet quasdam *interpretationes malas* regni Dei quod Christus continenter praedicavit; b) positive probat *identitatem* huius regni Dei et Ecclesiae Christi.

1. *Regnum Dei*

a. Christum *praedicasse* regnum Dei ab initio vitae suae publicae usque ad finem, immo regnum Dei fuisse thema centrale suae praedicationis, patet ex innumeris locis 4 evangeliorum et Actuum. Neque dubium est quin terminus 'regnum Dei' sit in plerisque locis genuinus et historicus.

Nota. Loco 'regnum Dei', in Mt generatim legitur *'regnum caelorum'*. Discrimen esse pure verbale, omnes concedunt.—Neque Christus de alia re locutus est cum dixit 'regnum meum' (J 18, 36), 'regnum Patris mei' (Mt 26, 29), 'regnum' (Mt 8, 12) etc.; patet si comparantur loci paralleli.[1]

b. Evidens est legenti significationem huius termini non esse semper prorsus eandem. Quae diversitas (a priori loquendo) indicare potest vel res diversas vel diversos respectus eiusdem rei.

Apologeticae non est hanc quaestionem dirimere.[2] Sed positive

[1] Fonck, Parables etc. p. 64-6; Joüon p. 10-11.

[2] Lagrange, Mt p. clvi-clxvii.

asserimus terminum 'regnum Dei' *in locis citandis* significare id quod enuntiatur in thesi.

2. *Societas* est multitudo hominum certa stabilitate ad communem finem conspirantium. In qua definitione 'multitudo hominum' est *genus* (vel elementum materiale) 'conspiratio stabilis in finem communem' *differentia* (vel elementum formale).

In hac thesi sumimus hunc terminum sensu *valde lato,* ita ut nihil dicamus de organizatione, praepositis etc.

Nihilominus iam incipit oppositio fundamentalis ad *Protestantismum,* qui est individualismus seu atomismus religiosus.

Etenim, secundum nos, Ecclesia coepit eo quod Christus in mente sua *concepit* et efficaciter *voluit* societatem, cui individua nomen dare poterant vel debebant. Ideo enim "praedicavit" regnum Dei. *Totum* (societas) ergo erat *ante partes* (individua), saltem in mente et praedicatione Christi. E contra, theologi Protestantes (praesertim post Schleiermacher) sic concipiunt originem Ecclesiae: Primo exsistebant homines pii et credentes; ob rationes practicas, hi se sponte univerunt in congregationes (ecclesias), congregationes in Ecclesiam. Partes igitur erant ante totum. Idem tenent rationalistae; v.g. Jackson-Lake, Beg. of Chr. I p. 296-7, 304, 330-2.[3]

3. *Societas religiosa* est ea cuius finis est promovere cultum Dei et salutem aeternam hominum. Distinguitur a societate *profana* (v.g politica, scientifica, commerciali), cuius finis est bonum temporale vel materiale.

4. *Societas praesens*

Haec pars ponitur contra duas classes adversariorum: a) Aliqui Judaei coaevi Christi exspectaverunt regnum messianicum ut gloriosum in hac terra, sed ita ut condiciones huius vitae totaliter aliae essent a nostris.[4] b) Schola eschatologica asserit Christum praedicasse regnum Dei ut exclusive futurum.[5]

Non negamus Christum intellexisse regnum Dei interdum ut vitam beatam in caelo (v.g. Mt 7, 21; 8, 11-2; 19, 23-4; 25, 34; 26,

---

[3]Dicta Christi quibus Catholici probaverunt suam thesim, hi vel neglexerunt vel dixerunt esse interpolationes aut fictiones primorum Christianorum. Cf. O.Linton p. 7-8, 24-8, 117-8; WilmersE p. 26-8, 30.

[4]supra p. 219.

[5]supra p. 221. Schola eschatologica etiam tenet Christum praedicasse instantiam parousiae; hunc errorem iam refutavimus (supra p. 223-4).

29). Sed asserimus Christum, in locis citandis, intellexisse illud ut *exsistens in hac terra,* et quidem *sub condicionibus huius vitae;* hoc ipsum autem esse *futurum* quatenus debeat crescere et tendat ad gloriosam consummationem in caelo.

5. *Societas visibilis*

Si Christus intellexit regnum Dei ut societatem, sine dubio eam intellexit ut qua talem visibilem, ita ut *externe* constare possit ubi sit et qui ad eam pertineant. Licet enim dari possint ac dentur societates "secretae", tamen per se societas est visibilis. Neque visibilitas Ecclesiae Christi negata est nisi ob falsas praemissas. Scil.

a. Wicliff et Hus putaverunt Ecclesiam Christi esse societatem solorum *praedestinatorum.* Cum autem impossibile sit dicere qui sint praedestinati, logice dixerunt Ecclesiam Christi esse societatem invisibilem. Cf. D 627, 632, 647.

b. Similiter Lutherus vocavit Ecclesiam Christi "coetum *sanctorum*" ac proinde invisibilem. Cf. infra p. 412; WilmersE p. 58-60.

c. Rationalistae, modernistae, Protestantes liberales putant Christum nihil voluisse nisi *renovationem internam,* atque eius regnum *excludere* quamlibet organizationem, vel saltem ab ea abstrahere.[6]

Non negamus Christum quam maxime desiderasse renovationem internam, sed asserimus eum intellexisse regnum suum ut etiam *externe cognoscibile.*

6. *Ecclesia*

Christus locutus est aramaice. Unde non dicimus eum adhibuisse vocem graecam aut latinam. Sed asserimus vocem 'Ecclesia' respondere *sensui* vocis quam Christus adhibuit, et esse *synonymam* cum 'regno Dei' in hac terra.

Thesis est critice et historice *certa.* Dogmatice est *de fide* (ex clara Scriptura).

THESIS PROBATUR

1. Regnum Dei ut *societas*

Christum intellexisse regnum Dei ut societatem, patet:

a. Ex ipsa *voce*: regnum enim est societas vel eam supponit.

b. Ex multis *parabolis* de regno Dei in quibus indoles eius socialis aperte supponitur; v.g. de grege parvo (L 12, 32), de bono pas-

[6]Pesch I n. 310; Zapelena p. 18-9.

tore et ovili (J 10, 14-6), de vinea in qua multi cooperantur sub patrefamilias (Mt 20, 1-15), de convivio nuptiali (Mt 22, 2-14) etc.

c. Christum concepisse et voluisse regnum Dei ut societatem aliquam, clarius patebit ex reliquis partibus huius thesis, ex thesi 26, praesertim ex thesibus 27 et 28, quibus probabimus institutionem hierarchiae.

2. Regnum Dei ut societas *religiosa*

Id sufficienter constat ex eo quod Iesus voluit esse et erat magister *exclusive religiosus*.[7] Ergo si thema centrale eius praedicationis erat societas aliqua, eam intellexit ut religiosam.

Dices: Finis religiosus excluditur in aliquibus parabolis. *Convivium nuptiale, grex ovium, vinea* etc. nihil religiosum continent.

R. *Dist.* hae res in se non sunt religiosae *Tr.* Christus eas non adhibuit ad illustrandum aliquid religiosum *N.*

3. Regnum Dei ut societas *praesens*[8]

a. In Mt 13 Christus comparat regnum Dei a) grano sinapis, quod crescere debeat, b) fermento, quod gradatim pervadat totum, c) reti, quo contineantur pisces boni et mali, d) agro, in quo crescant triticum et zizania. Atqui haec valent neque de regno eschatologico Judaeorum neque de caelo.

Ex duabus ultimis parabolis etiam patet Christum non concepisse regnum Dei ut societatem "electorum" seu "praedestinatorum". Separatio bonorum et malorum enim non fiet nisi "in consummatione saeculi" (Mt 13, 49).

b. Iesum habuisse regnum Dei ut iam praesens, patet ex Mt 11, 12 ("usque nunc"), ex Mt 12, 28 ("pervenit in vos regnum Dei"), ex L 17, 21 ("regnum Dei intra vos est"), ex locis ubi dicit regnum Dei "appropinquasse" (Mt 3, 2; 4,17; Mc 1, 15; L 10, 11) vel ubi iubet discipulos idem praedicare (Mt 10, 7; L 10, 9), tandem ex iis quae dixit in sermone montano: "Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia (i.e. bona terrena) adicientur vobis" (Mt 6, 33).[8]

4. Regnum Dei ut societas *visibilis*

Sicut Christus reprehendit pharisaeos ob suam observationem legum mere externam ("omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus"), ita voluit ut "veri adoratores adorarent Patrem in spiritu et veritate" (J 4, 23). Nihilominus Christum intellexisse

---

[7]supra p. 205.

[8]Lagrange, Mt p. clx.

per regnum Dei societatem externe cognoscibilem, patet a) ex parabolis supra allatis; grex, vinea, convivium etc. enim sunt aliquid visibile. b) Idem evidenter infertur ex aliis dictis Iesu: Christiani fiunt per baptismum (J 3, 5; Mt 28, 19), i.e. per ritum externum et visibilem. Christiani debent fidem publice profiteri (Mt 10, 32; Mc 8, 38; L 9, 26; 12, 8) et qua Christiani persecutiones patientur (Mt 10, 17-40; 24, 9-10; Mc 13, 9-13); ergo externe qua membra novi regni cognoscibiles sunt. Tandem iudicium in fine mundi (Mt 25, 40) supponit "fratres Christi" potuisse cognosci externe.

Dices 1. Secundum L 17, 21 "regnum Dei *intra vos* (ἐντὸς ὑμῶν) est".

R. Tria responderi possunt: a) Verum est vocem ἐντός in aliis locis S.Scripturae semper significare "intus" seu "intra". At ex usu linguae graecae etiam aliter sumi *potest*. Et in dicto citato aliter sumi *debet*. Nam Christus ibi loquitur pharisaeis; atqui Christus certo noluit dicere regnum Dei esse in cordibus eorum. b) Etiamsi hoc loco regnum Dei esset internum, sunt alia dicta Iesu quae supponunt indolem visibilem; unde ex principiis sanae exegesis potius concludendum esset ad *duplicem* aspectum regni Dei: internum et externum (uti fecimus in probatione). c) Sensus huius dicti ex contextu hic est: Regnum Dei non veniet "cum observatione" (i.e. sicut revolutio politica vel fulgur), qualem adventum Judaei exspectabant, sed *iam adest*, licet adhuc parvum sit et vix visibile.[9]

Urg. "Regnum meum *non est de hoc mundo*" (J 18, 36).

R. Christus ipse statim explicavit regnum suum non esse sicut regnum Caesaris, i.e. pure terrenum, politicum, oeconomicum.

Urg. Regnum Dei est *"thesaurus absconditus"* (Mt 13, 44).

R. Obiectio haec nititur mala interpretatione parabolae. Idea principalis huius parabolae evidenter est quod regnum Dei est thesaurus; ceterae ideae sunt accidentales.[10]

Dices 2 (cum Sohm): Societas *religiosa* necessario invisibilis est.

R. *Dist.* sub omni respectu *N.* aliter *Tr.*[11]

Urg. (Harnack, Sabatier etc.) Synagoga Judaeorum erat societas visibilis. Atqui Christus voluit ut regnum Dei esset *diversum a synagoga*. Ergo voluit ut esset pure internum.

R. *C.M. Dist.min.* diversum quoad omnia elementa *N.* quoad aliqua *Tr.* Sane synagoga constabat hominibus; num igitur Christus voluit ut regnum Dei constaret solis angelis? Harnack non advertit quod una res potest specifice differre ab alia, licet cum ea conveniat in eodem genere.

Schol. Christum non intellexisse regnum Dei ut societatem otiosam, sed maxime practicam et *operosam,* patet ex eo quod homines debent "poenitentiam agere" propter illud, "quaerere"

---

[9]Knabenbauer, L p. 495-6; Lagrange, L p. 460-1; Dorsch II p. 534; DA I col. 1228-1230; Allen, in Expository Times 1938 p. 476-7; 1939 p. 233-5.

[10]Fonck, Par. p. 186; Lagrange, Mt p. 276; Knabenbauer, Mt I p. 599.

[11]Schultes p. 53.

illud, "fermentari" per illud, se profiteri eius membra etiam contra persecutores, oboedire eius legibus etc.

5. Regnum Dei et *Ecclesia*

Vox 'Ecclesia' *bis* occurrit in dictis Christi, quae nobis servata sunt in Mt:

a. Christus loquitur de *"sua Ecclesia"* in Mt 16, 18. Quae non tantum est aliquid visibile nec mere regnum eschatologicum, sed evidenter etiam identica cum "regno caelorum" de quo loquitur in v. 19.[12]

Dices: Societas nequit dici *"aedificari"*.

R. *Dist.* sensu proprio *Tr.* metaphorico *N.* Eadem metaphora legitur in V.T.: Jer 33, 7; Ps 101, 17; Amos 9, 11.

b. Ex Mt 18, 17 patet Ecclesiam Christi non tantum esse aliquid visibile, sed etiam eam exsistere in hac terra et sub condicionibus huius vitae.

Cor. Ergo, ex voluntate Christi, Ecclesia eius est societas exclusive religiosa, praesens, visibilis.

Dices 1. Secundum 1 Petr 2, 5, Ecclesia Christi est *"domus spiritualis"*, quae offert "spirituales hostias".

R. 1. Petrum agnovisse Ecclesiam ut societatem visibilem, patet non tantum ex eius sermonibus qui leguntur in Act, sed etiam ex hac epistola, in qua (5, 1-3) admonet episcopos ut providentes pascant gregem Dei.

R. 2. *Dist.* Ecclesia est domus spiritualis quoad omnia sua elementa *N.* quoad aliqua, immo potiora *C.*[13]

Dices 2. Ecclesia Christi est obiectum *fidei;* nam dicitur in symbolo apostolico: "credo . . . Ecclesiam". Atqui obiectum fidei videri nequit; fides enim est "argumentum rerum non-apparentium" (Hebr 11, 1).

R. *Dist.M.* sub omni respectu *N.* sub aliquo respectu *C.*[14]

Urg. Id cuius elementum *formale* et praecipuum videri nequit, iure dicitur invisibile. Atqui elementum formale Ecclesiae videri nequit; hoc enim est fides, gratia sanctificans etc.

R. 1. *N.M.* Homo dicitur visibilis, licet *anima* sit invisibilis.

R. 2. *Dist.* si nullum elementum essentiale est visibile *Tr.* secus *N.*

Urg. Ecclesia Christi est corpus Christi *mysticum.* Atqui corpus mysticum est invisibile.

R. Eadem est responsio.

Urg. Saltem aequo iure Ecclesia dicitur *vel* visibilis *vel* invisibilis.

R. *N.* Si Ecclesiam dicis visibilem, non negas aliqua eius elementa esse invisibilia; sed si eam dicis invisibilem, dicis omnia eius elementa esse invisibilia (sicut si diceres hominem invisibilem).[15]

---

[12]Jackson-Lake, in Beg. of Chr. I p. 330, vocant hanc identificationem "unmistakable".

[13]Dorsch II p. 534-5.

[14]Dorsch II p. 531-3; WilmersE p. 63, 487.

[15]WilmersE p. 60-1.

Schol. Inter peritos non constat qua voce *aramaica* Christus usus sit in Mt 16, 18 et 18, 17; potuit esse 'qehála' (qahál) vel 'kenishtá' vel 'édah'.—Vox *graeca* ἐκκλησία saepe adhibetur a S. Paulo tamquam omnibus nota, ita ut concludere liceat eam in usu cotidiano fuisse ante evangelia scripta. Potest igitur esse ut *translator Mt* eam simpliciter sumpserit ex usu coetuum christianorum quos S. Paulus fundaverat inter Graecos, et qui eam sibi accommodaverant ex usu paganorum.[16]

---

[16] van Laak, Rep. p. 209; Knabenbauer, Mt II p. 56; Prat, J.-Chr. I p. 434; Biblica 1935 p. 91; Prümm II p. 166; Suppl. II col. 487-491.

Thesis 26

Christus Ecclesiam suam voluit esse unicam et perfecte unam, indefectibilem, omnibus ad salutem necessariam.

Cf. BillotE I p. 102-123, 147-153; DieckmannE I p. 157-186; Dorsch II p. 37-43, 431-443, 469-474; Falcon p. 447-451; FelderA II p. 18-28; Goebel p. 391-7; de Groot p. 142-6, 270-282; Hervé I p. 346-351; van Laak, Rep. p. 210-7; Lercher I p. 326-341, 441-6; Mazzella, Rel. p. 393-408, 572-583; Muncunill II p. 222-9, 256-266; Ottiger II p. 261-358; Pesch I n. 313, 391-5; Schiffini p. 214-232; Schultes p. 167-174, 268-295; Straub I p. 314-335; II p. 602-625; Wilmers, Lehrb. II p. 551-3, 562-6, 670-9; Zapelena p. 61-9, 388-400.

Thesis haec est omnino necessaria ad scopum huius Apologeticae. Exponit enim relationem quam Christus voluit esse inter Ecclesiam suam seu regnum Dei in hac terra et *genus humanum* (in spatio et tempore).

1. *Unicum* est id quod non habet sui simile in eodem ordine. Unicitas igitur opponitur pluralitati in eodem ordine.

Negamus Christum voluisse ut sint *plures* Ecclesiae autonomae.

2. *Unum* est indivisum in se. Unitas igitur opponitur divisioni internae.

Asserimus Christum voluisse ut Ecclesia sua sit *perfecte una.*

3. *Indefectibilitas* tria dicit: a) perpetuitatem seu perennitatem usque ad finem mundi; b) identitatem, ita ut numquam sit alia quam fuerit ab initio; c) impossibilitatem cessationis aut mutationis.

Duo tamen notanda:

a. Loquimur de indefectibilitate Ecclesiae *qua totius;* non loquimur de singulis partibus vel membris Ecclesiae (v.g. de hoc vel illo homine, de hac vel illa ecclesia particulari).

b. Loquimur de identitate *essentiali;* non negamus mutabilitatem et evolutionem quandam Ecclesiae in rebus accidentalibus et accessoriis. Si enim Christus voluit suam Ecclesiam exsistere per saecula et in diversis regionibus, non potuit, utpote Deus, non praevidere varias mutationes accidentales.

Quaenam autem sint essentialia Ecclesiae Christi, nondum distincte dicimus. Cum Ecclesia sit societas religiosa, ad ea sane pertinent *finis* et *fides;* mutato enim vel deficiente fine, societas

quaevis mutatur vel deficit; atque mutata vel deficiente fide, societas qua religiosa mutatur vel deficit. Sed praeterea quaerenda est *voluntas positiva* Christi, qui Ecclesiam instituit.

4. *Necessitas*

Dubium non est quin omnes homines habeant facultatem ingrediendi Ecclesiam. Sed quaeritur num habeant *obligationem* an sint (moraliter) liberi. Potuit enim Christus instituere Ecclesiam sicut Ecclesia instituit ordines religiosos, quos nemo tenetur ingredi.

Asserimus omnibus hominibus incumbere obligationem.

Tria tamen notanda:

a. Loquimur a) de solis *adultis* b) ad quos pervenit *cognitio* verae Ecclesiae Christi, et qui c) *nullis obstaculis* detinentur. Quid fiet cum *infantibus* et iis adultis qui Ecclesiam ingredi *non possunt* sive propter ignorantiam invincibilem sive propter obstacula, apologetice nihil certum habemus.

b. Loquimur de unione *externa,* ita ut externe probari possit hunc vel illum esse membrum Ecclesiae. Qualis debeat esse dispositio interna, et num unio interna interdum sufficere possit, sunt quaestiones dogmatice tractandae.

c. Theologi distinguunt inter necessitatem *medii* et *praecepti,* atque necessitatem medii iterum distinguunt in *late* et *stricte* dictam. Distinguunt etiam inter medium *positivum* et meram *condicionem.* Nos apologetice non distinguimus; quaevis vera *obligatio moralis* nobis sufficit.

Unde indeterminate asserimus idem quod asserit CIC: "Veram Dei Ecclesiam amplecti omnes divina lege tenentur" (can. 1322, 2).

Thesis est critice et historice *certa*. Dogmatice est *de fide divina et catholica;* continetur enim in innumeris documentis magisterii: D 246, 423, 430, 468, 469, 714, 1000, 1473, 1677, 1647, 1824, 1955, 2053, etc.

Thesis probatur

1. *Unicitas Ecclesiae*

a. Christus non tantum non fundavit plures Ecclesias, sed pluralitas Ecclesiarum est contra clara eius dicta. Saepe locutus est de regn*o* su*o*, numquam de regnis suis; ovile suum voluit esse *unum uni* pastori subditum (J 10, 1; 10, 16; 11, 52); loquens uni Petro ait: "super hanc petram aedificabo Eccles*iam* me*am*," non

ecclesias meas aut unam ex ecclesiis meis. Tandem rogavit Patrem ut omnes sint *unum* (cf. statim).

b. Sicut doctrina Christi est *universalis,* ita eius Ecclesia; Ecclesia enim est doctrina viva Christi. Quod autem est universale, est unicum.

Confirmatur:

a. In Act, *Lucas* saepius refert ad Ecclesiam ut unicam (5, 11; 9, 31; 12, 1; 12, 5; 20, 28). *S.Paulus* quoque supponit unicam esse Ecclesiam Christi (v.g. Eph 5, 23; 4, 4-6; 1 Tim 3, 15). Atqui ratio huius persuasionis alia esse nequit nisi voluntas Christi clare manifestata.

Nota. Ubi Paulus loquitur de *ecclesiis,* nimis evidens est eum loqui de partibus unius Ecclesiae. Aliqui tamen inde inferunt a) Paulum initio non habuisse conceptum Ecclesiae universalis, b) Ecclesiam lente ortam esse ex unione ecclesiarum. Male omnino. Etiam extra Eph, Paulus saepe loquitur de "Ecclesia Christi" (Rom 16, 23; 1 Cor 12, 28; Gal 1, 13 etc.). Concedimus autem Paulum debuisse prius fundare ecclesias particulares, et ipsum fuisse vinculum praecipuum externum inter eas.[1]

b. Usque ad Reformationem, *omnibus Christianis* persuasum erat neque esse neque posse esse plures Ecclesias Christi, ita ut pluralitas contradiceret expressae voluntati Christi. Sic in symbolis fidei semper fit professio in Ecclesiam, vel in unam Ecclesiam, vel in unam et unicam Ecclesiam.

2. *Unitas perfecta Ecclesiae*

In genere: Christus comparavit Ecclesiam suam regno, civitati, domui, ovili etc. Atque simul edixit horum unitatem et indivisionem *necessariam* ad exsistentiam: "Omne regnum in seipsum divisum desolabitur" (L 11, 17); "omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit" (Mt 12, 25).

In specie: Lege *orationem sacerdotalem* Iesu in J 17

a. *Genuinitas.* Nulla est difficultas ex critica textuali, nisi quod in v. 21 alterum ἓν deest in B, C, D et aliquibus minusculis; unde omittitur a Lagrange (J p. 450).

b. *Historicitas.* Erant qui dicerent hanc orationem esse fictam secundum adiuncta temporis quo compositum est evangelium; at nihil in tota oratione indicat tempus ca. 100.[2]

c. *Sensus.* Oratio evidenter constat 3 partibus: a) Iesus orat

---

[1]Prat, Theol. II p. 278; Meinertz, Gef. p. 70.
[2]Lagrange, J p. 437.

pro se (v. 1-5), b) pro Apostolis (v. 6-19), c) "pro iis qui credituri sunt per verbum eorum in me" (v. 20-6).

Iamvero in secunda et tertia parte: Christus imprimis separat Apostolos a mundo ("non pro mundo rogo"). Dein orat pro *unitate* Apostolorum et fidelium omnium inter se: "ut sint unum sicut et nos" (v. 11); "ut omnes unum sint" (v. 21); "ut sint unum sicut et nos unum sumus" (v. 22); "ut sint consummati in unum" (v. 23).—Ex v. 21 addi potest "ut et ipsi in nobis unum sint"; licet enim ἕν dubium sit, saltem subintellegitur.

Porro Iesus hanc unitatem voluit esse *perfectam.* Nam voluit ut esset a) similis unitati inter se et Patrem, quae sane est perfecta, b) motivum eximium credibilitatis pro toto mundo: "ut credat mundus quia tu me misisti" (v. 21).—Inde etiam elucet Iesum voluisse ut haec unitas esset non mere interna, sed etiam *externa;* secus enim non posset esse motivum credibilitatis.

d. Christus hanc unitatem perfectam *efficaciter petivit* a Patre. Nam eam petivit eodem modo absoluto sicut suam propriam clarificationem, cuius pars est unitas Ecclesiae suae. Atqui Christus efficaciter petivit suam propriam clarificationem. Ergo etiam unitatem perfectam Ecclesiae.

Confirmatur: *S.Paulus* in plurimis locis effert vel subaudit hanc unitatem perfectam Ecclesiae (Rom 16, 17; 1 Cor 10, 17; 12, 12-3; Eph 4, 4-6; 1, 22-3 etc.). Ergo supponit Christum eam voluisse.[3]

3. *Indefectibilitas Ecclesiae*

a. Duo sunt dicta clara Christi in quibus promittitur perpetuitas Ecclesiae:

Mt 16, 18 *"Portae inferi non praevalebunt adversus eam".* Dictum hoc in se nullam limitationem subaudit quoad tempus futurum, neque est ulla ratio ponendi limitem.

Dubitatur quidem utrum 'eam' (αὐτῆς) *directe* referat ad petram an ad Ecclesiam. Hoc alterum probabilius est; sed etsi directe referat ad petram, certo indirecte et implicite refert ad Ecclesiam.[4]

Nota. Parum refert ad argumentum qui sit sensus exactus phrasis *"portae inferi"* (πύλαι ᾅδου). Ab exegetis tripliciter sumitur: a) ut regnum Satanae; b) ut mors; c) ut utrumque simul, quatenus Satanas est causa mortis. Videtur praeferenda esse prima interpretatio, quia vox 'praevalebunt' (κατισχύσουσιν) habet sensum activum, et Christus saepe opposuit regnum suum regno Satanae.[5]

---

[3]Prat, Theol. II p. 279-280.

[4]Lagrange, Mt p. 327; Knabenbauer, Mt II p. 63; Ottiger II p. 279-280; Straub I p. 316.

[5]Knabenbauer, Mt II p. 63-5; Lagrange, Mt p. 325-7.

Mt 28, 20 *"Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi"* (ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος). Haec ultima phrasis quinquies legitur in Mt (13, 39; 13, 40; 13, 49; 24, 3; 28, 20). Atqui, secundum omnes, in 4 prioribus locis significat finem mundi. Ergo etiam hoc loco—nisi contextus evidenter adversetur. Atqui contextus potius postulat hunc sensum; nam Christus loquitur de evangelio praedicando omnibus gentibus.

Dices: Iuxta S.Chrysostomum (In Mt Hom. 75, 2) aliosque (v.g. Lagrange, Mt p. 461), "consummatio" in Mt 24, 14 significat *destructionem Jerusalem.*

R. In Mt 24, 14 non legitur nostra phrasis, sed τέλος. Nihilominus locus refert ad finem mundi.

Urg. In 1 Cor 10, 11 et Hebr 9, 26 similes phrases (τὰ τέλη τῶν αἰώνων—ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων) significant *tempus messianicum.* Ergo etiam in Mt 28, 20.

R. *N.par.* In duobus istis locis sermo est de tempore *ante* Messiam; in Mt 28, 20 autem Messias, iam in mundo praesens, loquitur de tempore futuro.

Sunt etiam alia dicta Christi, in quibus perennitas Ecclesiae saltem supponitur vel innuitur. Sic Christus comparat regnum Dei in terra agro, in quo simul cum tritico crescunt zizania *"usque ad messem"* (Mt 13, 24-30), i.e. ad ultimum iudicium, et sagenae, in quam intrant pisces boni et mali *"usque ad consummationem saeculi"* (Mt 13, 47-50).

b. Ex iisdem dictis etiam patet Christum voluisse ut Ecclesia maneret *identica* (saltem essentialiter) semper et ubique; secus enim non iam esset Ecclesia Christi.

c. Ecclesiam tandem *non posse* deficere, patet ex duplici promissione Christi. Nam a) in ultima coena Christus promisit Apostolis assistentiam perpetuam Spiritus s. (J 14, 16); b) post resurrectionem eis promisit assistentiam suam efficacem: "Ecce ego vobiscum sum" (Mt 28, 20).[6]

Confirmatur: a) Si finis ultimus Ecclesiae Christi est salus hominum, Ecclesia manere debet *quamdiu salvandi erunt homines;* atqui verum est antecedens. b) Ecclesia Christi est *regnum messianicum promissum in V.T.;* atqui hoc regnum praedictum erat ut perpetuum.[7]

---

[6]Adiutorium *efficax* differt a mere sufficienti. In adiutorio mere sufficienti, Deus quidem ex sua parte facit quidquid requiritur ut effectus sequatur; effectus tamen non sequitur ob defectum ex parte hominis. In adiutorio efficaci Deus facit ut homo cooperetur, ita ut effectus actu sequatur.

[7]Schultes p. 280; Straub I p. 320-4; Ceuppens p. 116-129, 490; Zapelena p. 63.

Cor. Ergo semper alicubi exstitit, hodie exsistit, perpetuo ex-sistet Ecclesia Christi essentialiter identica cum regno Dei quem praedicavit Christus. Atque haec Ecclesia est unica et una.

Obiectiones

a. Christus ipse praedixit Ecclesiam defecturam esse *tempore* anti-*christi* (Mt 24, 12; 24, 24; L 18, 8), et S.Paulus praedixit magnam apos-tasiam *in fine mundi* (2 Thess 2, 3; 1 Tim 4, 1).

R. *Dist.* deficiet fides et caritas multorum *Tr.* deficiet ipsa Ecclesia *N.*

b. Institutum quod pendet a *libera* cooperatione hominum, deficere potest. Atqui Ecclesia ut societas pendet a libera cooperatione hominum. Ita Sociniani.

R. *Dist.M.* institutum mere humanum *Tr.* humano-divinum *subd.* si ei promissa est assistentia efficax divina in perpetuum *N.* secus *Tr.*[9]

Urg. Deus etiam promiserat *vetus foedus* fore perpetuum (v.g. Gen 17, 7; Exod 12, 14). Atqui vetus foedus periit.

R. *Dist.M.* quatenus vetus foedus mansurum esset in statu suo imper-fecto usque ad finem mundi *N.* quatenus adimplendum esset in novo foedere *C.*[10]

Urg. Assistentia Spiritus s. *condicionate* promissa est in J 14: "si diligitis me" (v. 15).

R. *N.* Promissio data in v. 16-17 est absoluta.[11]

Urg. S.Paulus intellexit promissionem perpetuitatis esse condicionatam, nam docet gentes insertas olivae judaicae *abscindi posse* nisi in fide et bonitate permanserint (Rom 11, 21-2).

R. *N.supp.* Paulus non loquitur de Ecclesia Christi qua tali, sed de ecclesia particulari vel de singulis fidelibus. Atque in contextu (Rom 11, 23-6) evidenter supponit Ecclesiam fore perpetuam.

4. *Necessitas Ecclesiae*

a. Christus iussit Apostolos "facere discipulos" *omnes homines* (Mt 28, 19). Atqui tale mandatum implicite continet mandatum ut omnes fiant discipuli seu se uniant Ecclesiae.

Dices (cum Jackson-Lake, Beg. etc. I p. 337) : "The evidence of Acts is convincing proof that the tradition embodied in Matthew xxviii 19 is late and unhistorical".

R. *N.* vel *Dist.* si Actus male intelleguntur *Tr.* aliter *N.* Jackson-Lake maxime arguunt ex silentio.

Urg. (cum iisdem, ib. p. 306) : "If Jesus' last words had been to order his followers to make disciples of all the Gentiles, would there conceivably have been so much trouble before the Apostles came to recognize the propriety of doing so"?

R. Duo responderi possunt : a) Christus postea specificavit *initium* missionis universalis (Act 1, 8). b) Apostoli tantum dubitaverunt de modo *prac-tico* quo non-Judaei admittendi essent in Ecclesiam.

---

[8]Knabenbauer, L p. 504; 2 Thess p. 135; Straub I p. 333-4.
[9]Straub I p. 334-5; Dorsch II p. 38; Schiffini p. 226-7.
[10]Straub I p. 325-6; Dorsch II p. 40.
[11]Tillmann p. 266.

b. Christus dixit *salutem aeternam* pendere ab impletione huius mandati: "Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvabitur; qui vero non crediderit, condemnabitur" (Mc 16, 16).—"Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus" (Mt 18, 17).[12]

Confirmatur:

Primis Christianis, ac praesertim *Apostolis,* intime persuasum erat unionem cum Ecclesia Christi esse omnino necessariam ad salutem. Id patet ex eorum zelo missionario, ex eorum pugna cum schismate et haeresi, ex eorum constantia inter persecutiones; sine tali intima persuasione haec omnia explicari non possunt.

Atqui huius persuasionis alia ratio esse non potest nisi expressa voluntas Christi ut omnes homines se uniant Ecclesiae.[13]

Cor. Ergo, ex clara voluntate Christi, non sufficit ut aliquis *privatim* profiteatur religionem Christi; sed quicunque vult salvari, debet votis omnibus *quaerere* Ecclesiam Christi, eam inventam *ingredi,* in ea *perseverare* usque ad mortem.

Obiectiones

a. Homines *liberi* sunt ingredi Ecclesiam.

R. *Dist.* libertate physica seu psychologica *C.* morali *N.* vel *subd.* post cognitam voluntatem Christi *N.* aliter *Tr.*

b. Religio est *res privata.*

R. *Dist.* loquendo a priori vel in abstracto *Tr.* a posteriori, scil. ex voluntate Christi clare manifestata *subd.* religio est res privata quatenus unusquisque debet eam personaliter exercere (i.e. per actus personales fidei, amoris, cultus) *C.* quatenus religio Christi exercenda sit independenter ab eius Ecclesia *N.*

c. (Hase) In sermone montano Christus nihil dixit de hac obligatione.

R. Quid inde? Num Christus omnia una occasione docere debuit? Et num Hase certus est Matthaeum et Lucam nobis totum sermonem montanum tradidisse?

Schol. *Infallibilitas Ecclesiae*

Ecclesia est *infallibilis in rebus fidei.* Idque ob duplicem rationem: a) Res maxime fundamentalis coetus exclusive religiosi est eius *doctrina* (fides), atque coetus talis deficit si deficit a doctrina sua originali. Ergo si Ecclesia erraret in fide, portae inferi praevalerent adversus eam, et promissio assistentiae divinae esset vana. b) Ex mandato Christi, ad salutem necessarium est *credere* eius doctrinam. Atqui Christus, utpote Deus, non potuit facere errorem necessarium ad salutem.

---

[12] Vox 'Ecclesia' hic quidem significat solos praepositos (cf. infra p. 363-4); id tamen non afficit nostrum argumentum; nam sola membra societatis proprie "audiunt" praepositos.

[13] Ottiger II p. 266-7; de Groot p. 144.

ARTICULUS 2

HIERARCHIA ET MAGISTERIUM

THESIS 27

Christus collegio Apostolorum contulit munus regendi Ecclesiam suam et praedicandi evangelium.

Cf: BainvelM p. 17-33; BillotE I p. 356-443; DA s.v. Eglise; DThC s.v. Apôtres; DieckmannE I p. 254-271; II p. 7-58; Dorsch II p. 52-9, 234-252; Falcon p. 353-364, 385-391; FelderA II p. 49-65, 200-6; Franzelin, Trad. p. 20-43; Goebel p. 258-272, 319-329; de Groot p. 86-109, 344-352; d'Herbigny I p. 170-231; Hervé I p. 459-463, 303-311; Hurter I p. 124-141, 269-272; van Laak, Rep. p. 250-265, 381-404; Lercher I p. 274-295, 488-497; Mazzella, Rel. p. 408-425, 599-614; Muncunill II p. 108-121; Ottiger II p. 4-49, 318-350; Pesch I n. 260-271, 441-463; Schiffini p. 232-256; Schultes p. 359-367, 506-510; Straub II p. 187-251; Tanquerey I p. 431-9; Zapelena p. 70-89.

Thesis haec non est absolute necessaria ad scopum huius Apologeticae; est tamen *complementum* valde utile, maxime pro altera parte Theologiae fundamentalis.

Problema

Ex voluntate Christi, Ecclesia est societas. Eam habere *organizationem* aliquam atque dirigi in finem suum per *auctoritatem* aliquam, a priori quidem probabile erat, sed non certum.

Utique quamdiu Christus vixit in hac terra, ipse pollebat auctoritate plena: "Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra" (Mt 28, 18). Quid autem fiet *post eius discessum?*

Unde duo quaeruntur: a) Num Christus voluit Ecclesiam suam regi per *auctoritatem visibilem* in hac terra? b) Si ita, utrum ipse *designaverit* hanc auctoritatem an fortasse reliquerit rem *evolutioni historicae?* Vel si loqui volumus terminis modernis: Quaerimus num Christus dederit Ecclesiae *formam regiminis* determinatam? Theologi demum idem volunt cum quaerunt: Utrum Christus instituerit Ecclesiam ut societatem *aequalem* an *inaequalem?*

Asserimus Christum instituisse in Ecclesia sua duplex munus, scil. *regendi* ac *docendi auctoritative,* atque contulisse utrumque *collegio Apostolorum.*[1]

---

[1] In hac Apologetica vix tangimus tertium munus, scil. sanctificandi, quod Christus etiam contulit Apostolis (J 17, 26; 20, 22-3).

1. *Collegium Apostolorum*

a. *Apostoli* sunt 12 discipuli Christi quorum catalogus quater recensetur in N.T.: Mt 10, 2-4; Mc 3, 16-9; L 6, 14-6; Act 1, 13.

Nota. Post inventam Didache (1893) magna orta est controversia inter theologos (praesertim Protestantes) quae sit *definitio* bona Apostoli. Nos hanc disputationem transmittere possumus.[2]

b. *Collegium* Apostolorum sunt "duodecim" qua *unum corpus morale* distinctum a ceteris discipulis et a plebe.

Hoc collegium non est fictio historica (uti volunt quidam rationalistae), sed *libera creatio Christi.* Id quod patet ex 3 rationibus: a) Eorum *catalogus* completus quater recensetur; et nisi constituissent collegium, nomen Judae omissum esset post eius defectionem. b) In N.T. Apostoli saepe inducuntur nomine *collegiali* **οἱ δώδεκα** (vel post defectionem Judae **οἱ ἕνδεκα**): in Mt decies, in Mc ter et decies, in L novies, in J quater, in Act ter. Tandem c) Christus eos *speciatim* elegit ac vocavit, eos nominavit Apostolos, eos privatim docuit etc.[3]

2. *Regere* est auctoritative dirigere membra societatis ut cooperentur ad finem communem societatis; *auctoritas* (iurisdictio) autem est potestas moralis socialis regendi alios ut subditos; ei respondet oboedientia in subditis.

Partes iurisdictionis tres numerantur: legislativa, administrativa, iudicialis (cum coactiva).

Nota. Distinguitur auctoritas *iurisdictionis* in societate perfecta, et auctoritas *dominativa* in societate imperfecta. Ecclesia est societas perfecta, ac proinde ii qui habent munus regendi in ea, exercent veram iurisdictionem. Sed haec distinctio transmitti potest in ipsa thesi.

Asserimus igitur Christum constituisse collegium Apostolorum ut regerent Ecclesiam suam *post Ascensionem,* ita ut fidelibus incumberet obligatio eis oboediendi.

3. *Praedicare* seu *docere* quid sit in genere, vix indiget explicatione. In concreto autem duo sunt notanda:

a. Quoad *obiectum* asserimus Apostolos debuisse praedicare "evangelium" seu doctrinam Christi, i.e. quidquid Christus in hac terra degens praedicavit ut magister mundi universi (revelatio publica). Idque intellegimus *exclusive;* asserimus munus Apostolorum se non extendisse ad alia; v.g. ad artes, philosophiam etc.

---

[2]DieckmannE I p. 249-252; Linton p. 69-101; infra p. 371.

[3]DieckmannE I p. 261; d'Herbigny I p. 170-9; Zapelena p. 85-6; Grandmaison III p. 164-5; Rech. de science rel. 1939 p. 610-5.

b. Aliquis docere potest verbo vel opere, instructione vel exemplo suo. Christus ipse docuit *verbo* et *opere*. Quamvis autem dubium non sit quin Christus voluerit ut Apostoli docerent exemplo suo, i.e. ut viverent secundum evangelium, tamen in thesi intellegimus (saltem primarie) *docere verbis*.

4. *"Et"*, i.e. duo munera intime coniungenda sunt. Scil. Apostoli regere debent ut possint docere, et docere debent auctoritative (authentice).[4]

Thesis est critice et historice *certa*. Dogmatice est *de fide* (ex clara Scriptura). Cf. D 1821.

ADVERSARII

Rationalistae, Protestantes liberales, modernistae: Etsi Christus voluerit regnum Dei esse societatem aliquam, nihil determinavit circa eius constitutionem; potius voluit ut discipuli sui unirentur *caritate* atque seipsos regerent absque ullo munere ecclesiastico.

Eorum sententiam sic exponit A. C. Headlam, qui tamen ab eis dissentit: "The existence of such things as rules, laws, penalties, hierarchy and Canon law are all fundamentally inconsistent with Christianity. They exist only owing to human imperfection. All Christians are priests, so there is no need of a priesthood. All Christians are brothers, so that there should be none to rule in the brotherhood. Our relations to one another are to be regulated by love, so there is no need of any code of rules" (The Anglican Church p. 111).—Haec legimus in "Our Presbyterian Church" (Phila. 1933): "Jesus Christ left no definite ideas of the physical form in which the Church was to develop; he himself said that God would guide his followers as the need arose. He gave no orders, wrote no constitution, suggested no plans of church organization or government. He merely told his disciples to go into all the world and witness".

Speciatim R. Sohm haec docuit: Ab initio Ecclesia Christi non erat iuridica (i.e. non regebatur iure divino vel humano), sed *charismatica;* organizatio charismatica autem *se evolvit* in iuridicam in decursu saec. 1. Cf. Sohm, Outlines of Church History p. 31-43; Linton p. 49-67; DieckmannE I p. 323-4.

---

[4]Est tamen aliquod discrimen. *Regendi* sunt soli subditi, i.e. ii qui iam sunt membra Ecclesiae; sed *docendae* sunt "omnes gentes". Subditi igitur docentur auctoritative, i e. fides eis imponitur; non ita non-subditi. At Apostolis datum est ius divinum "faciendi discipulos" etiam non-subditos.

Thesis probatur

I. *Munus regendi*

Tria sunt dicta in quibus Christus promittit et confert Apostolis ***plenam potestatem regendi*** Ecclesiam suam: Mt 18, 17-8 "Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et paganus. Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo". J 17, 18 "Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum". J 20, 21 "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos".

1. *Genuinitas* horum textuum est extra dubium; leguntur enim in omnibus fontibus sine ulla varietate substantiali; neque rationes quas afferunt (praesertim contra Mt 18, 17-8), sunt criticae, sed doctrinales, scil. quia nimis clare exprimant conceptus hierarchicos.[5]

2. Neque est dubium quoad eorum *historicitatem.* Et quidem duo dicta in J esse historica, probatur ex generali credibilitate J. Contra Mt 18, 18 autem obicitur quod legatur in *solo Mt,* et quod omittatur in L 17, 3, loco *parallelo.*

Sed imprimis, si evangelista finxisset hoc dictum (v.g. ut vindicaret auctoritatem Apostolorum), illud sane *magis extulisset,* neque posuisset ut merum appendicem ad doctrinam moralem.—Neque obstat quod dictum legitur in solo Mt. Nam a) rationalistae admittunt *alia* dicta ut historica quamvis legantur tantum in uno evangelio (v.g. Mt 10, 23, quo Harnack abutitur ut neget universalitatem religionis Christi); b) probandum esset ceteros evangelistas *non potuisse* tacere hoc dictum; c) dictum hoc magis consonat *scopo* primi evangelii quam aliorum.—Tandem negandum est L 17, 3 esse *parallelum* cum Mt 18, 17-8.[6]

3. *Sensus* Mt 18, 18: *Quid cui promittitur?*

a. Christus alloquitur omnes et solos *Apostolos.* Inde enim a v. 1 adsunt soli *οἱ μαθηταί*; atqui a) hic terminus in Mt plerumque indicat "duodecim"; b) inter solos Apostolos oriri potuit disputatio "quis putas maior est in regno caelorum" (v. 1).

Dices 1. Non est certum totum caput 18 dictum esse una occasione.

R. *Tr.* a) Saltem Matthaeus narrat dictum ut directum ad solos Apostolos. b) Judaeis prorsus alienum fuisset tam amplam potestatem conferri aliis ac praepositis.

---

[5] Id aperte fatetur v.g. Pfleiderer, Urchristentum p. 519.

[6] DieckmannE I p. 259-260, 269; Lagrange, L p. 452; Prümm II p. 55-8.

Dices 2. Et praecedentia (v. 15-17) et subsequentia (v. 19-20) dicta sunt *omnibus fidelibus*. Ergo etiam v. 18. Antecedens patet; nam in v. 15-17 quaestio est de correctione fraterna et de toto coetu fidelium ("Ecclesia"); ea autem quae leguntur in v. 19-20 evidenter sunt universalia.

R. *N.ant.* In v. 15-17 non est quaestio de correctione fraterna, sed de modo quo pastores animarum agere debeant cum peccatore publico; neque vox "Ecclesia" (v. 17) significat totum coetum, sed praepositos; nam etiam apud Judaeos, non totus coetus, sed seniores solebant iudicare, poenas infligere, e synagoga eicere.—Etiam in v. 19 Christus alloquitur solos Apostolos ("vobis"), licet ratio allata in v. 20 sit generalis.[7]

b. His verbis Christus promisit Apostolis *plenam* potestatem regendi gregem suum. Licet enim v. 17 proxime spectet potestatem iudicialem et coactivam (scil. iudicandi peccatorem eumque excommunicandi), tamen in v. 18 hanc potestatem extendit ad omnes res sociales; patet ex *"quaecunque"*.

Dices: Apud rabbinos termini "ligare" et "solvere" mere significabant "declarare actum aliquem illicitum vel licitum", i.e. *sine* obligatione morali. Ergo termini idem significant in Mt 18, 18.

R. *Tr.ant. N.cons.* In Mt 18, 18 plus dicunt. Nam Christus hic loquitur a) de praepositis qua talibus ("Ecclesia") et b) de obligatione morali in subditis ("in caelo").

4. Etiam in J 17, 18 ("oratio sacerdotalis") et in J 20, 21 Christus alloquitur *solos Apostolos*. Sicut autem ipse habuit a Patre *omnem potestatem regendi* Ecclesiam suam (cf. Mt 28, 18), ita eam contulit Apostolis post resurrectionem in J 20, 21; in J 17, 18 idem dixerat proleptice.

Dices: Christus noluit ut inter suos essent *"domini"* (Mt 20, 25-8; L 22, 25-7).

R. *N.supp.* Locis citatis, Christus evidenter locutus est de *spiritu* quo sui omnes, ac praesertim Apostoli, debeant fungi munere suo; scil. non debent κατακυριεύειν (dominari dure, superbe, tyrannice) aut κατεξουσιάζειν (subditos premere ac vexare)—sicut "reges gentium". Suorum exemplum potius sit "filius hominis qui non venit ministrari, sed *ministrare*" (Mt 20, 28).[8]

Confirmatur:

a. Ex historia Ecclesiae infantis: Apostoli controversiam ortam ex observatione legis mosaicae *auctoritative* diremerunt (Act 15, 28), sed numquam auctoritatem suam repetiverunt a coetu fidelium aut se exhibuerunt ut eorum delegatos.

Dices 1. In controversia ista Apostoli non egerunt sine coetu fidelium. Nam a) in Act 15, 22 dicitur placuisse "Apostolis et senioribus *cum omni Ecclesia*"; b) ipsum decretum finale habuit hanc inscriptionem: οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ ἀδελφοί (Act 15, 23).

---

[7]Knabenbauer, Mt II p. 131-3; Lagrange, Mt p. 345; Prat, J.-Chr. I p. 461-2.

[8]Goebel p. 265-6; Reatz p. 337-9.

R. Alio transmittimus quaestionem de "senioribus". Sed a) in Act 15, 22 agitur tantum de *legatis* mittendis ad varias ecclesias. b) In Act 15, 23 textus *genuinus* est οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἀδελφοί (Apostoli et seniores fratres). Id quod patet etiam ex Act 15, 6 "convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc", et ex Act 16, 4 "quae erant decreta ab Apostolis et senioribus"; praeterea nihil legimus de parte quem populus habuerit in hoc concilio.[9]

Dices 2. Secundum S.Petrum, omnes Christiani sunt "regale sacerdotium" (1 Petr 2, 9), i.e. *reges* et sacerdotes.

R. *Dist.* sensu proprio *N*. improprio *C*.[10]

Dices 3. S. Paulus scribit Corinthiis: *"Non quasi imperans* dico" (2 Cor 8, 8).

R. *Dist.* in re de qua Paulus tunc egit *C*. in omnibus rebus *N*. Cf. 1 Cor 4, 21; 11, 34.

Urg. Idem scribit: "Omnia vestra sunt, sive Paulus sive Apollo sive Kepha" (1 Cor 3, 22), et Apostolos vocat "servos" Corinthiorum (2 Cor 4, 5). Ergo suprema potestas in Ecclesia Christi penes populum est.

R. *N.supp.* In utroque loco S.Paulus evidenter loquitur de subiecto utilitatis; nos in thesi loquimur de *subiecto inhaesionis*, in quo scil. resideat potestas.

b. Ex *historia Reformationis,* quae ostendit principium Protestantium (scil. Christum instituisse Ecclesiam ut democratiam vel ei reliquisse formam regiminis determinandam) duxisse ad adulterationem evangelii et ad frustrationem finis supremi Ecclesiae. Negato enim munere regendi divinitus instituto, individualismus invasit in religionem Protestantium; unde primo doctrina Christi adulterata est ac dein praxis.[11]

Atqui Christus, utpote Deus, non potuit non praevidere sequelas tam funestas easque cavere.

II. *Munus docendi*

Lege Mt 28, 16-20; Mc 16, 15-16; L 24, 46-8; Act 1, 1-8.

1. Dubium nullum est quoad *genuinitatem* textuum ex Mt, L, Act. Lectiones variantes sunt nullius momenti ad rem nostram. In Mt 28, 19 aliquod dubium quidem est quoad οὖν; sed particula, licet fortasse spuria, apte exprimit nexum, qui revera adest.—Quoad finalem Mc, cf. supra p. 131-2.

2. Dicta haec Christi esse *historica,* utique negatur ab iis qui negant eius resurrectionem; sed hanc iam probavimus. Ea autem esse fictiones Ecclesiae infantis vel evangelistarum, absurde dicitur.

3. *Sensus*: *Quid cui praecipitur?*

---

[9] Boudou p. 334; Linton p. 189-192.
[10] Holzmeister, in loc.; WilmersE p. 124.
[11] DieckmannE I p. 265.

a. Christus alloquitur omnes et solos *Apostolos*. Id clare patet in Mt (v. 16 οἱ ἕνδεκα μαθηταί) et Mc (v. 14 τοῖς ἕνδεκα φανερώθη). Minus clarum est in L; sed si hic locus comparatur cum Act 1, 1-8 ("praecipiens *Apostolis . . . quos elegit*"), dubium omne evanescit.

Dices: In Mt 28, 17 legitur "quidam autem *dubitaverunt*"; atqui post tot apparitiones Apostoli vix iam dubitaverunt resurrectionem; ergo aderant etiam alii.

R. Adfuisse in monte illo Galilaeae solos Apostolos, patet ex v. 16; ergo etiam ii qui "dubitaverunt", erant Apostoli. Matthaeus autem non dicit quod fuerit *obiectum* dubii. Videtur dicendum cum Knabenbauer (Mt II p. 569): Quidam ex eis dubitaverunt initio apparitionis, scil. cum Christus adhuc esset *eminus* (sicut etiam in J 21, 7); hinc evangelista pergit "et *accedens* (προσελθών) Iesus etc."[12]

b. His verbis Christus constituit Apostolos *magistros authenticos* evangelii. Id patet a) ex verbis "docete", "praedicate", "eritis mihi testes." Atque Apostoli docere debent b) eadem auctoritate quam ipse (qua homo) habuit a Patre ("ergo"); eademque auctoritas docendi continetur in promissa assistentia divina, in praemio fidei et poena infidelitatis, in ipso fine magistri religiosi. c) Obiectum exclusivum praedicationis debet esse *evangelium* ("praedicate evangelium", "omnia quaecunque mandavi vobis", "testes horum").

Dices: In L 10, 1-24 idem munus docendi collatum est 72 (vel 70) *discipulis*. Ergo non fuit proprium 12 Apostolorum.

R. *N.ant.* vel *Dist.* munus transitorium *Tr.* permanens *N.*

Urg. Mt 23, 8-10 "Vos autem *nolite vocari rabbi;* unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. . . . *Nec vocemini magistri* (καθηγηταί), quia magister vester unus est, Christus".

R. Duo responderi possunt: a) *Eo tempore* quo Christus haec dixit, Apostoli nondum erant constituti magistri. b) Uti patet ex contextu, Christus mere reprehendit malum usum horum titulorum, scil. *ad vanam ostentationem* vel ambitionem.

Confirmatur *ex praxi Apostolorum*:

Etenim a) Mc breviter finitur: "Illi autem profecti *praedicaverunt* ubique"; ipsum initium praedicationis nobis narrat Lucas in Act, scil. die Pentecostes; eius progressus autem narratur per totum librum Act. b) Etiam *obiectum* praedicationis ("evangelium") clare exprimitur; v.g. Act 5, 42; 6, 2-4; 10, 42. Dein c) Apostoli sibi conscii erant se non docere proprio Marte, sed se habere munus et ius docendi *divinitus datum* (Act 4, 19). Tandem d) Apostoli sibi conscii erant *sibi solis* hoc munus demandatum esse (Act 10, 41-2).

---

[12] Prat, J.-Chr. II p. 460; Lebreton, Life etc. II p. 424; Lagrange, Mt p. 543-4.

Similiter *Paulum* a) instanter praedicasse evangelium, nimis evidens est ex altera parte Act et ex eius epistolis. Aeque evidens est b) eum praedicavisse auctoritative; v.g. ex Gal 1, 8-9 "si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit"; et ex 2 Thess 1, 8 ubi minatur "flammam ignis" iis qui "non oboedi-verunt evangelio Domini nostri Iesu Christi".

Dices: *Die Pentecostes,* omnes, etiam mulieres praesentes in caenaculo, repleti sunt Spiritu s. (Act 2, 4). Atqui Spiritus s. datus est eis in ordine ad docendum.

R. *Tr.M. Dist.min.* iis quibus promissum et collatum erat munus docendi a Christo *C.* ceteris *N.* Ceteris Spiritus s. datus est ad alios effectus; v.g. laudandi Deum.

Urg. In Act etiam *alii* praeter Apostolos dicuntur praedicasse evangelium; v.g. Stephanus, Philippus, Hellenistae dispersi post mortem Stephani. Similiter in epistolis Paulinis saepe legimus de "charismaticis", quorum aliqui (apostoli, doctores) docebant.

R. *Dist.* hi praedicabant subordinati Apostolis *C.* aliter *N.* S. Paulus insistit praedicationem "charismaticorum" subordinari suae (Gal 1, 8-9).

COROLLARIA

1. Ergo iam tempore apostolico Ecclesia erat *societas inaequalis,* quatenus in ea erant superiores et inferiores. Quae inaequalitas erat *iuris divini.*—Neque Apostoli ullo modo pendebant a consensu fidelium, sive quoad auctoritatem ipsam regendi et docendi sive quoad eius exercitium; utrumque enim habebant iure divino.

Nota. Potestas regendi ac docendi quae habetur in Ecclesia Christi (vel personae quae eam tenent) dicitur *hierarchia* (ἱερὰ ἀρχή) seu "sacra potestas"; ratio est quia est divina in sua origine, fine, mediis.

2. Ergo superfluae sunt theoriae quibus rationalistae sibi explicant *ortum hierarchiae* (infra p. 405); historice enim certum est Christum ipsum eam instituisse.

3. Ergo collegium Apostolorum constitutum est a Christo ipso magisterium *vivum et authenticum* evangelii.

Qua de re duo notanda:

a. Qua magisterium *vivum,* Apostoli quadruplici munere fungi potuerunt ac debuerunt: testium, doctorum seu interpretum, custodum, iudicum. Qua *testes* dixerunt: sic accepimus, sic credimus, sic omnibus credendum est; qua *doctores* seu interpretes explicaverunt, probaverunt, defenderunt evangelium; qua *custodes* conservaverunt illud; qua *iudices* solverunt dubia, damnaverunt errores et abusus, approbaverunt praedicationem aliorum.[13]

---

[13] Schiffini p. 590-608.

b. Qua magisterium *authenticum,* Apostoli authentice docuerunt etiam ea quae, quamvis non directe et explicite contenta in evangelio, cum eo *conexa* sunt, i.e. sine quibus evangelium ipsum non potuisset convenienter doceri. Qui enim vult finem, vult media; atqui docere ea quae conexa sunt cum evangelio, est medium ad docendum ipsum evangelium.

Obiectiones

1. Jer 31, 34 "Et *non docebit ultra vir proximum suum* et vir fratrem suum dicens 'Cognosce Dominum'. Omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum". Hic textus est messianicus, ac proinde praedicitur in regno messianico cessaturum esse quodlibet magisterium humanum.

R. 1 (apol.) Si hic esset sensus, Jeremias sibi contradixisset; nam in 3, 15 dixerat: "Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et *pascent vos scientia et doctrina*". Atqui talis contradictio praesumi non debet. Ergo hic non est sensus verus.

R. 2 (dogm.) Qui sit sensus verus loci, inter exegetas non constat. Videtur Jeremias extollere *maiorem perfectionem* cognitionis religiosae in regno messianico.[14]

2. Is 54, 13 "Ponam universos filios tuos *doctos a Domino*". Isaias hic loquitur de regno messianico atque ab eo excludit omne magisterium humanum.

R. Christus ipse hoc vaticinium interpretatus est de *sua* praedicatione et *gratia interna* (J 6, 45).[15]

Urg. 1 Thess 4, 9 "Ipsi vos *a Deo didicistis* ut diligatis invicem".

R. *Dist.* sensu aiente *C.* sensu negante *N.* Scil. Paulus hic extollit gratiam internam; at inde non sequitur eum excludere magisterium humanum, praesertim cum ipse illud tam constanter exercuerit.

3. 1 J 2, 20-7 "Vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia . . . *Non necesse habetis ut aliquis vos doceat*".

R. Uti clare patet ex contextu, S. Ioannes vult excludere magisterium *pseudo-doctorum;* contra hos monet fideles ut maneant in doctrina quam acceperant.[16]

4. 1 Cor 2, 15 "Spiritualis (homo) iudicat omnia, et ipse *a nemine iudicatur*". Ergo S. Paulus reicit magisterium authenticum in rebus religiosis. Ita Calvinus, Anabaptistae.

R. a) Si hic esset sensus loci, Paulus sibi ipse contradixisset; nam saepe iudicavit in rebus religiosis; v.g. Gal 1, 8. b) Ex contextu, sensus hic est: Animalis homo non potest iudicare de rebus supernaturalibus; homo

---

[14]Knabenbauer, Jer p. 393-5; idem, Thess p. 84; Pesch VIII n. 239; Franzelin, Trad. p. 108-110; BillotE I p. 115-6; WilmersE p. 46.

[15]Knabenbauer, Is II p. 372; idem, J p. 242; Pesch V n. 97; VIII n. 240; Lagrange, J p. 180-1; Franzelin, Trad. p. 107-8.

[16]Dorsch I p. 493; Pesch VIII n. 238.—S. Augustinus sic commentatur: "Quid ergo nos facimus, fratres, quia docemus vos? . . . Ipsi Ioanni dico: Ut quid talem epistolam fecisti? Quid illos docebas? Quid instruebas? Quid aedificabas"?

spiritualis iudicare potest de rebus naturalibus et supernaturalibus; ipse autem a nullo iudicari potest *qui non sit spiritualis.*[17]

Urg. 2 Cor 1, 23 "*Non dominamur fidei vestrae*".

R. a) Eodem modo ac supra. b) Paulus a se excludit dominationem *tyrannicam,* neque vult Corinthios punire sicut merentur.

5. Gal 1, 8 "Licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit". Ergo Paulus excludit magisterium omne in rebus religiosis.

R. a) Si hic esset sensus, Paulus sibi contradixisset in eadem sententia; nam admittit se evangelizasse; etiam contradixisset toti vitae suae apostolicae. b) Ex contextu, vox "praeter" evidenter significat "contra"; Paulus anathematizat magistrum qui *contradicat* suae doctrinae.[18]

Schol. 1. Magisterium infallibile Apostolorum

1. *Ipsa infallibilitas*

Christum constituisse Apostolos magisterium non mere authenticum, sed etiam infallibile, probatur triplici argumento:

a. Ex multiplici *promissione* Christi: In ultima coena Apostolis emphatice promisit *assistentiam Spiritus s.,* quem vocavit "Spiritum veritatis" (J 14, 16-7; 15, 26-7; 16, 13). *Suam propriam assistentiam* in exercitio muneris apostolici eis promisit post resurrectionem: "ecce ego vobiscum sum" (Mt 28, 20). Atqui utraque promissio erat *efficax.* Nam a) tam emphatica petitio Spiritus s. non potuit non esse efficax apud Patrem; b) promissio Dei "ego vobiscum sum" semper est efficax.[19]

b. Ex *minis* Christi: Iis qui non credituri sunt Apostolis praedicantibus, Christus minatur *damnationem aeternam* (Mc 16, 16). Atqui veracitati Dei repugnat sub hac poena postulare fidem in rem quae ullo modo possit esse falsa.

Dices: Hoc argumentum claudicat ob duplicem rationem. a) In V. T. *Judaei* iubebantur credere synagogae sub poena mortis (cf. Deut 17, 12); atqui synagoga non erat infallibilis. b) Vox "condemnabitur" non necessario significat poenam *aeternam.*

R. *Nass.* ad a) In Deut 17, 12 agitur tantum de oboedientia; nos primarie agimus de assensu mentis. Dein mors temporalis comparari nequit damnationi aeternae; etiam auctoritas civilis, quae sane est fallibilis, mortem decernere potest ob inoboedientiam.—ad b) Vox κατακρίνω significat damnationem supremi iudicii; praeterea in contextu opponitur saluti aeternae.[20]

---

[17]Cornely, 1 Cor p. 71; Simón II p. 174.—Bene locum illustrat S. Chrysostomus: "Qui videt, omnia quidem videt, etiam ea quae ad caecum pertinent; quae autem videntis sunt, ea nullus caecus videt".

[18]Cornely, Gal p. 389-391; Zorell, s.v. παρά III 4 b.

[19]Straub I p. 318-19; DieckmannE II p. 41-2; Holzmeister, in VD 1938 p. 363-9.

[20]Zorell s.v.; Lagrange, Mc p. 453.

c. Ex *fine* magisterii: Christus voluit ut doctrina sua conservaretur et propagaretur per Apostolos. Atqui hic finis frustraretur nisi Apostoli fuissent infallibiles.

2. *Condiciones infallibilitatis*

Apostoli fuerunt infallibiles sub 3 condicionibus simul verificandis: a) si praedicaverunt *evangelium,* b) si *omnes* idem praedicaverunt, et quidem c) *definitive* seu peremptorie, ita ut vellent omnes obligare ad credendum sub poena aeternae damnationis. Etenim a) Apostoli non erant missi nisi ad praedicandum evangelium; b) dicta Christi citata in probatione referunt ad totum collegium; c) ubi Apostoli locuti sunt minore auctoritate, res non poterat esse certo revelata.

Nota 1. De facto, non tantum omnes Apostoli qua collegium, sed *singuli* infallibiles erant in praedicando evangelio. Id quidem theologice certum est, sed vix probari potest argumentis pure historicis.[21]

Nota 2. Apostoli (qua collegium) erant etiam infallibiles ubi docuerunt ea quae *conexa* sunt cum evangelio. Ratio eadem est quam indicavimus pro magisterio authentico (supra p. 368).

Nota 3. Apostoli incerti esse poterant de rebus quae *non* pertinent ad evangelium. Sic cum Christus noluisset revelare diem iudicii, Apostoli incerti manere debebant utrum Christus venturus esset ipsis viventibus necne.

3. *Causa infallibilitatis*

Causa (efficiens) infallibilitatis Apostolorum non erat donum aliquod naturale (v.g. sapientia, bona memoria, virtus probata, diligens studium), sed *assistentia divina* promissa a Christo.

Dices 1. Solus Deus est infallibilis.

R. *Dist.* ex se et quoad omnia *C.* Deus non potest ita assistere hominibus ut hi non errent saltem circa quaedam *N.*

Dices 2. Deus non fecit rectores societatis *civilis* infallibiles in rebus religiosis. Ergo neque Apostolos.

R. *N.par.* Paritatem deesse, constat historice, scil. ex promissionibus repetitis Christi.

Dices 3. Munus non dat cognitionem. Ergo munus regendi vel docendi non dat infallibilitatem.

R. *Dist.ant.* non dat physice *Tr.* non potest esse titulus ob quem Deus eam dare possit *N.*

Dices 4. *Synagoga* erat fallibilis. Ergo etiam magisterium Ecclesiae.

R. *Tr.ant. N.cons.* Etenim a) positive probavimus Christum constituisse collegium Apostolorum infallibile; contra factum autem non valet argumentatio. b) Synagoga in tot aliis rebus inferior erat Ecclesiae Christi ut non sit mirum eam etiam inferiorem fuisse quoad hoc.[22]

---

[21] d'HerbignyE I p. 198-9; Ottiger II p. 7, 19-23; Straub I p. 150-1; Dorsch II p. 75-6.

[22] Straub II p. 206-210; van Laak, Rep. p. 402-4.—Theologi generatim dicunt synagogam fuisse *fallibilem;* sed eius magisterium ordinarium complebatur per magisterium extraordinarium *prophetarum.*

Dices 5. De facto, Apostoli *erraverunt.* Nam a) alius est Iesus apud Paulum, alius apud Ioannem, alius apud synopticos; b) alia est doctrina Pauli de iustificatione, alia Iacobi; Paulus enim omnem efficaciam tribuit fidei, Iacobus bonis operibus.

R. 1 (apol.) *N.supp.* Nos loquimur tantum de *toto collegio.*

R. 2 (dogm.) *N.* Cf. Ottiger II p. 25-34.

Urg. Apostoli docuerunt *parousiam proxime instare.* Cf. Rom 13, 12; 1 Thess 4, 15-7.

R. 1 (apol.) *Dist.* omnes simul, ita ut postularent fidem absolutam *N.* aliter *Tr.* Num putandum est Apostolos praedicasse ut revelatum et credendum id quod Christus bis eis positive recusaverat revelare? Quae recusatio continebatur in traditione apostolica.

R. 2 (dogm.) *N.* Cf. Ottiger II p. 35-44; Pesch I n. 270.

Schol. 2. *Alii Apostoli*

Nomen proprium "Apostoli" collatum est "duodecim" a Christo ipso et in Ecclesia gradatim praevaluit prae *οἱ μαθηταί* vel *οἱ δώδεκα.*[23] Sed a) in N.T. multi alii praeter "duodecim" vocantur Apostoli, atque b) Didache loquitur de Apostolis suae aetatis (ca. 120). Quaeritur ergo quo sensu alii *praeter "duodecim"* sic nominentur?

a. *Mathias* secutus est Iesum ab initio, sed non est electus cum "duodecim". Nihilominus eis adnumerandus est postquam apostolatum accepit a "Domino" ut suppleret locum Judae Iscariotae (Act 1, 15-26).[24]

b. Neque *Paulus* secutus est Christum dum degeret in hac terra, sed post Pentecosten a Christo electus est in apostolatum gentium atque ut talis a ceteris Apostolis agnitus est.[25]

c. Dubitatur num *Barnabas* dici possit Apostolus sensu stricto.[26]

d. Disputatur num Paulus loquatur de Apostolis sensu stricto an lato in *Gal 1, 19* "Alium autem Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini".[27]

e. In Rom 16, 7 *Andronicus* et *Junias* dicuntur "nobiles in Apostolis" (ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις); sed sensus videtur esse hos duos viros magni aestimari ab Apostolis.[28]

f. *"Charisma"* Apostolorum de quo Paulus loquitur in 1 Cor 12, 28 et Eph 4, 11, non refert ad apostolatum sensu stricto.[29]

g. Ii quos *Didache* nominat Apostolos, erant missionarii itinerantes.

---

[23] Lebreton, Life etc. I p. 114.
[24] Boudou p. 21-2.
[25] Zapelena p. 88.
[26] Boudou p. 267-8; LThK s. v. Barnabas.
[27] Lyonnet, in Rech. de Science rel. June 1939 p. 335-351.
[28] Cornely, Rom p. 776-7; Zorell s.v. ἐν III 1.
[29] Prat, Theol. I p. 424.

Thesis 28

Christus Petro promisit ac contulit primatum iurisdictionis in sua Ecclesia et magisterium supremum.

Cf. BainvelE p. 180-190, 210-7; BillotE I p. 653-705; DA III col. 1333-1371; DieckmannE I p. 285-314; II p. 91-112; DThC s.v. Primauté; Dorsch II p. 79-126, 269-329; FelderA II p. 82-106, 217-235; Goebel p. 284-311, 358-375; de Groot p. 492-524, 603-634; d'HerbignyE I p. 246-328; Hervé I p. 440-450; Hurter I p. 352-380, 424-465; van Laak, Rep. p. 217-225, 457-505; Lercher I p. 301-325, 497-513; Mazzella, Rel. p. 813-874; Muncunill II p. 47-83; Ottiger II p. 61-212; Pesch I n. 285-304, 507-519; Schiffini p. 286-329, 705-728; Schultes p. 369-403, 457-487; Straub II p. 348-395; Suarez, De Fide, Disp. 10 s. 1; Tanquerey I p. 453-468; WilmersE p. 148-175; idem, Lehrb. II p. 436-467; Zapelena p. 90-123, 305-328.

Thesis haec est omnino necessaria ad scopum huius Apologeticae. Atque in terris linguae *anglicae* vix est alia quaestio apologetica quae sit tanti momenti atque haec de primatu.[1]

Problema

Iam ostendimus praerogativas quas Christus contulit collegio Apostolorum. Sed quaerimus ulterius num Apostoli omnes fuerint *inter se aequales.*

Utique quamdiu Christus degebat in terra, ipse solus erat eorum caput, dux, magister. Sed num Christus non providit ut, se in caelum regresso, adesset in terra sui *vicarius, caput visibile* et collegii Apostolorum et totius gregis Christi?

Catholici affirmant, non-Catholici fere omnes negant.

1. *Petrus* est is ex "duodecim" qui semper primus ponitur in catalogis Apostolorum.

Nota. Quoad nomen nativum Petri eiusque mutationem: a) Nomen *nativum* Petri erat Συμεών (Act 15, 14; 2 Petr 1, 1); eius forma graeca erat Σίμων. A synopticis vocatur Petrus, a Ioanne generatim Simon Petrus, a Paulo Kephas (exc. Gal 2, 7-8).—b) Christus ei imposuit nomen *Kephas* in electione Apostolorum (Mc 3, 16; L 6, 14), non tandem in Mt 16.—c) Kephas verti poterat in graecum πέτρα vel πέτρος; πέτρα melius reddidisset vim vocis aramaicae; sed πέτρος sumebatur utpote nomen *viri.*[2]

2. *Primatus iurisdictionis*

---

[1]Butler ch. 20.

[2]Lagrange, Mt p. 324; Jacquier p. 24-5; Knabenbauer, Mc p. 100; Zorell svv. πέτρα, Πέτρος, Σίμων; Messenger, in Clergy Rev. 1938 p. 203-211; Rheinfelder, in Bibl. Zeitschrift 1938 p. 139-163.

a. *Iurisdictio* est potestas moralis regendi alios ut subditos.

b. *Primatus* in genere est praeeminentia quaedam. Sed alius est a) primatus honoris (v.g. ob aetatem, merita, prudentiam etc.), alius b) primatus merae inspectionis et directionis (v.g. chairman), alius demum c) primatus iurisdictionis, quae est *potestas suprema* regendi alios ut subditos. Qui tenet hunc primatum, omnibus membris societatis imperat, sed ipse nulli nisi Deo subditus est.

3. *Magisterium supremum* coetus religiosi est munus docendi religionem non tantum simplices fideles, sed etiam magistros fidelium.

Thesis est critice et historice *certa.* Dogmatice est *de fide definita*: D 1822-3, 1832-1840. Cf. etiam D 171-2, 466, 694, 730, 768, 1319, 2055, 2145.

ADVERSARII

1. Saec. 14 *Marsilius Patavinus* et *Joannes de Janduno* negaverunt Petrum plus auctoritatis accepisse quam ceteros Apostolos (cf. D 496).—Saec. 15 eundem errorem renovaverunt *Wicleff* et *Hus* (cf. D 633).—Saec. 16 eos secuti sunt *Reformatores,* et usque hodie sequuntur plerique *Protestantes.*—Idem tenent *Graeci* et *Russi* schismatici recentes, *Febroniani* et *"Veteres Catholici".*—*Modernistae* dixerunt: "Simon Petrus ne suspicatus quidem umquam est sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia" (D 2055).

Horum plerique concedunt Petro collatum esse primatum *honoris* (ita ut Petrus fuerit "primus inter pares") vel primatum *directionis.*

2. Gallicani, Jansenistae, synodus Pistoriensis docuerunt Christum contulisse supremam iurisdictionem *toti Ecclesiae,* Ecclesiam autem eam *delegasse* Petro ut "capiti ministeriali" (D 1503), ita ut Petrus fuisset merus *mandatarius* (executive) Ecclesiae.[3]

Nota. *Definitum* est thesim contineri in dictis Christi in Mt 16, 18-9 et J 21, 15-7 (D 1822).—Sunt theologi Anglicani et alii critici (v.g. Headlam, The Church of England p. 3-13; Chase, Mason, Turner, B. Weiss, Weizsäcker, Sohm, Sabatier) qui concedunt in Mt 16, 18-9 contineri promissionem primatus. Protestantes id olim negaverant; hodierni id concedunt, sed negant narrationem esse historicam.[4]

---

[3]Butler, l.c. I p. 23-4.

[4]Prat, J.-Chr. I p. 434-5; Dausch p. 242-3; Muncunill II p. 38; Butler I p. 41-55.

PRIMA PARS PROBATUR

Lege Mt 16, 13-19

1. Textus est *genuinus* et critice certus.[5]

2. Promissio Christi est etiam *historica.* Adversarii quidem dicunt eam fictam esse Romae ("is fecit cui prodest"); id tamen falsum esse, patet ex colore semitico totius pericopae.

Dices: Si haec promissio esset historica, *Marcus* et *Lucas,* qui narrant confessionem Petri, eam non potuissent tacere. Atqui neuter eius mentionem facit. Ita Cadoux p. 380-1.

R. *N.M.* a) Hoc est merum argumentum ex silentio. b) Dictum hoc Christi centrale est in Mt, non in Mc aut L, quorum scopus alius erat. c) Alibi Marcus et Lucas primatum Petri haud obscure insinuant.—Speciatim mirum esset si *Marcus* haec narrasset. Nam, iuxta traditionem, Marcus scripsit instructiones catecheticas Petri; num Petrus putandus est extulisse sua privilegia in his instructionibus?[6]

3. *Sensus: Quid cui promittitur?*

a. Promissio haec facta est *soli Petro.* Etenim a) evangelista habet "ei", i.e. Petro, qui modo confessus erat divinitatem Christi (absentia vocis "ei" in aliquibus codicibus est evidenter lapsus calami). b) Christus promissionem fecit uni, non toti collegio; patet ex "tibi", "tu", "solveris", "ligaveris". c) Hanc personam fuisse Petrum, patet ex 3 notis individuantibus: "Simon" (nomen datum in circumcisione), "bar Jona" (nomen patris eius), "kepha" (nomen ei antea inditum a Christo).

Dices 1. Petrus *nomine omnium* Apostolorum confessus erat divinitatem Christi. Ergo Christus omnes remuneravit.

R. *Tr.ant. N.cons.* Patet ex triplici nostro argumento.—Potest etiam negari antecedens; nam Christus cognitionem Petri tribuit revelationi ei soli datae ("revelavit *tibi*").

Dices 2 Petrus non fuit filius Jonae, sed *Ioannis* (J 1, 42; 21, 15-7).

R. *Tr.* Disputatur quidem quomodo explicandum sit "bar Jona" in Mt, sed nullum potest esse dubium de persona cui Christus locutus est.[7]

Dices 3. Patres aliqui dicunt Petrum egisse *personam Ecclesiae.*

R. *Dist.* ut subiectum utilitatis *C.* inhaesionis *N.*

b. Obiectum promissionis Christi est *primatus iurisdictionis* et *magisterium supremum* in Ecclesia universa.

Christus utique non est usus his terminis technicis quibus hodie utimur; Apostoli eos nullo modo intellexissent. Sed usus est *tribus metaphoris* quae exprimunt easdem ideas, et quae sat facile

---

[5]supra p 128-9.

[6]DieckmannE I p. 296; Dorsch II p. 48; Zapelena p. 112-3; Knabenbauer, Mc p. 12, 220; idem, L p. 313; Rosadini I p. 138-9; Prat, J.-Chr. I p. 234.

[7]Lagrange, Mt p. 323; Holzmeister, Vita etc. p. 6.

ab Apostolis intellegebantur (cf. supra p. 265). Metaphora autem est comparatio, et cum una res alteri comparari possit sub vario respectu, accurate determinandum est "tertium comparationis". Quod determinatur ex usu vel ex aliis adiunctis sermonis. Unde:

Metaphora fundamenti

Christus se proposuit ut architectum, Ecclesiam ut *aedificium* extruendum. Petro autem Christus promisit idem munus in Ecclesia quod praestat *fundamentum* aedificii. Atqui fundamentum dat aedificio firmitatem et unitatem (cf. Mt 7, 24). Ergo Ecclesia habebit easdem dotes per Petrum.

Iamvero *societas religiosa,* qualis est Ecclesia Christi, eas habere nequit nisi ex *rectore* et *doctore authentico;* cum enim finis talis societatis intime cohaereat cum eius fide, non erit firma et una nisi per aliquem qui eam auctoritative regat ac doceat. Ergo Christus Petro promisit potestatem auctoritative regendi ac docendi suam Ecclesiam universam.

Dices: Solus Christus est fundamentum Ecclesiae. Dicit enim Paulus: "Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est *Christus Iesus*" (1 Cor 3, 11).

R. *Dist.* solus Christus est fundamentum primarium Ecclesiae *C.* Christus non constituit Petrum vicarium suum in terra *N.*[8]

Obicit Cadoux (p. 387): Si Christus voluisset dicere Petrum fore fundamentum Ecclesiae, sane dixisset: "Tu es Petrus, et super *te* aedificabo Ecclesiam meam"—sicut etiam pergit: "et *tibi* dabo". Ergo "super hanc petram" potius significat veritatem quam Petrus modo confessus est, scil. divinitatem Christi.

R. *N.* Totum dictum Christi careret sensu.

Dices: Ubi Patres exponunt verba "super hanc petram", interdum quidem ea applicant Petro, sed interdum *Christo* vel *fidei Petri* vel eius *confessioni.* Ergo nostra interpretatio non est certa.

R. *Dist. ant.* Patres qui has alias interpretationes proponunt, nostram excludunt *N.* aliter *Tr.*[9]

Metaphora clavium

Imprimis "regnum caelorum" cuius claves hic promittuntur Petro, est Ecclesia Christi militans in terra; id patet ex contextu ("super terram") et in confesso est apud omnes (supra p. 351).

Iamvero dare alicui claves domus vel civitatis, ex usu communi idem est ac dare ei *supremam potestatem;* ac praesertim dominus qui tradit *procuratori* claves domus, ei tradit plenam potestatem vicariam regendi et administrandi domum. Eundemque fuisse

---

[8]Eph 2, 20; Lagrange, Mt p. 320; Lercher I p. 312.
[9]Muncunill II p. 76-80; Lercher I p. 312-3; Prat, J.-Chr. I p. 433.

sensum metaphorae apud Judaeos, ostendunt Strack-Billerbeck (in loc.).

Ergo Christus promisit Petro munus supremum regendi et administrandi Ecclesiam suam.[10]

Dices: 'Clavis' hic est clavis *scientiae,* de qua Christus etiam locutus est in L 11, 52 "Vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae".

R. *N.* 'Clavis scientiae' est metaphora prorsus alia.[11]

Metaphora ligandi et solvendi

Hac metaphora Christus ulterius determinavit munus rectoris et doctoris Ecclesiae, quatenus Petro promisit plenam auctoritatem *leges ferendi* et *iudicandi* in rebus omnibus quae pertinent ad Ecclesiam.

Etenim 'ligare' et 'solvere' erant tunc termini technici usuales apud rabbinos et noti Apostolis; unde metaphora Christi explicanda est ex hoc usu. Dubium quidem est num termini plus significaverint quam declarare quid sit licitum vel illicitum iuxta legem mosaicam; at dubium non est quin potestas promissa Petro sit *amplior.* Nam ex *"quaecunque"* sequitur hanc potestatem complecti omnia quae pertinent ad regimen Ecclesiae, et ex phrasi *"in caelo"* sequitur eam esse auctoritativam, cuius exercitium divinitus sanciatur.

Ergo quidquid Petrus decernet, statuet, definiet qua vicarius Christi in terra, etiam in caelo erunt decreta, statuta, definita.[12]

Dices 1. 'Ligare' et 'solvere' referunt ad *remissionem peccatorum.*

R. *Dist.* tantum *N.* etiam *C.*

Dices 2. Si Christus hic promisisset Petro primatum, non statim (Mt 16, 23) eum *reprehendisset.* Ita Cadoux p. 381.

R. *N.* Necesse erat ut vicarius Christi bene caperet legem fundamentalem crucis.

Urg. Saltem Apostoli non mox inter se *contendissent*: "Quis putas maior est in regno caelorum" (Mt 18, 1); neque Jacobus et Ioannes petivissent *primas* sedes (Mt 20, 21).

R. *N.* Harum quaestionum et contentionum variae poterant esse causae. Saltem ostendunt Apostolos scivisse esse "primos locos" in Ecclesia.[13]

Urg. Eadem potestas postea data est *collegio Apostolorum;* ergo Christus non poterat eam promittere soli Petro.

R. *Dist.ant.* omnibus Apostolis incluso Petro *C.* aliter *N.*

Confirmatur:

Lege L 22, 31-2

---

[10]Cf. Is 22, 22; Apoc 3, 7.

[11]van Laak, Rep. p. 220; Dausch p. 241.

[12]Knabenbauer, Mt II p. 66-9; Dausch p. 242; van Laak, Rep. p. 221.

[13]Knabenbauer, Mt II p. 113; Lagrange, Mt p. 345-6.

1. Textus est *genuinus* et critice certus quoad substantiam; lectiones variantes non afficiunt sensum.

2. Dictum hoc Christi est etiam *historicum,* licet solus Lucas illud tradat. Ipse Cadoux ait: "There is no literary or historical ground for calling in question the substantial truth of the report".

3. *Sensus*

Quamvis Christus loquatur de periculo communi ("vos"), tamen alloquitur *solum Petrum* ("Simon, Simon", "pro te", "tua"). Atque Christus asserit se specialiter oravisse pro eo, et propter suas *preces efficaces* eius fidem non esse defecturam. Ratio autem huius orationis erat ut Petrus posset *confirmare fratres.*

Ergo Christus hic promittit Petro *magisterium supremum* (debebit enim confirmare ipsos fratres in fide) et *primatum iurisdictionis* (sine quo magisterium supremum non posset exerceri).[14]

Obicit Weiss · "Fides tua" hic non significat fidem dogmaticam, sed *fidelitatem* (loyalty).

R. *N.* a) Vox πίστις in L numquam significat fidelitatem. b) Petri fidelitas careret fundamento sine fide in Iesum.

Obicit Cadoux (p. 385, 416): Dictum Christi "confirma fratres tuos" non implicat munus, sed refert ad *correctionem fraternam.*

R. *N.* Num specialis oratio Christi necessaria erat ut Petrus posset exercere correctionem fraternam?

Duae tamen manent quaestiones:

a. Quid sibi vult *"conversus"* (ἐπιστρέψας)? Exegetae dant 4 interpretationes: a) postquam conversus eris a peccato negationis; b) vicissim, i.e. sicut ego rogavi pro te, ita tu confirma; c) iterum, i.e. sicut antea fecisti (v.g. in Mt 16, 17; J 6, 69); d) converte te ad fratres eosque confirma.[15]

b. Qui sint *"fratres"* (ἀδελφοί σου)? Proxime sane Apostoli. Nam a) illi sunt confirmandi qui sunt cribrandi a Satana; atqui hi sunt Apostoli. b) Cum statim sequatur praedictio negationis Petri, videtur Christus respicere tempus proximum.

Sed quaeritur num Christus etiam respexerit tempus post Ascensionem, et num vox "fratres" includat totam Ecclesiam? Aliis verbis, quaeritur num Christus hic locutus sit de *primatu?*

Responsio affirmativa est certa dogmatice; critice est saltem probabile. Nam a) non tantum Catholici, sed etiam non-Catholici

---

[14] Lercher I p. 316-7; Prat, J.-Chr. II p. 322; DThC s.v. Primauté col. 259.

[15] Knabenbauer, L p. 589, 592; Pesch I n. 509-511; Prat, J.-Chr. II p. 321; Lagrange, L p. 554, Holzmeister, in VD 1936 p. 112.

(v.g. Bengel, Wellhausen) admittunt hanc extensionem ad primatum. b) Immediate antea (L 22, 24-31) Apostoli inter se contenderant "quis eorum videretur esse maior", i.e. primus, et Christus explicaverat principia sua regendi alios; ergo Christus etiam hic loquitur de munere regendi. c) Ex methodo generali Lucae ac praesertim ex vocibus quibus hic utitur, probabile est eum voluisse describere primatum Petri.[16]

SECUNDA PARS PROBATUR

Arg. 1. Christus Petro absolute *promisit* primatum in Ecclesia et magisterium supremum.

Ergo etiam contulit.

Arg. 2. Lege J 21, 15-17

1. Licet haec pericope legatur in appendice J, certum est eam esse stricte *genuinam.*[17]

2. Neque dubium est quin narratio sit *fide digna.* Ioannes fuerat testis oculatus, atque eam inseruit suo evangelio ut solveret difficultatem.

3. *Sensus: Quid cui confertur?*

a. Christus loquitur *soli Petro.* Id patet ex triplici nomine: Simon — Ioannis — Petrus. Dein Petrus opponitur ceteris Apostolis: "Diligis me plus his"?[18]

b. Petro confertur munus *pascendi totum gregem Christi,* sine ulla exceptione aut restrictione. Petrus igitur erit pastor et magister supremus universae Ecclesiae Christi.

Etenim a) evidens est Christum non loqui de agnis et ovibus irrationalibus, sed metaphorice, i.e. de grege rationali seu de *Ecclesia* sua, coetu religioso. b) Pascere talem gregem autem est eum *regere ac docere.* Sicut enim pastoris proprie dicti est ovibus parare pascuam, eas ducere et reducere, eas defendere a periculis,

---

[16] Granderath, Const. p. 170-1, 232; DieckmannE II p. 95; Dorsch II p. 279; Knabenbauer, L p. 590; Straub II p. 353-4.—Erant qui hoc dictum Christi vellent respicere solos successores Petri. Cf. van Laak, Rep. p. 468; BillotE I p. 668.

[17] supra p. 136.

[18] "Plus his" (πλέον τούτων) evidenter est "plus quam hi". Grammatice quidem etiam verti potest "plus quam hos"; sed hic non potest esse sensus; nam Christus ab omnibus postulat ut eum plus ament quam alios quoslibet. Maiorem dilectionem autem *a Petro* nunc postulat quia antea negatus erat a Petro, et quia ei collaturus est maius munus in sua Ecclesia.

oves errantes reducere ad unitatem gregis etc.—ita pastor coetus religiosi debet subditos regere et spiritualiter nutrire doctrina sua. —Idem patet ex usu profano et sacro huius metaphorae. Apud Homerum aliosque auctores graecos, *reges* vocantur ποιμένες λαῶν. Similiter in V. T. Yahwe et Messias (Ps 22, Mich 5, 4), David (2 Reg 5, 2; 1 Par 11, 2; Ps 77, 70-2) etc. dicuntur *pastores*. Unde metaphora non erat aliquid inauditum.

Nota. a) Num aut quae sit distinctio inter "agnos" et "oves" (vel inter ἀρνία, πρόβατα, προβάτια), non constat; neque textus graecus certus est quoad has voces. b) Textus graecus habet duo verba (βόσκε-ποίμαινε), versio latina unum "pasce". Licet autem ποιμαίνειν potius significet "gregem regere" et βόσκειν "gregem nutrire", ambo munus pascendi simpliciter exprimunt.

Dices 1. S. Augustinus *sibi* applicavit verba "pasce oves meas".

R. *Dist.* in eadem extensione qua Christus ea dixit Petro *N.* servata proportione *Tr.* Singuli enim episcopi debent pascere oves sibi commissas.

Dices 2. Verba Christi sunt mera *exhortatio*.

R. *N.* vel *Dist.* exhortatio quae simul erat collatio muneris *C.* aliter *N.*

Dices 3. Christus hac occasione *restituit* Petrum ad dignitatem apostolicam quam amiserat trina negatione.

R. *N.* Nam a) gratis asseritur Petrum sua negatione amisisse apostolatum; b) si Petrus eum amisisset, eum recuperasset die Paschae (J 20, 19-23).

Dices 4. Rem tanti momenti Christus *clarius* exprimere debuit.

R. a) De facto, Apostoli et Ecclesia infans satis intellexerunt dictum Christi (cf. statim). b) Potest esse ut Christus alias clarius locutus sit, quamvis haec dicta non sint nobis servata.

Confirmatur:

Primatus Petri eiusque magisterium supremum confirmatur variis *indiciis sparsis per N.T.* Quae indicia per se sola quidem non demonstrant privilegia Petri, sed egregie confirmant argumenta principalia, et aegre explicantur nisi per ista privilegia.

a. *Christus* ipse variis occasionibus Petrum praetulit ceteris Apostolis: a) Petro imposuit nomen novum et symbolicum, scil. Kepha; b) ubi elegit duo vel tres ad speciale munus vel privilegium, semper elegit Petrum; v. g. ut essent testes resurrectionis filiae Iairi (Mc 5, 37), transfigurationis (Mc 9, 1-2), agoniae (Mc 14, 33) etc.; c) Christus ad domum Petri divertit (Mc 1, 29), de navicula Petri docuit (L 5, 1-3), tributum templi solvit pro se et Petro (Mt 17, 23) etc. Tandem d) post resurrectionem Christus curavit ut resurrectio specialiter nuntiaretur Petro (Mc 16, 7), et Petro ante alios Apostolos apparuit (L 24, 34) etc.[19]

---

[19]d'HerbignyE I p. 251-6.—Multi hic adducunt factum quod Christus Petri pedes primo laverit (J 13, 6); id tamen non est certum ex contextu: Lagrange, J. p. 352 id habet probabilius.

b. *Evangelistae* in suo modo narrandi satis innuunt Petrum agnitum fuisse ut principem Apostolorum. Nam a) in omnibus catalogis Apostolorum, sicut Judas Iscariotes ultimus, ita Petrus primus ponitur; atque in Mt 10, 2 Petrus emphatice dicitur πρῶτος. b) Etsi nonnulli tantum Apostoli nominentur cum Petro, Petrus semper primus ponitur; v.g. Mt 4, 18; Mc 17, 1; L 22, 8; J 21, 2. c) Ubi Apostoli inducuntur tacitis nominibus, Petrus solus nominari solet; v. g. "Petrus et qui cum illo erant" (L 8, 45; 9, 32), "Petrus cum undecim" (Act 2, 14), "Petrus et Apostoli" (Act 5, 29) etc.

Neque Petrus primo loco ponitur quia fuerit maior natu aut quia primus vocatus sit a Christo aut quia eminuerit dotibus naturalibus aut quia ipse ambierit hanc dignitatem; hae hypotheses evidenter excluduntur per ea quae alibi legimus in evangeliis.

Addimus quod fere dimidia pars Actuum (scil. 12 priora capita) maxime agit de Petro.

c. *Paulus* in suis epistolis eundem honorem tribuit Petro. Kepham enim habuit testem primarium resurrectionis (1 Cor 15, 3-5). Cum veniret Hierosolymam, neminem Apostolorum vidit nisi Petrum (Gal 1, 18-9). Petrum semper nominat loco honoris.

Dices 1. In epistolis Paulinis, Kephas non est idem ac Petrus.

R. *N.* Identitas constat non tantum ex J 1, 43, sed etiam ex Gal 1, 18; 2, 9; 1 Cor 9, 5 etc.[20]

Dices 2. Paulus non semper nominat Petrum (Kepham) primo loco; v.g. Gal 2, 9; 1 Cor 1, 12; 3, 22; 9, 5.

R. a) In Gal 2, 9 Iacobus quidem anteponitur Petro; sed ratio in aperto est. Judaizantes enim Iacobi nomine abusi erant ut Paulum impugnarent; unde Paulus insistit se agnitum esse Apostolum etiam a Iacobo. b) In locis citatis ex 1 Cor autem adest gradatio, ita ut locus ultimus sit honoris.

Dices 3. In Gal 2, 7-12, Paulus affirmat se esse *aequalem Petro,* immo narrat se Petro *in faciem restitisse.*

R. a) *Dist.* Paulus affirmat suam aequalitatem cum Petro quatenus etiam ipse acceperit apostolatum (gentium) immediate a Christo *C.* quatenus negare velit primatum Petri *N.* b) Petrum judaizantem autem Paulus, Apostolus gentium, iure reprehendit.[21]

d. *Petrus ipse,* modo suo agendi, ostendit se conscium fuisse sui muneris supremi illudque exercuisse inde a die Ascensionis.

Nam a) statim post Ascensionem Petrus praesidet electioni

---

[20]Holzmeister, Vita p. 26-30.

[21]supra p. 211-2.—Gal 2, 7-8 non debet intellegi de apostolatu exclusivo, sed praecipuo; nam etiam Petrus evangelizavit gentiles, et Paulus ubique primo evangelizavit Judaeos. Praeterea, haec divisio apostolatus erat tantum ad tempus, scil. quamdiu durabant condiciones Ecclesiae infantis. Cf. Rosadini I p. 189-190; d'HerbignyE I p. 262-6; Ruffini p. 46-50.

Apostoli qui teneat locum Judae (Act 1, 15-26). b) Die Pentecostes, Petrus incipit praedicationem apostolicam (Act 2, 14; 2, 37). c) Coram synedrio Petrus pro ceteris loquitur (Act 4, 5-22). d) Qua princeps Apostolorum "visitavit" communitates Christianorum (Act 9, 31-43). Tandem e) Petrus non tantum primus admisit Cornelium paganum in Ecclesiam (Act 10), sed etiam in concilio quo agebatur de admissione paganorum, evidenter primatum exercuit (Act 15, 6-12).[22]

Obiciunt Jackson-Lake (Beg. of Chr. I p. 305): Petri auctoritas in electione Mathiae "is not represented as personal, but as derived from the community of which he is the *spokesman*".

R. Ne verbum quidem legitur quo insinuetur Petrum accepisse auctoritatem a congregatis.

Obiecerunt Protestantes veteres: Apostoli Petrum "*miserunt*" (Act 8, 14); atqui non mittitur nisi inferior.

R. *C.M. N.min.* Etiam aequalis vel inferior "mittere" potest; v.g. suasione, consilio.[23]

Urg. Apostoli Petrum *accusaverunt* et postulaverunt ut *rationem redderet* de modo quo egerat cum gentilibus (Act 11).

R. Imprimis Petrus non est accusatus ab Apostolis, sed ab iis "qui erant ex circumcisione", i.e. a Judaeo-Christianis. Dein cur Petrus, quamvis Superior, non potuit se defendere contra accusationem iniustam?[24]

Urg. Si Petrus conscius fuisset primatus sibi collati, *non timuisset* Iacobum et eos "qui ex circumcisione erant" (Gal 2, 11-2).

R. a) Petrum timuisse Iacobum, non dicitur. b) Cur Superior non potest timere malos (fanaticos) et mala quae per eos fieri possunt?

Corollaria

1. Ergo Christus a) *instituit* Ecclesiam b) ut societatem religiosam, et quidem c) Christus ipse "proxime ac directe". Primum est de fide definita (D 1793, 1821); secundum et tertium sunt proxima fidei (D 1959, 2052, 2088, 2145).

2. Ergo ab initio Ecclesia Christi erat *monarchia.* Atque Christus non tantum determinavit hanc formam regiminis, sed etiam primam personam in qua resideret suprema potestas.

3. Ergo Petrus constitutus est a Christo magisterium supremum *authenticum et vivum* evangelii. Quod magisterium se extendit etiam ad ea quae *conexa* sunt cum evangelio.[25]

---

[22] d'HerbignyE I p. 258-260.

[23] Admitti potest vocem ἀπέστειλαν esse aliquomodo ambiguam; at Lucas, qui quavis occasione effert Petri praeeminentiam, certo insinuare noluit Petrum fuisse inferiorem Apostolis.

[24] Jacquier p. 338-9.

[25] Contra hoc magisterium urgentur eaedem obiectiones ac supra p. 368-9.

Schol. 1. **Magisterium infallibile Petri**

Petrum fuisse infallibilem in docendo evangelio, evidenter sequitur ex dictis Christi citatis in probatione. Si enim Petrus errasset cum doceret evangelium vel rem conexam cum eo, a) non iam fuisset fundamentum Ecclesiae infallibilis et portae inferi praevaluissent adversus eam (contra Mt 16, 18), b) non omnia eius decreta doctrinalia ratihaberi potuissent in caelo (contra Mt 16, 19), c) non iam pavisset, sed perdidisset gregem Christi (contra J 21, 16-7). Addi potest: Si Petrus errasset, non iam confirmasset, sed infirmasset fratres suos (contra L 22, 32).

Petrus autem non erat infallibilis nisi cum doceret summa sua auctoritate, ita ut vellet obligare omnes ad credendum.

Dices 1. Post promissionem sibi factam in Mt 16, Petrus statim *erravit* (Mt 16, 22-3), et postea *negavit fidem* in atrio Caiphae.

R. *N.supp.* Petrus tunc temporis nondum erat constitutus magister supremus Ecclesiae, neque quidquam fide tenendum docuit.

Dices 2. Cum iam esset magister supremus, Petrus coegit ethnicos "judaizare" (Gal 2, 11-21).

R. *Dist.* Petrus aliquid docuit summa sua auctoritate *N.* aliter *Tr.*

Schol. 2. Ecclesia Christi est *societas perfecta* seu nulli subordinata. Nam a) eius auctor est Christus Deus; b) eius finis, scil. salus aeterna hominum, est summus; c) praesto sunt in ea omnia media ad hunc finem obtinendum, scil. gratia et media gratiae. (Hoc ultimum nondum probavimus neque probabimus, sed facile probari potest).

Thesis 29

Christus voluit ut et Petrus et collegium Apostolorum haberent successores perpetuos.

Cf. BainvelE p. 194-6; idem, Mag. p. 18-22; BillotE I p. 561-586; DieckmannE I p. 314-9, 394-414; Dorsch II p. 57-9, 126-31; Goebel p. 312-329; de Groot p. 86-97, 525-8; Hervé I p. 311-7, 334-7; van Laak, Rep. p. 225-8, 251-265; Lercher I p. 337-9; Muncunill II p. 91-5, 123-6; Ottiger II p. 274-377; Pesch I n. 317-9, 433-7; Schiffini p. 257-267, 303-5; Straub I p. 335-349, 375-381; Tanquerey I p. 440-1, 468-471; WilmersE p. 188-194; idem Lehrb. II p. 468-9, 521-2; Zapelena p. 124-136.

Prima pars huius thesis est omnino necessaria ad scopum huius Apologeticae; altera pars est valde utilis.

Problema duplex

a. Dum Petrus vixit, primatum tenuit et exercuit. Quid autem, ex voluntate Christi, fieri debuit *post mortem Petri?* Utrum primatus et magisterium Petro collata fuerunt praerogativae personales, ita ut, mortuo Petro, cessarent in Ecclesia Christi—an ita permanentes ut transeundae essent ad alios?

Respondemus: Ex voluntate Christi, primatus et magisterium supremum non erant dotes ita personales Petro ut cessarent post eius mortem, sed a) *manere* debuerunt in Ecclesia Christi, et quidem ita ut b) *successores legitimi Petri* ea obtinerent.

b. Similiter dum Apostoli vixerunt, auctoritative rexerunt et docuerunt. Quid autem fieri debuit *eis mortuis*? Utrum munus regendi et docendi exercendum erat soli successori legitimo Petri—an etiam collegium Apostolorum habiturum erat successores?

Asserimus: Ex voluntate Christi, collegium Apostolorum *semper vivere* debet in suis *successoribus.*

Nota. In hac thesi tantum movemus *quaestionem iuris* (utique divini), non facti. Non quaerimus num Petrus et Apostoli actu habuerint successores aut qui fuerint, sed quaerimus num *Christus voluerit* tales successores—an reliquerit Ecclesiam post-apostolicam evolutioni historicae.

Successores perpetui

Successio in genere est suffectio unius loco alterius in eodem munere. *Successor* est is qui alteri sufficitur in eodem munere.

Successor *legitimus* est is qui alteri succedit formaliter seu de iure, i.e. iuxta legem stabilitam, vel iuxta voluntatem eius qui habet

auctoritatem conferendi munus. Alius est successor mere materialis (v.g. usurpator).

Asserimus Christum voluisse ut Petrus et collegium Apostolorum haberent successores legitimos usque ad finem mundi, ac proinde ut esset in Ecclesia regimen et magisterium *semper vivum.*

Thesis est critice et historice *certa.* Dogmatice est *de fide*—et quidem prima pars est *de fide definita* (D 1824, 1832-1840; cf. D 171-2, 466, 653-5, 694, 730, 768, 1319), altera pars est *de fide ex iugi magisterio* (D 960, 966, 1821, 1828, 1962).

Adversarii

Primam partem negant non tantum *rationalistae* omnes, sed etiam ii *non-Catholici* qui admittunt thesim 28.—Alteram partem negant *rationalistae. Protestantes* autem diversa sentiunt. "The Church of England (High Church)" et "The Protestant Episcopal Church in the U. S." tenent episcopatum esse iuris divini et successionem apostolicam essentialem. Alii vel non admittunt episcopos, vel negant episcopatum esse iuris divini.[1]

Prima pars probatur

Arg. 1. Ex Mt 16, 18-9

a. Tam diu durare debet *fundamentum* Ecclesiae, quam diu *durare* debet Ecclesia ipsa; diruto enim fundamento, diruitur domus ipsa.

Atqui Christus a) voluit ut Ecclesia sua esset perennis, b) atque ut esset perennis, instituit primatum et magisterium supremum, et quidem c) in Petro.

Ergo Christus etiam voluit ut primatus et magisterium supremum essent perennia, et quidem in successoribus legitimis Petri.

Ad min. Cum Christus dixit: "Tu es Petrus *et* super hanc petram etc.", evidenter indicare voluit *nexum causalem* inter primum et secundum membrum. Scil. quia Ecclesia fundabitur super Petrum, *ideo* portae inferi non praevalebunt adversus eam.

Dices: Vox "et" (vel καί) non necessario dicit nexum causalem.

R. *Dist.* in se *Tr.* in nostro contextu non dicit talem nexum *N.* Atque particula aramaica qua usus est Christus, etiam exprimere potest nexum causalem.

---

[1] Concordia Encycl. s.vv. Apostolic Succession, Episcopacy; WilmersE p. 38-41, 115-117; LThK s.v. Bischofsfrage.

b. Tam diu durare debet munus *clavigeri,* quam diu *administranda* est Ecclesia Christi.

Atqui Ecclesia Christi administranda erit usque ad finem mundi.

Ergo etiam munus clavigeri durare debet usque ad finem mundi.

Atqui Christus fecit Petrum clavigerum suae Ecclesiae.

Ergo Petri successores debent, ex voluntate Christi, esse clavigeri.

Dices: Si Christus cogitavisset de successoribus Petri, dixisset: "Et tibi *tuisque successoribus* etc."

R. *N.* vel *Dist.* potuit haec dicere *Tr.* debuit *subd.* si voluntas Christi quoad successores Petri iam continebatur in eius verbis *N.* secus *Tr.* Praeterea Christus debuisset revelare durationem regni Dei in hac terra—id quod noluit.

Arg. 2. Ex J 21, 15-7

Tam diu durare debet munus *pastoris* supremi, quam diu *pascendi* sunt agni et oves. Atqui agni et oves pascendi sunt usque ad finem mundi—ut supra.

Arg. 3. Ex ratione theologica

Christus voluit ut Ecclesia sua esset *perennis.*

Ergo etiam voluit ut *forma regiminis,* quam ipse instituit in Petro (et collegio Apostolorum), esset perennis—nisi mutatio facienda pateret sive ex natura rei sive ex explicita declaratione Christi.

Atqui a) Christus Petro contulit primatum et magisterium supremum; b) mutationem autem esse faciendam neque eruitur ex natura rei neque insinuatur in ullo dicto Christi.

Ergo Christus voluit ut Petrus haberet successores perpetuos in primatu et magisterio supremo.

Confirmatur

a. Christus ardentissime desideravit et efficaciter petivit unitatem perfectam suae Ecclesiae.

Ergo sine dubio providit *media naturaliter apta* quibus servaretur haec unitas, et quidem maxime pro aetate post-apostolica.

Atqui primatus et magisterium supremum Petri erat tale medium, et esse potuit pro tempore post-apostolico, si Petrus habiturus erat successores perpetuos.

Ergo Christus voluit ut Petrus haberet successores perpetuos.

Ad prim. cons. Semper futuri erant qui *disturbarent* unitatem Ecclesiae. Quae ratio etiam magis urgebat pro tempore *post-apostolico,* quo a) memoria Christi minus vivida erat apud Chris-

tianos, b) quo disparitura erat auctoritas singularis Apostolorum, c) quo magis Ecclesia diffundenda erat per orbem.[2]

b. Si ab initio Ecclesiae sub-apostolicae et post-apostolicae successores Petri obtinebant primatum et magisterium supremum, id fiebat ob voluntatem Christi clare cognitam. Talis *praxis* enim ostendit Apostolos omnes sic intellexisse mentem Christi.

Atqui verum est antecedens, uti probabitur in thesi 30.

Obiectiones

1. Verba Christi "vade post me, Satana" (Mt 16, 23) dicta sunt *soli Petro,* non eius successoribus. Ergo etiam verba "super hanc petram etc."; occurrunt enim in eodem contextu.

R. *C.ant. N.cons.* Neque contextus est idem; in Mt 16, 21-3 enim agitur de alia re, scil. de futura passione et morte Christi.

2. Fundamentum domus tantum *semel* iacitur; successio fundamentorum eiusdem aedificii absurda esset. Ergo Petrus non habet successores. Ita Chase, Heim etc.

R. *Dist.ant.* ubi agitur de fundamento proprio et materiali *Tr.* metaphorico *subd.* tantum semel iacitur ita ut moraliter perseverare debeat quamdiu durat societas *C.* ita ut perdurare debeat etiam physice, i.e. in iisdem personis *N.*[3]

3. *Christus ipse* est Ecclesiae suae caput, dux, rector in perpetuum.

R. *Dist.* caput visibile *N.* invisibile *C.*[4]

Urg. "Because the Church is not to be an *earthly* sovereignty or monarchy, no supreme ruler in it is required" (Headlam, The Church of England p. 8).

R. a) Nonne Christus voluit ut Ecclesia sua exsisteret in hac terra et sub condicionibus huius vitae? b) Cur Anglicani habent episcopos, si hoc argumentum valet?

Urg. Sufficit ut sint successores perpetui *collegii Apostolorum.*

R. *Dist.* in abstracto et a priori *Tr.* ex voluntate Christi *N.*

4. Primatus erat praerogativa *personalis* Petri. Ergo eius morte exstinctus est.

R. *N.ant.* vel *Dist.* quatenus erat praerogativa soli Petro data, non toti collegio Apostolorum *C.* quatenus data est Petro ut personae privatae *N.* Petrus non accepit primatum in propriam utilitatem, sed ut persona publica et in bonum Ecclesiae.

Urg. Primatus Petro collatus est ut *praemium,* scil. ob eius firmam confessionem divinitatis Christi. Atqui haec confessio erat pure personalis. Ergo etiam praemium.

R. *Dist.M.* primatus in hunc finem institutus est a Christo ut esset praemium Petri *N.* primatus institutus est ad bonum Ecclesiae, et Petrus eum primus obtinuit ob suam confessionem *C.*

Urg. Primatus Petri erat *privilegium.* Atqui privilegia non transeunt ad successores, etiam legitimos.

R. *Dist.M.* privilegium sensu lato *Tr.* sensu stricto *N.* Sensu stricto,

---

[2]S. Thomas, Contra gent. IV c. 76; Gibbons, Faith of Our Fathers ch. 9.
[3]Goebel p. 315; C. Butler I p. 43.
[4]S. Thomas, Contra gent. IV c. 76; Wilmers, Lehrb. II p. 438-440.

privilegium est "ius speciale permanens concessum a superiore praeter vel contra ius commune".[5]

5. *Apostolatus* institutus erat a Christo ad bonum Ecclesiae, et tamen cessavit. Ergo a pari primatus.

R. *N.par.* a) Apostolatus ut munus *extraordinarium* institutus erat a Christo pro initio Ecclesiae; Ecclesia incohata, nulla iam erat necessitas donorum extraordinariorum. Sed munus *ordinarium* apostolatus, scil. regere et docere ecclesias particulares, semper necessarium erat et erit.—b) Et ex natura rei et ex voluntate Christi necessarius est primatus et magisterium supremum in Ecclesia. Hinc utrumque munus idem est in Petro et in eius successoribus.[6]

6. In 1 Cor 12, 28 S. Paulus enumerat varia munera in Ecclesia, sed *nihil dicit* de primatu.

R. *Dist.* S. Paulus ibi enumerat charismata *interna C.* gradus hierarchicos *N.* Patet ex contextu.

Urg. S. Paulus enumerat varios gradus hierarchicos in Eph 4, 11, neque tamen nominat primatum.

R. Duo dici possunt: a) Videtur Paulus loqui de charismatis internis, quamvis non excludantur munera hierarchica. b) Paulus loquitur de prima periodo Ecclesiae, cum adhuc viverent Apostoli, neque premendus esset primatus.[7]

Urg. Aetate apostolica vel sub-apostolica, nemo putavit primatum Petri posse aut debere transire ad alios. Ita Harnack, Headlam etc.

R. *N.* a) Quid de *Matthaeo?* Hic scripsit ante 70, et nobis refert verba Christi de Petro ut fundamento perpetuitatis Ecclesiae; nonne putandus est cogitasse de successoribus Petri?[8] b) *Ioannes* evangelium suum scripsit in fine saeculi 1, atque narrat quomodo Petrus constitutus sit pastor supremus gregis Christi. Nonne putavit pastorem supremum adhuc exsistere, quamvis Petrus iam diu mortuus esset? c) Ex Epistola *S. Clementis,* quae scripta est ca. 97, constat ecclesiam romanam tunc fuisse primatialem, *quia* erat ecclesia Petri.

7. Deus liber est. Ergo constitutionem Ecclesiae *mutare* potest pro temporum opportunitate.

R. *C.ant. Dist.cons.* si statuit eam non esse mutandam *N.* secus *Tr.*

8. Actualis successio in primatu penderet a *libera cooperatione* hominum; aliqui enim deberent libere nominare vel eligere successorem, et hic deberet libere accipere successionem. Atqui haec cooperatio deficere potest ex utraque parte.

R. *C.M. N.min.* Etiam servata libertate humana, Deus, providentia sua, curare potest ut semper sint qui eligant successorem et qui accipiant successionem. Eum autem praestiturum esse hanc curam usque ad finem mundi, continetur in promissione perpetuitatis.

---

[5] Sabetti-Barrett p. 121.

[6] Dona extraordinaria Apostolorum erant tria: a) singuli directe vocati sunt a Christo, b) infallibiles erant in docendo, c) non restringebantur ad ecclesiam particularem.

[7] Prat, Theol I p. 423-6; Belser, Eph p. 118-122; Ceulemans, Eph p. 23-4; WilmersE p. 119.

[8] Quod argumentum etiam fortius evadit si Mt scriptum esse dicitur—uti volunt plurimi rationalistae—in fine saec. 1, i.e. Petro iam mortuo.

Cor. 1. Ergo Christus voluit a) ut forma monarchica regiminis maneret perpetua in Ecclesia, b) ut successores legitimi Petri essent rectores supremi.

Cor. 2. Ergo Christus etiam voluit ut in sua Ecclesia esset magisterium supremum *semper vivum,* residens in successoribus Petri.

Qui sunt *infallibiles* ob easdem rationes ob quas diximus Petrum fuisse infallibilem in docendo evangelio; eaedemque sunt condiciones infallibilitatis horum.

Cor. 3. Ergo Christus voluit ut Ecclesia sua esset *apostolica,* quatenus successores Petri Apostoli essent rectores et magistri supremi in ea.

Secunda pars probatur

Arg. Ex Mt 28, 16-20

Apostoli erant mortales, neque poterant ire "in mundum universum" (v.g. in Americam) et docere "omnes gentes" (v.g. Indianos). Nihilominus Christus voluit ut evangelium *praedicaretur ubique* usque ad consummationem saeculi.

Ergo, in suo mandato finali, Christus etiam spectavit successores collegii Apostolorum.

Atqui in Mt 28 Apostoli constituti sunt rectores et magistri.

Ergo etiam eorum successores.

Confirmatur

a. In fine suae vitae, *S. Paulus* hortatur Timotheum a) ut custodiat depositum fidei quod acceperat, b) ut praedicet iuxta illud, c) ut instruat alios ad idem munus continuandum.[9] Ergo S. Paulus intellexit Christum voluisse ut essent successores Apostolorum in munere docendi.[10]

b. Neque Patres apostolici umquam indicant mutationem esse factam aut faciendam in hac oeconomia, sed semper dirigebant fideles ad *episcopos tamquam successores Apostolorum.*[11]

Cor. 1. Ergo Christus voluit ut *hierarchia* Ecclesiae suae a) esset perpetua, b) esset magisterium semper vivum, c) constitueretur per successores legitimos collegii Apostolorum.

---

[9] 1 Tim 6, 20; 2 Tim 1, 13-4; 2, 2.
[10] Prat. Theol. I p. 341-5; II p. 299-308.
[11] infra p. 405-7.

Qui sunt *infallibiles* ob easdem rationes ob quas diximus collegium Apostolorum fuisse infallibile in docendo evangelio; eaedemque sunt condiciones infallibilitatis horum.

Cor. 2. Ergo Ecclesia Christi debet esse *apostolica* etiam quatenus regenda ac docenda est a legitimis successoribus collegii Apostolorum.

Obiectiones

1. Si munera Apostolorum transeunda essent ad eorum successores, ad eos etiam transeundae essent ceterae dotes Apostolorum. Atqui consequens est falsum; sic singuli episcopi non sunt infallibiles.

R. *N.M.* Privilegia *extraordinaria* enim non continebantur in promissionibus aut mandatis Christi.[19]

2. Vivis Apostolis, collegium Apostolorum erat magisterium authenticum. Sed Apostolis mortuis, *sola Scriptura* potuit esse fons evangelii, cum sola non esset obnoxia corruptioni. Unde *gradatim* facta est mutatio oeconomiae a Christo institutae, quamvis Christiani sibi vix essent conscii huius mutationis. Ita Neander, historicus Protestanticus (1789-1850).

R. Neander haec omnia gratis asserit. a) Quoad mutationem: Nullum est vestigium historicum eius, immo Paulus et Patres apostolici eam negant. b) Quoad periculum corruptionis: Non S. Scriptura, sed magisterium vivum habet sibi promissam assistentiam divinam.

---

[19] Franzelin, Trad. p. 40-3.

APOLOGETICAE

PARS SEPTIMA

Ecclesia Catholica

Introductio

1. Ecclesiam Christi continenter exstitisse inde a tempore Christi ipsius et hodie exsistere, non tantum asseritur ab omnibus Christianis, sed etiam clare sequitur ex eo quod Christus promisit eius perennitatem. *Problema* nunc solvendum hoc est: *Ubi* fuit Ecclesia Christi in decursu saeculorum, ac praesertim ubi est *hodie?*

Difficultas autem haec est: Semper erant et hodie sunt *multi* coetus religiosi qui, licet respuant mutuam unionem fidei et centrum commune, asserebant et asserunt se esse Ecclesiam a Christo fundatam.[1]—Neque dici potest hos coetus omnes simul sumptos fuisse aut esse hanc Ecclesiam. Nam Christus voluit ut Ecclesia sua esset perfecte una; atqui hi coetus sequuntur doctrinas mutuo *contradictorias* (idque in rebus maxime fundamentalibus) neque agnoscunt *unam auctoritatem supremam* sive regiminis sive magisterii.

Dices: Non requiritur unitas fidei aut regiminis; sufficit unio *caritatis*.

R. *N*. Unio quam Christus voluit esse in sua Ecclesia (J 17, 20), sequitur *fidem*, quae sequitur *praedicationem* auctoritativam *Apostolorum*.

Urg. Saltem sufficit unitas in "fundamentalibus" (Jurieu) vel unitas "ramorum" (Anglicani).

R. *N*. a) Neque inter Catholicos et Protestantes neque inter Protestantes ipsos convenit quae sint fundamentalia. b) Catholici negant esse aut posse esse "ramos" Ecclesiae Christi quales volunt Anglicani.[2]

Ergo vera Ecclesia Christi est *unus ex coetibus christianis*. Et quaeritur cum quonam Ecclesia Christi fuerit et hodie sit identica.

Asserimus hunc coetum esse *Ecclesiam Catholicam* eamque solam.

2. Triplex est via probandi hanc thesim:

a. Una via est per *"notas"* Ecclesiae Christi; est autem "nota" proprietas visibilis.

---

[1]Pesch I n. 413.

[2]DThC s.v. Eglise col. 2131-2; supra p. 31; infra p. 417.

Quamvis in nostra probatione varia sumamus ex hoc argumento, hanc viam non explicite sequemur.[3]

b. Altera via est argumentum ex *miraculis* (physicis, intellectualibus, moralibus) quibus Ecclesia Catholica semper splenduit et hodie splendet.

Hanc viam inibimus in parte 9 huius Apologeticae.

c. Tertia via, quam in hac parte maxime sequemur, est ***primatus*** seu "romanitas".

Argumentum hoc commendatur quia est breve, clarum, securum.[4] —Neque argumentum novum est. Notus est locus classicus S. Irenaei (Adv. haer. 3; cf. RJ p. 86). Et quid sibi volunt dicta illa innumera Patrum (v.g. *"ubi Petrus, ibi Ecclesia"*) nisi quod Patres iudicaverint primatum signum manifestum et exclusivum Ecclesiae Christi. Suarez hoc argumentum ponit primo loco.

---

[3]Zapelena, in Gregorianum 1938 p. 88-109; Thils, in Angelicum 1939 p. 24-49; J. Rivière, in Revue des Sciences rel. (Strasbourg) 1939 p. 176-201.
[4]Zapelena p. 165; DieckmannE I p. 438; DThC s.v. Eglise col. 2132.

Thesis 30

Romanus Pontifex est successor S. Petri in primatu et magisterio supremo.

Cf. BainvelE p. 196-204; BillotE I p. 587-623; DieckmannE I p. 415-467; Dorsch II p. 137-171; DThC s.v. Primauté col. 262-294; Falcon p. 411-438; FelderA II p. 110-149; Goebel p. 401-415; de Groot p. 525-579; Hervé I p. 385-404; van Laak, Rep. p. 229-243; Lercher I p. 356-386; Mazzella, Rel. p. 702-731; Muncunill II p. 267-320; Ottiger II p. 525-819; Pesch I n. 464-506; Schiffini p. 415-447; Schultes p. 404-440; Straub I p. 381-442; Tanquerey I p. 471-490; Wilmers, Lehrb. II p. 469-514; Zapelena p. 136-165.

Thesis haec omnino necessaria est ad scopum huius Apologeticae.

1. *Romanus Pontifex* est episcopus monarchicus qui legitime obtinet sedem romanam. *Episcopus monarchicus* autem est is qui regit ecclesiam ita ut omnia eius membra sint ei subdita.[1]

2. *Successor S. Petri* est is qui legitime succedit Petro Apostolo in munere huic proprio.

3. Quid sit *primatus et magisterium supremum,* cf. supra p. 373.

4. *Est,* i.e. hucusque fuit et hodie est. Nihil dicimus de futuro, nisi quod munus Petri semper manebit in eius successoribus.

Thesis est historice *certa.* Dogmatice est *de fide definita* (D 1824-7, 1831). Cf. etiam D 498, 589, 617 et 621 (contra Wicleff), 627 et 632 (contra Hus), 635-9, 694, 765, 1503.[2]

Adversarii sunt non-Catholici omnes. Speciatim rationalistae et modernistae admittunt episcopum romanum exercuisse primatum inde a saec. 2 (ca. 150); hunc primatum autem non derivant ex iure divino aut ex successione legitima, sed ex causis *pure naturalibus;* v.g. ex necessitate centri communis contra haereticos, ex ambitione episcoporum romanorum, ex splendore civico Romae etc. Cf. D 2056; Cor. 3.

---

[1]Non curamus nomen, etiam officiale, sed *munus.* Inde a saec. 6 Romano Pontifici in occidente reservatur nomen "Papa", quod antea commune fuerat omnibus episcopis.

[2]Lercher I p. 358; Zapelena p. 137; DieckmannE I p. 461-2.

Thesis probatur

Arg. 1. *Ex perpetuitate primatus*

Petrus *hucusque habuit* et *hodie habet* successores legitimos in primatu et magisterio supremo; secus enim promissio Christi vana fuisset et portae inferi praevaluissent.

Ergo *aut Romani Pontifices aut alii* sunt hi successores.

Atqui *non alii.* Nam praeter Romanos Pontifices nemo umquam agnitus est aut agnosci voluit ut successor legitimus Petri; id quod ultro conceditur ab omnibus, et facile probatur ex historia (cf. etiam probationem Maioris arg. 2).

Ergo Romani Pontifices hucusque erant et hodie sunt successores legitimi S. Petri in primatu et magisterio supremo.[3]

Arg. 2. *Ex consensu primorum saeculorum*

Primis 4 saeculis, *Romani Pontifices* sibi tribuerunt primatum, et *mundus universus* (Patres, episcopi, imperatores, haeretici) iisdem hunc honorem tribuit utpote successoribus Petri.

Atqui talis consensus falsus esse non potest.

Ergo saltem primis saeculis, Romani Pontifices erant legitimi successores Petri. (Haec conclusio est quidem incompleta; at a) rationalistae eam quam maxime impugnant; b) qui eam admittit, facile admittit conclusionem completam, cum mutatio certo facta non sit inde a saec. 5).

Probabimus primo *minorem,* dein *Maiorem.*

Prob.min.

a. Testimonium *Romanorum Pontificum* pro sua auctoritate valet. Nam si hoc testimonium fuisset falsum, rei fuissent aut *ignorantiae crassae* aut *mendacii perpetui.* Atqui neutrum supponi potest. Nam a) ignorantia in re tam gravi sibi et toti mundo vix cogitari potest; b) mendacium autem esset crimen ingens, quod excluditur eorum sanctitate et nota cura de religione christiana, quae damnat mendacium et fraudem.

b. Testimonium *Christianorum,* praesertim *officialium* et *peritorum,* valet hac in re. Hi enim (episcopi, presbyteri etc.) scire debebant et facile scire poterant ubi esset *auctoritas suprema* in suo coetu; eisque valde utile erat id scire. Porro absurdum esset

[3]Cum Pius XII eligeretur anno 1939, omnes (ephemerides, oratores, radio announcers etc.) eum laudaverunt ut 262um successorem S. Petri et vicarium Christi, neque quisquam eis publice contradixit.

supponere fraudem vel mendacium, quod debuisset esse in idem.

c. Testimonium *imperatorum* valet hac in re. Nam a) imperatores inimici, qui *exstirpare* voluerunt societatem christianam, quaerere debebant caput eius supremum; capite enim abscisso, sperare poterant societatem ipsam mox esse interituram; manente capite, mansit elementum praecipuum societatis. b) Post pacem Constantinianam, imperatorum maxime intererat scire quis esset rector supremus tantae partis reipublicae; sine hac cognitione multae *quaestiones practicae* non potuissent discuti aut solvi.

d. Etiam testimonium *haereticorum* valet hac in re. Hi enim non plene excluduntur ab Ecclesia Christi nisi id declaretur (aliquomodo) a *iudice supremo* Ecclesiae. Ergo scire debuerunt quis esset iudex supremus; fraus autem ex eorum parte psychologice impossibilis est.

Prob. Maior

1. Ex *modo agendi Romanorum Pontificum,* qui primatum exercuerunt in omnes ecclesias et episcopos:

S. Clemens Rom. In fine saec. 1 (ca. 93-6) orta erat in ecclesia Corinthi seditio contra "presbyteros". S. Clemens, episcopus romanus, epistolam scripsit ad Corinthios, in qua damnavit seditionem, reis imperavit oboedientiam, non-oboedientibus minatus est discrimen salutis, speravit omnes oboedituros esse; tandem 3 legatos misit qui essent testes emendationis.

Et nota duo: a) Epistola haec scripta est cum (probabiliter) adhuc viveret Ioannes Ap.; unde interventus hic clare exhibet primatum Romani Pontificis. b) Corinthii epistolam tanta reverentia receperunt ut eam publice legerent in ecclesia die Dominica.[4]

Dices 1. Epistola haec est "Ecclesiae Dei quae Romae peregrinatur"; eam habere Clementem *auctorem,* gratis asseritur.

R. Licet S. Clemens se non nominet, certum est eum fuisse auctorem epistolae (supra p. 93).

Urg. (Lipsius, Harnack) Iurisdictio suprema Romae tunc temporis pertinebat ad *collegium presbyterorum,* cuius secretarius fuit Clemens; episcopatus monarchicus non dabatur Romae nisi ca. 160 (sub Aniceto vel Pio).

R. *N.* Catalogi mox citandi supponunt episcopos romanos iam tunc fuisse monarchicos.[5]

Dices 2. Illo tempore, *quaevis* ecclesia aliam monere potuit de eius defectibus.

---

[4] HE I p. 383-4; DThC s.v. Primauté col. 266-7.
[5] HE I p. 375-7; Meinertz. Past. p. 52.

R. *Dist.* ita ut talis monitio putaretur auctoritativa *N.* mera correctio fraterna *Tr.*

Urg. Epistola haec est merum exercitium *correctionis fraternae.*

R. *N.* Patet a) ex verbis ipsis "si oboedientes facti etc.", "si quidem non obtemperaveritis etc."; b) ex missione legatorum.

S. Victor I (189-199) iussit ubique in Ecclesia fieri synodos episcoporum ut solveretur quaestio *quo die* celebrandum esset pascha. Huic exercitio primatus omnes ecclesiae oboediverunt, ecclesiis Asiae non exceptis. Atque omnes acceperunt praxim ecclesiae romanae, scil. semper celebrandi pascha *die Dominica,* exceptis ecclesiis Asiae. His "quatuordecimanis", qui pascha celebrabant *die 14 Nisan,* Victor dein *excommunicationem* minatus est.[6]

Stephanus (254-7) damnavit doctrinam de re-baptizandis haereticis, atque episcopis Asiae et Africae mandavit, *sub poena excommunicationis,* ut praxim oppositam relinquerent. S. Cyprianus et Firmilianus quidem huic decreto restiterunt, sed auctoritatem Stephani non negaverunt, immo eam explicite admiserunt. Tandem Ecclesia universa secuta est Stephanum, etiam eae ecclesiae quae antea restiterant.[7]

Julius I (337-352) declaravit *causas episcoporum* Romae agendas esse. Arianos increpuit quod Athanasium prius deposuissent ac dein petivissent suum consensum.[8]

Damasus (366-384). S. Hieronymus scribit: "Quum in chartis ecclesiasticis iuvarem Damasum, romanae urbis episcopum, *et orientis occidentisque synodicis consultationibus* responderem etc."

Siricius (384-399) claris verbis docuit non solum factum primatus, sed etiam eius indolem internam.[9]

2. *Testimonia explicita Patrum*

S. Ignatius M. anno 107 scripsit 7 epistolas ad varias ecclesias, etiam ad ecclesiam romanam. In quibus tria sunt notatu digna: a) Aliter prorsus loquitur ecclesiae romanae ac ceteris; has enim monet ut pater, illam veneratur ut *matrem* et *magistram;* b) in inscriptione ecclesia romana salutatur ut "universo caritatis coetui

---

[6] HE II p. 87-93; DThC s.v. Pâques col. 1950-1; s.v. Primauté col. 269-270.—De facto quidem Victor excommunicationem non inflixit, maxime quia S. Irenaeus aliique episcopi eum rogaverant ne "abscinderet a corporis unitate tot et tantas ecclesias Dei". Omnes tamen supposuerunt Victorem habere potestatem excommunicandi.

[7] HE II p. 199-209, 415-6; DA I col. 390-418; LThK s.v. Stephan I.

[8] HE III p. 120.

[9] D 87; HE III p. 477-487.

praesidens" (προκαθημένη τῆς ἀγάπης), i.e. ut habens *primatum;* c) in fine epistolae iterum innuit eam obtinere *primatum*: "Solus Jesus Christus illam (ecclesiam Syriae) vice episcopi reget atque vestra caritas" (RJ p. 17-8).[10]

S. Irenaeus, agens contra Gnosticos, duas vias monstrat quae ducant ad cognitionem doctrinae catholicae: una via est investigare quid teneant ceterae ecclesiae apostolicae; altera via est quaerere *quid doceat ecclesia romana*: "Ad hanc enim ecclesiam, propter potentiorem principalitatem (i.e. maiorem auctoritatem), necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua (i.e. ecclesia romana) semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio" (Adv. haer. III 3, 2).[11]

Tertullianus clare affirmavit primatum ecclesiae romanae (De Praescr. 36). Sed etiam cum factus esset montanista, episcopum romanum appellavit "Pontificem maximum" et "episcopum episcoporum," atque testatur eius decreta ab omnibus Catholicis recipi ut *peremptoria* (De Pud. 1).[12]

S. Cyprianus ecclesiam romanam vocat "ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis orta est" et "Ecclesiae catholicae radicem ac matricem". Etiam asserit unitatem Ecclesiae servari non posse nisi per *communionem cum Rom. Pontifice.*[13]

Dices: S. Cyprianus negavit primatum. Nam a) appellationem ad sedem romanam *illicitam* habuit (Ep. 55, 14; 68, 5); b) docuit episcopos *soli Deo* esse subditos (Ep. 59, 14).

R. *N.ass.* ad a) S. Cyprianus non negavit ius appellandi ad sedem romanam, sed questus est *modum* quo facta erat appellatio.—ad b) *Dist.* docuit episcopos esse independentes a Rom. Pontifice *N. ab aliis episcopis C.*[14]

Urg. S. Cyprianus *restitit* decreto Stephani de haereticis non-rebaptizandis.

R. *Tr.* Id non est negare ipsum primatum.

Urg. S. Cyprianus docuit omnes episcopos esse *aequales*: "Hoc erant utique et ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis . . . Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur" (De unitate Ecclesiae n. 4-5; RJ p. 201).

R. Textus huius libri dubius est; exstat enim *duplex recensio.* Sed neutrius contextus excludit primatum.[15]

---

[10]HE I p. 384; Zapelena p. 143-5.

[11]DieckmannE II p. 96-7, 107-110; Straub II p. 358-380; Zapelena p. 145-9; Pesch I n. 489; van den Eynde p. 171-9.

[12]Zapelena p. 150; Wilmers, Lehrb. II p. 488-9.

[13]Zapelena p. 150-1; Ottiger II p. 653-677; van den Eynde p. 237-251.

[14]HE II p. 198-9; Zapelena p. 156-9.

[15]HE II p. 195-209, 410-3; Zapelena p. 121-2.

3. *Ex recursu episcoporum*

Ex omnibus partibus mundi episcopi recurrebant ad sedem romanam tamquam ad *tribunal supremum* in Ecclesia:

S. Polycarpus, episcopus Smyrnae in Asia, adiit Anicetum ad solvendam quaestionem de celebratione paschae.—*S. Irenaeus,* episcopus Lugdunensis in Gallia, et martyres Lugdunenses adierunt Eleutherium ut pacem redderet ecclesiis Asiae.— *S. Cyprianus,* episcopus Africae, Stephanum rogavit ut deponeret Marcianum episcopum, qui Novatiano adhaeserat.—*Privatus,* a synodo Carthaginensi damnatus, legatum Romam misit (250) ut restitueretur ad munus suum episcopale.[16]—*Basilides* et *Martialis,* episcopi Hispaniae, cum depositi essent a synodo provinciali, Romam appellaverunt ut confirmarentur in suis sedibus.[17]—*Marcellus,* episcopus Ancyrae in Asia, Julio rationem reddidit suae fidei, eique denuntiavit eos qui contra eam scripserant.—*Episcopi Aegyptii* a Liberio petiverunt depositionem Athanasii; ipse *Athanasius* autem Romam confugit "quasi ad tutissimum communionis suae portum" et "huius sedis auxilium petivit."[18]—Tandem cf. ea quae S. Hieronymus scripsit de *synodis* (supra p. 395).

Dices 1. Etiam *alii episcopi* consulebantur in rebus fidei; v.g. S. Basilius, S. Ambrosius, S. Augustinus. His tamen nemo umquam tribuit primatum.

R. *N.par.* Hi viri docti et sancti a) consulebantur a paucis, et quidem b) ob suas dotes personales (sapientiam, prudentiam, experientiam), neque c) dederunt responsa auctoritativa; unde post eorum mortem, nemo recurrit ad eorum successores. Sed praxis recurrendi ad Rom. Pontifices erat a) universalis et constans; b) ab eis exspectabatur decisio auctoritativa et ultima; c) uno mortuo, recursus non cessabant.[19]

Dices 2. S. Hieronymus negavit primatum. Nam in ep. ad Evagrium scripsit: "Si auctoritas quaeritur, *orbis maior est urbe.* Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? Ubicunque fuerit episcopus (sive Romae sive Constantinopoli sive Rheggii sive Alexandriae sive Tanis), eiusdem meriti est, eiusdem sacerdotii".

R. *N.supp.* S. Hieronymus hic non egit de primatu, sed de aequalitate episcoporum quoad potestatem *ordinis.*[20]

Dices 3. Primatus Rom. Pontificis negatus est a 3 Conciliis oecumenicis. Nam a) Conc. Nicaenum I (325) in can. 6 statuit episcopum romanum esse *patriarcham occidentis;* b) Conc. Constantinopolitanum I (381) in can. 3 et c) Chalcedonense (457) in can. 28 negaverunt episcopum romanum habere iurisdictionem in *oriente.*[21]

---

[16]HE II p. 409.
[17]HE II p. 414.
[18]HE III p. 116-7.
[19]Dorsch II p. 152-3.
[20]Zapelena p. 159; Mazzella, Rel p. 727-8.
[21]Textus habes apud Kirch p. 241, 370, 535-6.

R. *N.ass.* ad a) Non dixit episcopum romanum esse *tantum* patriarcham occidentis.—ad b) et c) In utroque Concilio quaestio movebatur tantum de *patriarchatu* orientali; neutrum explicite tetigit primatum in canonibus citatis, immo *implicite* eum agnovit (*μετὰ τὸν τῆς ʽΡώμης ἐπίσκοπον—δεύτεραν μετ' ἐκείνην*).[22]

4. *Ex recursu haereticorum*

Marcion absolutionem petivit ab ecclesia romana; *Montanistae* Romam fugerunt quaerentes approbationem suorum actuum; *Ariani* appellaverunt ad Liberium etc.

5. *Imperatores romani*

In persecutionibus primorum 3 saeculorum, episcopi romani primi quaerebantur ad mortem; unde plurimi eorum numerantur inter *martyres*.

Saec. 4 imperatores agnoverunt primatum episcopi romani. Sic *Constantinus* rogavit Miltiadem (310-4) ut causam episcoporum Africae diiudicaret. A Liberio (352-366) *Constantius* postulavit ut Athanasium eiceret e sede alexandrina. Anno 380 *tres imperatores* (Gratianus, Valentinianus, Theodosius) statuerunt ut cuncti populi sibi subditi eam religionem profiterentur "quam divinus Petrus Romanis tradidit et quam sequitur Damasus Pontifex". Speciatim *Gratianus* decrevit ut "aedes sacrae iis traderentur qui Damasi communionem amplecterentur."[23]

Dices: Saltem pro primis saeculis documenta historica quibus probetur primatus episcopi romani, non sunt tot quot exspectaveris in re tam gravi.

R. *N.supp.* a) Non omnes actus iurisdictionis episcoporum romanorum literis consignati sunt. b) Ex actibus scriptis multi perierunt in persecutionibus.—Addi potest: Initio exercitium primatus non tam necessarium erat cum Apostoli vel eorum discipuli adhuc regerent ecclesias.[24]

Arg. 3. *Ex praescriptione*

Inde a saec. 5, *Ecclesia universa* theoretice et practice agnovit primatum episcopi romani utpote successoris S. Petri.

Atqui talis consensus inexplicabilis esset nisi primatus episcopi romani esset originis apostolicae.

Ergo primatus episcopi romani est originis apostolicae.

Ad M. a) Maior etiam conceditur a B. J. Kidd qui ("The Primacy to A.D. 461") asserit S. Leonem M. (440-461) tandem

---

[22]van Laak, Rep. p. 241-3; HE III p. 90, 290, 440-1; IV p. 130; Zapelena p. 153-6; Pesch I n. 504.

[23]Quoad Conc. Arelatense (314), convocatum a Constantino imperatore, cf. HE III p. 36-9; Ottiger II p. 795.

[24]Dorsch II p. 152; Zapelena p. 159-160.

stabilivisse primatum sedis romanae. b) Ecclesia *graeca* agnovit primatum sedis romanae usque ad saec. 9 vel potius 11, ecclesiae omnes *occidentis* usque ad saec. 16; *diuturnus* hic consensus explicandus est.

Dices: Concilium *Constantiense* (1414-1418) oecumenicum postulavit ut Romanus Pontifex (Joannes XXIII) ei oboediret, et eum suspendit. Ergo non admisit eius primatum.

R. Quamvis actio haec Concilii aliquomodo excusari possit ob schisma tunc vigens, tamen contraria erat *toti traditioni;* neque sequentes Romani Pontifices (Martinus V, Eugenius IV) eam umquam approbaverunt.[25]

Prob. min. Nisi primatus sedis romanae esset originis apostolicae, inter saec. 1 et 5 facta esset *mutatio fundamentalis, publica, practica.* Atqui talis mutatio facta non est. Etenim a) nullum est documentum quo probetur talis mutatio. b) Si haec mutatio facta esset, improbabile est ideam primatus eandem fuisse ubique. c) Improbabile est ceteros episcopos permisisse talem mutationem; episcopi enim non tantum summa diligentia custodiebant depositum fidei, sed etiam sua iura; prorsus incredibile autem est episcopos orientales se ultro subiecisse episcopo occidentali. d) Episcopi romani primi fere omnes inter Sanctos recensentur; atqui tales non ultro usurpant auctoritatem maximam.[26]

Confirmatur

Episcopus romanus est successor Petri in primatu, si *Petrus moriens fuit episcopus romanus.*

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Ad M. *Iura alicui sedi adnexa* per se transeunt, simul cum sede, ad successorem legitimum; exceptio probari debet. Ergo is qui successit Petro in sede romana, erat eius successor non tantum in episcopatu particulari illius ecclesiae, sed etiam in primatu et in magisterio supremo.

Nota. a) Hanc consequentiam esse *bonam,* confirmatur ex eo quod Protestantes sibi putant destruere primatum episcopi romani si probare possint Petrum aut non fuisse Romae aut non fuisse episcopum romanum. b) Consequentia tamen *non est absoluta.* Etsi Petrus numquam Romae fuisset, potuisset episcopus romanus legitime obtinere primatum; et etsi Petrus Romae fuit, alia sedes legitime obtinere potuit primatum. Unde hoc non est argumentum nostrum principale; est tamen utile.[27]

---

[25]Zapelena p. 160-1; LThK s.v. Konstanzer Konzil.

[26]Mazzella, Rel. p. 721-7; Hervé I p. 398-9; Wilmers, Lehrb. II p. 152.

[27]DieckmannE I p. 416; Dorsch II p. 132; Lercher I p. 372; Goebel p. 401-2.

Dices: Si hoc argumentum haberet vim ullam, etiam *episcopus Antiochiae* se dicere posset successorem Petri; nam Petrus fuit episcopus Antiochiae per aliquot annos (35-42?).

R. *N.* a) Petrus non videtur fuisse episcopus antiochenus; primus episcopus huius sedis nominatur Evodius. b) Etsi Petrus fuerit episcopus Antiochiae, successori istius sedis non reliquit primatum, sed sedem primatialem Romam transtulit.[28]

Prob.min.

1. *Petrus Romae fuit ibique mortuus est*

Id quidem olim negabatur a Waldensibus, Marsilio Patavino, aliquibus Protestantibus; saec. 19 negabatur a schola Tübingensi; hodie negatur a Guignebert et K. Heussi. Sed fere omnes *periti* in re historica (etiam rationalistae; v.g. Hilgenfeld, Harnack, Lietzmann, E. Meyer) admittunt Petrum Romae martyrium subisse tempore Neronis. Ac revera, factum hoc tam certum est quam vix aliud antiquitatis; tot enim sunt documenta et monumenta quae illud testantur, ut accipi debeat ab omnibus qui non ducuntur praeiudiciis.[29]

Dices: Mirum est quod hoc factum non commemoretur a) in Act, ubi multa narrantur de Petro, b) in Rom, c) in epistolis quas Paulus Romae scripsit; v.g. in epistolis captivitatis.

R. a) Est merum argumentum ex silentio—quod nullum est ubi factum aliunde certo constat. b) et c) Assignari possunt rationes (saltem probabiles) silentii in his documentis.

Urg. Uti patet ex Act 28, 22, religio Christi ignota fuit Judaeis romanis ante adventum Pauli. Ergo Petrus Romae non fuit.

R. 1. *N.ant.* Ex Act 28, 22 patet Judaeos illos audivisse de "secta" nova "quia ubique ei contradicitur"; neque Lucas asserit eos nihil plus audivisse.[30]

R. 2. *Tr.ant. N.cons.* Cf. statim.

Nota. *Quamdiu* Petrus Romae fuerit, dubium est. Alii dicunt 25 annos, alii 15 vel 12, alii vix unum. Probabiliora haec sunt: Petrus Romam venit sub Claudio imperatore (ca. 42); postea (ca. 51) rediit in Jerusalem; inde visitavit Antiochiam, Corinthum, alias ecclesias. Nerone regnante (54-68), iterum Romam petivit ibique martyrium passus est (anno 67). At quaestio est nullius momenti (apologetici vel dogmatici).[31]

2. *Petrus usque ad mortem fuit episcopus romanus*

Id negatur etiam ab iis Protestantibus qui concedunt Petrum Romae fuisse ibique martyrium passum esse. At traditio (historica) etiam hac de re est firma.[32] Probatur:

---

[28] Holzmeister, Vita etc. p. 30-4; HE I p. 154-5.
[29] Holzmeister, Vita p. 37-54; HE I p. 227-237; DieckmannE I p. 417-427.
[30] Jacquier p. 757.
[31] Cornely, Rom p. 1-7; Holzmeister, Vita p. 55-71; Jacquier p. 369; DieckmannE I p. 416-7.
[32] Holzmeister, Vita p. 40-7.

a. Exstant *3 catalogi antiqui,* qui omnes incipiunt seriem episcoporum romanorum cum Petro: a) *S. Epiphanius* (Haer. 27, 6) nobis tradit catalogum auctoris innominati qui vixit sub Sotere (166-174): "Romae primi omnium Petrus et Paulus Apostoli pariter atque episcopi fuerunt. Inde Linus, tum Cletus. Post hunc Clemens, Petri et Pauli temporum aequalis". b) *Eusebius* confecit similem catalogum ex Hegesippo, S. Irenaeo, Julio Africano. c) *Liber pontificalis* (scriptus 354) tradit catalogum e Chronico Hippolyti (mort. 235).[83]

Dices: In aliis catalogis *Linus* dicitur fuisse primus episcopus romanus. R. *Dist.* primus post Petrum *C.* aliter *N.*[84]

Nota. Quaedam documenta ecclesiastica asserunt episcopum romanum succedere Petro et *Paulo.* Sed successio non est eadem. Sic documenta illa numquam loquuntur de cathedra Petri et Pauli, sed tantum de *cathedra Petri.* Petrus et Paulus autem saepe iunguntur quia etiam Paulus, Apostolus simpliciter, rigavit ecclesiam romanam doctrina et praedicatione, consecravit sanguine suo, forte administravit potestate aliqua subordinata.

b. Idem testantur *monumenta archaeologica.* a) Sepulchrum Petri in Vaticano iam notum fuisse saec. 1, constat directe ex Caio presbytero (apud Eusebium, Hist. II 25). b) Petrum morientem autem fuisse episcopum romanum, indirecte constat; nam Caius arguit contra Proclum montanistam, qui invocaverat sepulchrum Philippi; ei Caius opposuit sepulchra Petri et Pauli, quibus maior auctoritas ecclesiae romanae probatur. c) Romae semper servabatur cathedra Petri, et colebatur tamquam pignus successionis apostolicae (Tertullianus et auctor carminis "Adversus Marcionem", eius aequalis).[85]

c. Neque desunt *testimonia explicita antiquitatis.* a) Saec. 2 S. Irenaeus et Tertullianus rem aperte testantur, atque, perpensa eorum aetate et qualitate, hoc testimonium sufficit ad rem probandam.[86] b) Saec. 3 idem testantur Anatolius, Firmilianus, Cyprianus, Hippolytus. Atque notandum est hos suum testimonium dedisse cum disputarent adversus episcopos romanos—id quod valde auget vim huius testimonii.

Cor. 1. Ergo Patres recte dixerunt Petrum *adhuc et semper*

---

[83]HE I p. 385-6.

[84]DieckmannE I p. 427; Kirch n. 1002-5; Goebel p. 409-410; HE I p. 375, 388; Hertling, in Biblica 1939 p. 276-283.

[85]Quoad imagines Petri, cf. DieckmannE I p. 433-4.

[86]DieckmannE I p. 430-2.

praeesse in Ecclesia. Sic S. Ambrosius: "Ubi Petrus, ibi Ecclesia" (In Ps 40 n. 30); S. Petrus Chrysologus: "Petrus semper in propria sede et vivit et praesidet" (Ep. ad Eutych.); S. Leo M.: "Petrus sedi suae praeesse numquam desinet" (Sermo 5); Conc. Ephesinum: "Petrus . . . ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet" (D 112).

Cor. 2. Ergo Romanus Pontifex hucusque erat et hodie est *magister supremus authenticus* evangelii et eorum quae cum eo conexa sunt. Neque in sua praedicatione pendet a consensu fidelium aut episcoporum (sive singillatim sive simul sumptorum).

Cor. 3. Ergo superfluae sunt hypotheses quibus Protestantes et rationalistae explicare conantur *originem* primatus. Eas breviter recenseamus et refutemus:

a. Aliqui olim adduxerunt documenta ficta, scil. *falsa decreta* episcoporum romanorum, maxime "pseudo-Clementina" vel "pseudo-Isidoriana". Ita adhuc Cadoux p. 482.

Sed haec hypothesis nimis absurda est. Documenta ista enim non sunt orta nisi cum primatus romanus iam diu agnitus esset ubique.[37]

b. Obsoleta quoque est theoria eorum qui primatum derivant ex *dotibus personalibus* episcoporum romanorum. Nam statim quaeritur: Nonne etiam alii episcopi praediti erant dotibus similibus vel etiam clarioribus? Et unde ceterae ecclesiae noverunt dotes eximias episcoporum romanorum?[38]

c. Alii provocant ad *titulos magnificos* quos Patres tribuerunt episcopis romanis—vel ad dignitatem sedis romanae—vel ad praxim consulendi episcopos romanos in casibus gravioribus etc.

At sic effectus ponitur pro causa. Quaeritur enim praecise cur haec facta sint.[39]

d. Hodie ortus primatus generatim repetitur ex splendore et influxu civili *urbis Romae.*[40]

At a) pro Christianis splendorem aequum vel maiorem habuit *Jerusalem* cum locis a Domino ipso consecratis; ibi etiam Apostoli diu manserant et primam ecclesiam organizaverant. b) Etiam ec-

---

[37] HE VI p. 352-366; CE s.vv. False Decretals; Clementines; Ottiger II p. 792-4.
[38] Dorsch II p. 154.
[39] Dorsch II p. 154-5.
[40] Ita Harnack, Hist. of Dogma II p. 155.

clesia *Antiochiae* tunc praevaluit; Antiochia enim erat urbs florentissima orientis; Antiochiae organizata erat prima ecclesia nonjudaica, ibique praedicaverant Petrus et Paulus. c) Romae mox immanes *persecutiones* exorsae sunt; quae potius impediebant ne ecclesia romana principatum obtineret super ceteras ecclesias.[41]

Schol. 1. **Infallibilitas Romani Pontificis**

Cum Romani Pontifices sint successores legitimi S. Petri, sunt etiam infallibiles sub iisdem condicionibus sub quibus Petrus erat infallibilis. Quodsi ita docent, hodie dicuntur *"loqui ex cathedra"* seu *"definire"*.[42]

Non-Catholici et (ante Conc. Vat.) etiam pauci Catholici putaverunt se posse probare *errorem* in aliquibus locutionibus ex cathedra. Historicorum catholicorum est eos refutare ex propriis fontibus. Breviter tamen videamus obiectiones praecipuas:

a. *Marcellinus* (296-304) abiuravit fidem.

R. a) Res est historice dubia. b) Si abiuravit fidem, peccavit, sed certo non est locutus ex cathedra.[43]

b. *Liberius* (352-366) subscripsit formulae Sirmiensi, quae erat ariana vel semiariana, ac proinde haeretica.

R. a) Dubium est quid revera fecerit Liberius. b) Transmissa quaestione facti, dicimus: Si Liberius revera subscripsit formulae haereticae, peccavit, sed non est locutus ex cathedra. Nam quidquid fecit, fecit ut vitaret vexationes Arianorum; teste enim S. Athanasio, "Liberius extorris factus, post biennium denique fractus est minisque mortis perterritus subscripsit". Atqui plus requiritur ut habeatur locutio ex cathedra.[44]

c. *Zosimus* (414-8), scribens ad episcopos Africae, laudavit Pelagium et Caelestium ut viros qui "numquam . . . a veritate catholica fuerint avulsi". Atqui hi negaverant peccatum originale et iam excommunicati erant a variis synodis.

R. Neque haec erat locutio ex cathedra. Zosimus potius finire voluit scandalum, atque eius epistola non tam respiciebat doctrinas quam personas, quae bonam voluntatem manifestaverant. Hinc S. Augustinus: "Voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est".[45]

d. *Hormisdas* (514-523) et *Joannes II* (532-5) sibi invicem contradixerunt. Nam Hormisdas Roma expulit monachos qui ad professionem fidei addere voluerant: "Unus de Trinitate passus est". Sed Joannes II eandem formulam admisit. Ergo aut unus aut alter erravit.

---

[41]Dorsch II p. 155-7.

[42]Pauci Catholici olim putaverunt Romanum Pontificem *semper* loqui ex cathedra (cf. Butler I p. 73-7; CE s.v. Ryder; Dublin Rev. 1936 p. 229, 263). Atque eadem est opinio etiamnunc communis inter Protestantes.

[43]HE II p. 466-7.

[44]HE III p. 154-5, 231; BN p. 1291-3; Straub II p. 428-9; Muncunill II p. 390-3; LThK s.v. Liberius; Pesch I n. 515.

[45]HE IV p. 107-110; Dorsch II p. 312-3; Straub II p. 429.

R. *N.supp.* Hormisdas non reprobavit ipsam formulam monachorum, sed eos ob superbiam et importunitatem Roma expulit.[46]

e. *Vigilius* (538-555). Imperator Justinianus ediderat edictum (anno 543) quo damnabantur "tria capita", i.e. tres viri (Theodorus Mopsuestensis, Theodoretus, Ibas) eorumque scripta. Vigilius primo restitit huic decreto, dein (548) ei consensit, postea (550) eosdem viros contra Justinianum defendit, tandem (553) eorum damnationi iterum consensit.

R. *N.supp.* Vigilius dici potest reus inconstantiae et vacillationis (cuius causa fuit eius ignorantia linguae graecae), sed non est locutus ex cathedra. Quaestio potius erat de opportunitate condemnationis "trium capitum".[47]

f. *Honorius I* (625-638) in 2 epistolis ad Sergium approbavit monothelismum (i.e. unam tantum voluntatem esse in Christo). Hinc damnatus est ut haereticus a Conc. Constant. III (680), quae damnatio approbata est a Leone II.[48]

R. a) Honorius non est locutus ex cathedra; nam 2 istae epistolae erant privatae; neque in eis docuit monothelismum, sed unitatem moralem duarum voluntatum. b) Leo II non damnavit Honorium quod haeresim docuerit, sed quia haeresi non satis restitit, atque sic muneri suo aliquomodo defuit. c) Dubitatur num Conc. Constant. damnaverit Honorium ob eandem rationem an ob haeresim.[49]

g. *Zacharias* (741-752) negavit exsistentiam antipodum.

R. *Dist.* qui non pertinerent ad genus humanum *C.* aliter *N.*[50]

h. *Bonifacius VIII* (1294-1303) in bulla "Unam Sanctam" definivit Romanum Pontificem habere potestatem ***directam*** super reges, etiam in rebus pure temporalibus. Cf. D 468-9.

R. Bulla haec est quidem genuina, sed sola ultima sententia ("Porro subesse etc.") est definitio. Quoad cetera tria sunt notanda: a) Bonifacius VIII ipse negavit se voluisse tribuere Papae potestatem directam super reges in rebus pure temporalibus; b) doctrina ipsa interpretanda est ex mente medii aevi christiani, cum scil. relatio inter Ecclesiam et statum prorsus alia esset quam hodie; c) hodiernam relationem exposuit Leo XIII in Encycl. "Immortale Dei" (D 1866-1888).[51]

Nota. a) Etiam alii Romani Pontifices (v.g. Nicolaus I, Innocentius III, Joannes XXII, Eugenius IV) interdum dicuntur falsa docuisse; sed hae obiectiones melius remittuntur ad varios tractatus dogmaticos.—b) Causa *Galilaei* non tangit hanc thesim; nam Romanus Pontifex non est locutus ex cathedra.—c) Quoad bullam *Sixti V* "Aeternus ille", cf. infra p. 709.

---

[46] HE IV p. 429-430; Dorsch II p. 313; Straub II p. 429; LThK s.v. Theopaschiten.

[47] CE s.vv. Three Chapters; Vigilius; HE IV p. 460-477; Straub II p. 429-431; LThK s.v. Dreikapitelstreit.

[48] Cf. Cadoux p. 480-2.

[49] D 251-3; HE V p. 122-3, 189-190; BN p. 1293-4; Straub II p. 431-5; Dorsch II p. 313-7; Manning, Vat. Council p. 120-4, 244-6; Butler II p. 115-7; Granderath, Geschichte etc. II p. 535-540; III p. 31-6.—Quoad solutionem S. Bellarmini, cf. Dorsch II p. 346.

[50] CE s.v. Antipodes.

[51] D 468 (nota); Zapelena p. 321-2; LThK s.v. Unam sanctam.

Schol. 2. **Successores collegii Apostolorum**

Cum apostolatus fuerit non tantum munus extraordinarium, sed etiam *ordinarium* in Ecclesia Christi, quaeritur qui hucusque fuerint et hodie sint successores collegii Apostolorum? Asserimus eos fuisse *episcopos monarchicos,* quorum singuli erant et sunt rectores et magistri authentici suarum ecclesiarum (ordinarie territorialium).

Quam thesim, multum agitatam his ultimis decenniis, paucis explicabimus et defendemus.

1. *Adversarii*

Rationalistae et plurimi Protestantes admittunt quidem episcopos monarchicos rexisse ecclesias ca. 120 vel saltem ca. 160; historia enim id nimis evidenter testatur. At negant eos antea exstitisse. Putant episcopatum monarchicum saec. 2 ortum esse ex *causis prorsus naturalibus*: ex periculo gnosticismi, ex ambitu aliquorum officialium in ecclesiis, ex exemplo imperii romani, ex influxu paganismi vel Judaismi, ex ideis religiosis (v.g. unitate Dei) etc.[52]

2. *Explicatio*

Transmittimus quaestionem de nomine. Voces 'episcopus' et 'presbyter' ambiguae fuerunt primo saeculo; usus adhuc vacillat apud S. Clementem, quamvis in epistolis S. Ignatii et in 'martyrio S. Polycarpi' voces habeant determinatam significationem. Adhuc tempore S. Irenaei vox 'presbyter' significare poterat sacerdotem primi vel secundi ordinis, sed vox 'episcopus' semper designavit sacerdotem primi ordinis.[53]

Nos igitur non disputamus de nomine, sed de re. Atque, omisso successore Petri, per "episcopum monarchicum" intellegimus eum qui auctoritative regit ac docet aliquam partem (generatim territorialem) Ecclesiae Christi.

3. *Probatio*

S. Clemens Rom. "Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo. . . . Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes earum spiritu cum probassent, *constituerunt episcopos* et diaconos eorum qui credituri erant. . . . Ipsi deinceps ordi-

---

[52]D 2060; CE s.v. Bishop; DieckmannE I p. 480-492; van den Eynde p. xii-xiii; Dorsch II p. 20-1; Goebel p. 238-241; Linton p. 104-112; Zeiger, in StZ April 1935 p. 38-46; van Laak, Rep. p. 296-7; Suppl. s.v. Evêques.

[53]HE I p. 272-3; Dorsch II p. 52.

nationem dederunt ut, cum illi decessissent, ministerium eorum *alii viri probati* exciperent" (ad Cor 42, 1-4; 44; cf. RJ p. 8).

Dices: Uti patet ex hac epistola, episcopi tunc eligebantur et deponebantur a communitate. Atqui tales non sunt episcopi monarchici, sed *delegati communitatis*. Ita Lietzmann, Beg. p. 256.

R. *N.M.* a) Epistola S. Clementis etiam aliam interpretationem patitur. b) Si tale fuit ius originale communitatis, unde est quod totum mox disparuit?[54]

Ex epistolis *S. Ignatii M.*, qui scripsit ca. 107, constat fuisse tunc temporis episcopos monarchicos Antiochiae et in aliis partibus Asiae. Adde quod S. Ignatius a) non loquitur de episcopatu monarchico ut de re nova, et b) tacet omnem controversiam de hac re.[55] "Anteverti vos admonere ut uniamini in sententia Dei. Etenim Iesus Christus, inseparabilis vita nostra, sententia Patris est, ut et *episcopi, per tractus terrae constituti,* in sententia Christi sunt" (ad Eph 3, 2). "Quemcunque paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum qui eum mittit. Manifestum est igitur quod *episcopum* respicere oporteat ut ipsum Dominum. Unde decet vos in *episcopi* sententiam concurrere—quod et facitis" (ib. 6, 1).[56]

Ergo historice constat episcopos monarchicos exstitisse in multis ecclesiis *ca. 100.* Eos autem habitos esse ut *successores Apostolorum,* patet ex S. Clemente et ex scriptoribus posterioribus:

S. Irenaeus: "Omnes ii (i.e. haeretici) posteriores sunt quam episcopi, quibus *Apostoli* tradiderunt ecclesias" (Adv. haer. V 20). "Habemus annumerare eos qui *ab Apostolis instituti* sunt episcopi, quibus etiam ecclesias tradiderunt" (ib. III 3).

Tertullianus: "Evolvant (haeretici) ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem ut primus ille episcopus ex *Apostolis* vel apostolicis viris . . . habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt" (De praescr. 32).[57]

Dices 1. Harnack asserit *Patres apostolicos,* excepto S. Ignatio, tacere episcopatum monarchicum; atque inde infert episcopatum monarchicum se eo tempore gradatim evolvisse.

---

[54] Linton p. 109-110; Hertling, in Biblica 1939 p. 276-283.

[55] Lietzmann, Beg. p. 331-2.

[56] DieckmannE II p. 20; van den Eynde p. 62-3.

[57] Eusebius excerpsit catalogos episcoporum pro ecclesia alexandrina (rediens usque ad Marcum), pro ecclesia antiochena (rediens usque ad Evodium), pro Jerusalem (rediens ad Jacobum).

R. a) Quo iure historico neglegitur testimonium *S. Ignatii*? b) Harnack arguit ex mero silentio; sed probare deberet Patres apostolicos non potuisse tacere hanc rem. Dein iidem etiam tacent evolutionem quam Harnack supponit; quid ergo? c) Ii qui scripserunt post 150 nihil sciunt de mutatione essentiali aut de controversia quae fuerit in hac re.[58]

Urg. Etiam *Apologetae* saec. 2 tacent episcopatum monarchicum.

R. Concedo. Sed his erat etiam minor occasio eum commemorandi.

Urg. Episcopatus debebatur reactioni contra Marcionem.

R. *N*. Haec hypothesis simpliciter ignorat epistolas S. Ignatii, quae scriptae sunt diu ante Marcionem et tamen supponunt episcopatum firmiter stabilitum.

Urg. Ab initio, episcopis demandata erat *cura rerum materialium;* cui gradatim addita est cura rerum doctrinalium et spiritualium.[59]

R. *N*. Uti sufficienter constat ex eorum epistolis, primi episcopi quorum nomina novimus, habebant curam rerum etiam spiritualium.[60]

Dices 2. Episcopus *Alexandriae,* usque ad medium saec. 3, non erat nisi "primus inter pares". Id testantur 'Ambrosiaster' et Eutychius, qui erat patriarcha Alexandriae (877-940).

R. *N*. 'Ambrosiaster' tantum asserit simplices presbyteros Aegypti habuisse potestatem 'confirmandi'; sed inde non sequitur eos fuisse pares episcopis in munere regendi et docendi (sicut nec hodie).—Eutychius autem nimis distat a rebus quas testatur. *Origenes,* qui erat coaevus et in suis libris tangit has res, nihil scit de ulla mutatione radicali.[61]

Cor. Ergo episcopi monarchici iique soli semper fuerunt et hodie sunt *magistri authentici evangelii* in suis dioecesibus. Iidem, sub 3 condicionibus supra positis, sunt etiam magistri *infallibiles.*

---

[58]van den Eynde p. 63-7.

[59]Lietzmann, Beg. p. 190-2.

[60]Concedimus episcopos etiam curasse res materiales—vel quatenus gerebant officia privata (1 Tim 3, 4), vel quatenus res materiales serviebant spiritualibus, sicut hospitalitas, cura viduarum etc. Cf. 2 Cor 8 et 9; Jacquier p. 613; van Laak, Rep. p. 268; Dorsch II p. 71.

[61]HE I p. 377-8.

Thesis 31

Sola Ecclesia Catholica est vera Ecclesia Christi.

Thesis haec est omnino necessaria ad scopum huius Apologeticae; est autem nihil nisi *corollarium* ex thesibus praecedentibus.

1. *Ecclesia Catholica* est ille coetus religiosus qui agnovit et hodie agnoscit primatum Romani Pontificis.

Plura notanda ad hanc definitionem:

a. Definitio sumitur ut mere *initialis* (nominalis, historica), ut clare pateat res de qua agitur. Constat autem hodie talem coetum exsistere eumque iam exstitisse per saecula. Cum definitio nihil plus asserat, omnes eam accipere possunt.

b. Definitio adaptata est scopo peculiari Apologeticae. Non directe respicit fidem aut magisterium, sed *regimen* et *oboedientiam* (saltem externam).

c. Non nunc curamus a) num hic coetus *semper* vocatus sit Ecclesia Catholica, neque b) num *recte* dicatur catholica seu universalis. S. Ignatius (Smyrn. 8, 2) autem fuit primus qui adhibuit terminum ipsum: "Ubi Christus Iesus, ibi Ecclesia Catholica."

d. Etiam *Anglicani* quidam interdum se vocant Catholicos et ecclesiam suam catholicam. Eos excludi a thesi, patet ex definitione; non enim agnoscunt primatum Romani Pontificis. Recte Coffey (Log. I p. 105): "Notwithstanding the fact that Anglicans call themselves 'Catholics', the term 'Catholic Church' is commonly understood to denote the Church whose visible head is the Pope and whose center of authority is at Rome, and the term 'Catholic' to denote a member of this latter society".[1]

e. Quoad disputationem quae de *nomine* orta est in Conc. Vat., cf. Butler, I p. 277-283; Granderath, Geschichte etc. II p. 412-4, 464.—Nomen 'Ecclesia *Romano-Catholica*' non esse contradictorium, ostendunt Ottiger II p. 927; Wilmers, Lehrb. II p. 579; The Month, May 1940 p. 326-8.

2. *Vera Ecclesia Christi* est ea quam Christus degens in hac terra instituit.

---

[1]Cadoux p. 11-3; Goldstein, Autobiography p. 389-392; S. Augustinus, Contra ep. Man. 4, 5 (RJ p. 543).

3. *Est,* i.e. hucusque fuit et hodie est.

Thesis est historice *certa.* Dogmatice est *de fide definita:* D 1821.

Adversarii

1. *Rationalistae* et *Protestantes* in genere negant duo: a) Christum instituisse Ecclesiam ut societatem, b) Ecclesiam Catholicam esse identicam cum regno Dei quod Christus praedicaverat. Putant religionem Christi, ob influxus externos et internos, *essentialiter mutatam* esse decursu duorum primorum saeculorum. Unde quidam (v.g. Ritschl, Harnack) loquuntur de magna "apostasia", cuius tempus tamen non omnes determinant eodem modo.[2]

2. *Graeci schismatici* et variae *sectae* Protestantium putant Ecclesiam Catholicam primorum saeculorum fuisse veram Ecclesiam Christi, sed postea a vera fide defecisse.

3. *"Veteres Catholici"* dixerunt Ecclesiam Catholicam defecisse a vera fide cum Romanus Pontifex definiretur infallibilis (1870).

Thesis probatur

Ea est vera Ecclesia Christi, quae *agnoscit legitimum successorem Petri* ut rectorem supremum. Christus ipse enim constituit Petrum eiusque successores fundamentum et caput perpetuum suae Ecclesiae.

Atqui sola Ecclesia Catholica hucusque agnovit et hodie agnoscit legitimum successorem Petri ut rectorem supremum.

Ergo sola Ecclesia Catholica est vera Ecclesia Christi.

Prob.min. Legitimus successor Petri est *Romanus Pontifex.* Atqui soli Catholici hucusque agnoverunt et hodie agnoscunt Romanum Pontificem ut successorem Petri in munere supremo regendi.

Confirmatur

a. Aut vera Ecclesia Christi *disparuit* in decursu saeculorum aut semper fuit et est Ecclesia Catholica. Atqui non primum. Ergo alterum.

Prob.M. Disiunctio est bona. Nam omnes alii coetus Christian-

---

[2]Quaenam fuerint hae mutationes, exponunt v.g. theoretice E. F. Scott, The Gospel and Its Tributaries, ch. 9; historice O. Linton, Das Problem der Urkirche (1932); Pfleiderer, Urchristentum p. iv; J. Orr, Ritschlian Theol. p. 2.

orum docent religionem incomplete, continenter mutantur, carent principio effectivo unitatis.[3]

Prob.min. Christus promisit Ecclesiae suae *indefectibilitatem.*

Vel sic: Si Ecclesia Catholica non fuit per saecula et hodie est Ecclesia Christi, Ecclesia Christi disparuit. Atqui consequens est contra promissionem Christi. Ergo Ecclesia Catholica semper fuit et hodie est vera Ecclesia Christi.

b. Ea est vera Ecclesia Christi quae semper fuit et hodie est *identica* cum regno Dei quod Christus praedicavit.

Atqui sola Ecclesia Catholica est talis.

Ergo sola Ecclesia Catholica est vera Ecclesia Christi.

Prob.min. Christus voluit ut regnum Dei in hac terra esset societas a) religiosa, b) una, c) perpetua, d) catholica.

Atqui coetus qui agnovit primatum Romani Pontificis, semper fuit et hodie est societas a) religiosa; nam finis eius unicus est promovere cultum Dei et salutem animarum; b) perfecte una; nam omnes profitentur eandem fidem et subsunt eidem regimini supremo; c) perpetua; nam saltem exstitit inde a tempore Christi ipsius; d) catholica; nam sibi semper conscius erat mandati Christi docendi omnes gentes.—Alii coetus Christianorum, sive praeteriti sive praesentes, deficiunt in una vel alia vel omnibus *proprietatibus* quas Christus regno Dei inesse voluit.

Cor. 1. Ergo Ecclesia Catholica est *indefectibilis.* Indefectibilitas autem non tam tribuenda est mediis naturalibus quibus fortasse gaudet (v.g. divitiis, sapientiae), sed assistentiae divinae.[4]

Cor. 2. Ergo Ecclesia Catholica est *omnibus ad salutem necessaria,* quatenus unio externa cum ea est saltem via *ordinaria* ad salutem.

Nota. Sicut Ecclesia prae-Reformationis, ita *Protestantes veteres* unionem cum Ecclesia Christi tenuerunt ut prorsus necessariam. Hodie tamen viget *indifferentismus.* Distinctione enim facta inter religionem et "confessionem" (institutionem, ecclesiam), multi dicunt "confessionem" esse aliquid accidentale quoad religionem.[5]

Dices: Si Ecclesia Catholica esset via ordinaria ad salutem, saltem *maxima pars* hominum deberet esse catholica. Atqui maxima pars hominum numquam fuit catholica; hodie est tantum quinta pars.

R. Christus quidem voluit ut Ecclesia Catholica esset via ordinaria ad salutem, sed non sine *libera cooperatione hominum.* Ratio autem cur maxima pars hominum hodie non sit catholica, est malitia hominum et

---

[3]DThC s.v. Eglise col. 2134.

[4]Suarez, De Fide, Disp. 9 s. 4.

[5]D 1715-7, 1955; Schultes p. 269; Ottiger II p. 268-9; Zapelena p. 390-1.

defectus zeli. Neque tamen Deus denegat gratiam sufficientem iis qui sunt extra Ecclesiam.[6]

Cor. 3. Ergo Ecclesia Catholica est *apostolica* etiam quatenus Romanus Pontifex, eius caput, est successor Petri Apostoli.

Cor. 4. Ergo alii coetus Christianorum non sunt vera Ecclesia Christi neque partes eius, sed merae sectae.[7]

Cor. 5. Ergo episcopi et patriarchae horum coetuum non sunt successores legitimi Apostolorum; successio legitima in Ecclesia Christi enim non habetur nisi sub legitimo successore Petri.

Obiectiones

1. Ecclesia Catholica *mutata est* decursu saeculorum. Ergo aut non fuit aut hodie non est Ecclesia Christi.

R. *Dist.ant.* in accidentalibus *Tr.* vel *C.* in essentialibus *N.* Christus non voluit ut Ecclesia sua haberet rigidam immutabilitatem cadaveris, sed eam comparavit grano sinapis, quod *crescit* in arborem, et fermento, quod gradatim *pervadit* totum. Discipulis suis dixit: "verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et *vita* sunt" (J 6, 64); atqui omne vivum se evolvit.—Neque timendum est ne tali mutatione Ecclesia Catholica tandem alia fiat ab Ecclesia Christi; Spiritus s. enim, qui est *anima* eius, eam dirigit.

2. Ecclesia Christi aliquando *defecit,* et Ecclesia Catholica orta est ex hac "apostasia". Ita Protestantes communiter—et logice, cum religionem Christi rehabilitare vellent per "Reformationem".

R. *N.ass.* Directe enim contradicit *promissioni Christi.* Praeterea, ut Protestantes probarent assertum, deberent indicare *tempus* quo haec apostasia facta sit; atqui a) generatim hanc obiectionem ignorant; b) ii qui (v.g. Ritschl, Harnack) tale tempus indicant, refutari possunt ex ipsa historia.

Urg. A 1305 ad 1378 Papae resederunt *Avenione in Gallia* ("captivitas babylonica"). Ergo non erant Romani Pontifices.

R. *C.ant. N.cons.* Aliud est obtinere sedem, aliud residere corporaliter.[8]

3. Ecclesia Christi hodie caret perfecta *unitate.* Ergo etiam alii coetus christiani ad eam pertinere possunt. Ita Anglicani qui tenent theoriam "ramorum".

R. *N.ant.* Christus efficaciter petivit ut Ecclesia sua esset perfecte una; ergo aut est perfecte una aut cessavit.

4. Ecclesia Christi debet esse *sancta.* Atqui Ecclesia Catholica non est sancta.

R. *C.M. N.min.*[9]

5. Ecclesia Christi debet esse *catholica*—non tantum nomine, sed re. Atqui Ecclesia Catholica est quidem catholica nomine, sed non re.

R. *C.M. N.min.*[10]

6. Ecclesia Christi debet docere *totum* evangelium ("omnia quaecunque mandavi vobis"). Atqui Ecclesia Catholica baptizat eos qui mere profitentur symbolum apostolicum.

---

[6] Falcon p. 485-7; infra p. 415, 463.
[7] CE s.v. Sect and Sects; LThK s.v. Sekte.
[8] BN p. 1306-8.
[9] infra p. 465-474.
[10] infra p. 478-482.

R. *Dist.M.* explicite vel saltem implicite *C.* semper explicite *N.* (infra p. 426-7).

7. Ecclesia Catholica est *monarchia.* Atqui melior est democratia.

R. *C.M. Dist.min.* pro societate civili *Tr.* pro societate religiosa *subd.* si forma regiminis ei data est a Deo *N.* aliter *Tr.* Iamvero probavimus Christum Ecclesiam suam instituisse sub forma monarchica.

Non negamus *incommoda* saepe admixta esse regimini monarchico, sed Deus ea, providentia sua, minuere vel auferre potest.

Qua de re tria sunt notanda:

a. Monarchia Ecclesiae Catholicae non est absoluta aut arbitraria. Nam a) eius exercitium fieri debet iuxta *leges divinas;* b) regimen ipsum continet elementum aristocraticum, scil. *corpus episcoporum,* qui regunt iure divino.

b. Neque in Ecclesia Catholica desunt elementa democratica. Nam a) omnes usque ad ultimum laicum *"aequales sunt coram lege"* (CIC can. 87); b) omnibus praesto sunt eadem *media sanctificationis;* c) *"in uno spiritu* omnes nos in unum corpus baptizati sumus, et omnes in uno spiritu potati sumus" (1 Cor 12, 13); hinc ii qui praesunt, servire debent omnibus et singulis, et singuli iuvare debent in aedificatione et propagatione Ecclesiae ("actio catholica").

c. Quamvis igitur in Ecclesia Catholica sit *distinctio* inter superiores et inferiores, inter magisterium et simplices fideles, inter Ecclesiam docentem et discentem—haec distinctio non debet nimis premi. Ecclesia Catholica est aliquid *unum.* Ecclesia est corpus unum, licet constet variis membris. Ecclesia est vitis, ad quam pertinent etiam rami et fructus. Neque pastor esse potest sine grege, neque grex sine pastore. "Divisiones gratiarum sunt, *idem autem Spiritus"* (1 Cor 12, 4).

Schol. *Doctrina Lutheri*

Lutherus est parens *individualismi religiosi;* unicam regulam fidei enim statuit S. Scripturam et iudicium privatum. Unde theoretice negare debuit quamlibet ecclesiam ut societatem externam. Et quia hic est anarchismus, Paulsen recte dixit Lutherum introduxisse "anarchismum ecclesiasticum".

Neque Lutherus, initio suae defectionis, cogitavit de instruenda nova ecclesia. Mox tamen vidit necessariam esse aliquam organizationem ut religio sua nova durare posset. Hinc coepit fundare *coetus autonomos,* qui sibi darent organizationem. Tandem contulit omnem potestatem ecclesiasticam *principibus,* utpote "membris primariis".

At Lutherus numquam putavit hos coetus (sive singulos sive simul sumptos) esse Ecclesiam Christi. Hanc dixit esse "societatem sanctorum", quae utique est invisibilis.

Quaenam autem sit *relatio* inter coetus istos visibiles et hanc societatem sanctorum, Lutherus numquam clare exposuit. Neque theologi Lutherani hanc confusionem hucusque removerunt.[11]

---

[11] DieckmannE I p. 473-480; Wilmers, Lehrb. II p. 553-4; McGiffert, Prot. Thought before Kant p. 41-6.

APOLOGETICAE

PARS OCTAVA

Regula Fidei

Ex voluntate Christi, quicunque potest, fieri debet membrum Ecclesiae Catholicae atque credere "omnia quaecunque mandavi vobis". Quaeritur ergo quomodo vel unde homines discere possint ea *omnia* quae Christus mandavit.

Protestantes tenent id discendum esse ex S. Scriptura, nos ex praedicatione magisterii semper vivi Ecclesiae Catholicae.

Thesis 32

Neque S. Scriptura neque iudicium privatum, sed praedicatio magisterii semper vivi Ecclesiae Catholicae est regula fidei cum proxima tum ultima.

Cf. Bainvel, Mag. p. 22-33; DA IV col. 801-4; DieckmannE II p. 6-27; Dorsch III p. 266-279; FelderA II p. 193-206; Franzelin, Trad. p. 215-226; de Groot p. 352-389; van Laak, Rep. p. 417-426; Mazzella, Virt. p. 480-7; van Noort, Font. p. 72-77; Palmieri, Rom. Pont. p. 163-182, 208-221; de San p. 9-52; Scheeben, in Kirchenlexikon, s.v. Glaubensregel; Schultes p. 605-613; Suarez, De Fide, Disp. 4 s. 1; Disp. 5 s. 2-3; Wilmers, Lehrb. I p. 188-236.

Thesis haec est non tantum *corollarium* ex thesibus praecedentibus et *conclusio* huius Apologeticae, sed etiam *fundamentalis* cum pro fide et vita catholica tum pro theologia.[1]

1. *S. Scriptura* est collectio librorum qui ut "sacri et canonici" recensentur a Concilio Tridentino (D 784).

Duo notanda:

a. Hos libros esse *verbum Dei* vel illud continere, Protestantes orthodoxi nobiscum tenent. Id tamen non necessario supponitur in thesi.

b. Protestantes non recipiunt ut sacros *omnes* libros canonis Tridentini. Id tamen non afficit nostrum argumentum; nam nos recipimus omnes quos recipiunt Protestantes, neque Protestantes recipiunt ut sacros libros qui sint extra canonem Tridentinum.

2. *Iudicium privatum* hic sumitur sensu Protestantium, scil. ius quo unusquisque gaudeat interpretandi Scripturam iuxta suam intellegentiam.

3. *Praedicatio magisterii semper vivi Ecclesiae Catholicae*

a. Quid sit *Ecclesia Catholica,* cf. supra p. 408.

b. *Magisterium* in concreto sunt: a) Romanus Pontifex pro Ecclesia universa, b) episcopi monarchici pro singulis dioecesibus. Hi soli enim gaudent munere ordinario docendi.[2]

c. Magisterium *semper vivum* est illud quod exsistit quovis tempore quo oritur obligatio ingrediendi Ecclesiam et profitendi

---

[1] Initia eius evolutionis historicae habes apud van den Eynde.

[2] Theologi qua tales sunt simplices fideles, sed ad manus fere sunt magisterio ad consulendum, inquirendum, eloquendum.

fidem. Qua *vivum* opponitur mortuo (v.g. liber); qua *semper* vivum opponitur praeterito (v.g. Patres) vel futuro (v.g. futurum Concilium).

d. *Praedicatio* sumi potest active vel obiective. Active est exercitium muneris docendi in Ecclesia; obiective est id quod magisterium docet.

4. *Regula fidei*

a. Vox *'fides'* hic non sumitur obiective, sed *subiective* seu ut assensus mentis. Loquimur autem de fide *"divina et catholica"* (D 1792). Qua divina, est assensus mentis praestitus ob auctoritatem Dei revelantis; qua catholica, elicienda est ab iis qui volunt esse membra Ecclesiae Catholicae.

b. *Regula* fidei est id (criterium, norma) quo certo cognoscere possumus quid nobis qua Catholicis credendum sit fide divina, seu id quo certo cognoscere possumus a) haec esse divinitus revelata, b) nos obligari ad ea credenda, c) qua membra Ecclesiae Catholicae.

c. Regula fidei *proxima* est ea quae sufficit cuilibet, ita ut non sit opus alia regula; potest etiam dici primaria seu "omnium intellegentiae accommodata" (D 1790).—Regula fidei *ultima* excludit appellationem ad regulam aliam vel altiorem quae ei contradicat.

5. *Est,* i.e. de iure (ex voluntate Christi) et de facto (historice).

Nota. Non negamus a) posse Deum ducere aliquem ad salutem independenter a praedicatione magisterii; Deus enim liber est quoad collationem gratiae, etiam post Ecclesiam institutam. Neque negamus b) posse aliquem cognoscere quasdam saltem veritates ut revelatas et credendas absque magisterio; sic de facto procedimus in Apologetica.

Thesis est critice et historice *certa.* Dogmatice est *de fide definita* (D 1792; cf. CIC can. 1323, 1; 1327, 1). Inter Catholicos non potest esse nisi lis de voce.

ADVERSARII

In Ecclesia primitiva, Christiani judaizantes exaggeraverunt *V.T.* tamquam regulam fidei; Marcion idem fecit quoad *N.T.;* Gnostici statuerunt *S. Scripturam* simul cum suis traditionibus esotericis; Montanistae appellaverunt ad *revelationes* suorum prophetarum.

Sed id hodie solius historici interest.[3]

Thesis primarie ponitur contra *Protestantes.* Protestantismi enim duplex est principium formale: *sufficientia S. Scripturae* et

---

[3]van den Eynde p. x.

iudicium privatum. Explicemus primo utrumque principium, dein evolutionem Protestantismi sub eius applicatione.

A. *Explicatur duplex principium*

1. *Sufficientia S. Scripturae* duo dicit: a) S. Scripturam continere *omnia* credenda; b) eam esse *regulam fidei*. Hoc dogma Protestantes statuerunt in variis suis "Confessionibus" et catechismis. Citabimus ex Ph. Schaff, Creeds of Christendom (3 vols.).[4]

Formula Concordiae (1576): "Credimus, confitemur et docemus, unicam regulam et normam secundum quam omnia dogmata omnesque doctores aestimari et iudicari oporteat, nullam omnino aliam esse quam prophetica et apostolica scripta cum Veteris tum Novi Testamenti, sicut scriptum est (Ps 119, 105): 'Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.' Et Divus Paulus inquit (Gal 1, 8): 'Etiamsi Angelus de caelo aliud praedicet Evangelium, anathema sit'" (Schaff, l.c. III p. 93).

Confessio Fidei Westmonasteriensis (1647): "Supremus iudex a quo omnes de religione controversiae sunt determinandae, omnia Conciliorum decreta, opiniones scriptorum veterum, doctrina denique hominum, et privati quicunque Spiritus sunt examinandi, cuiusque sententiae tenemur acquiescere—nullus alius esse potest praeter Spiritum s. in Scriptura pronuntiantem" (Schaff III p. 605).

Catechismus Westmonasteriensis minor (1647): "Quaes. Quam nobis regulam dedit Deus qua nos ad eius glorificationem ac fruitionem dirigamur? Resp. Verbum Dei (quod Scripturis Veteris ac Novi instrumenti comprehenditur) est unica regula qua nos ad eius glorificationem ac fruitionem dirigamur" (Schaff III p. 676).

The New Hampshire Baptist Confession (1833): "We believe that the Holy Bible . . . is and shall be to the end of the world the true center of Christian union and the supreme standard by which all human conduct, creeds and opinions should be tried" (Schaff III p. 742).

Nota. Protestantes mox etiam introduxerunt 3 *exaggerationes*: a) Quoad ipsam S. Scripturam: Deus positive inspiravit singulas *voces*, et omnes libri S. Scripturae prorsus *incorrupti* ad nos pervenerunt. b) Quoad eius interpretationem: *Contextus*, sive remotus sive proximus, neglegi

---

[4] Cf. etiam Hastings, Encycl. s.v. Confessions; Lyon, A Study of Christian Sects; Algermissen, Konfessionskunde.

potest. c) Quoad eius applicationem: *Tota* vita humana (non tantum religiosa) dirigenda est secundum S. Scripturam.[5]

2. *Iudicium privatum*: Credendum est id omne et solum quod *singuli* eruunt e S. Scriptura, et quidem eo sensu quo illud intellegunt.

Quod principium tamen tripliciter sumebatur:

a. *Intellegentia ordinaria*: Unusquisque credat ea quae ipse, pia lectione Scripturae, discere potest; quoad cetera ne sit nimis curiosus aut sollicitus.

b. *Inspiratio privata* ('spiritus privatus', 'testimonium Spiritus s.'): Spiritus s. ita illuminat singulos legentes Scripturam ut eius genuinum sensum necessario eruant.[6]

c. *Examen criticum*: Textus S. Scripturae critice et historice examinandi sunt, atque id solum credendum est quod post tale examen manet certum.

B. *Evolutio Protestantismi*

1. Initio quidem Protestantes (v.g. Lutherus ipse) proclamabant Scripturam esse tam *perspicuam* ut quivis homo, dummodo accedat ad eius lectionem cum bona voluntate, non posset non eruere verum eius sensum. Id quidem logice dicere debuerunt. Paucis enim prodesset fons vel regula fidei quae esset nimis obscura.

2. Mox tamen apparuit Scripturam non esse tam perspicuam. Neque enim soli Catholici urgebant *locos difficiles,* sed ipsi haeresiarchi (Lutherus, Zwingli, Calvinus) vehementer inter se dissentiebant de vero sensu multorum locorum.[7]

Hinc mox post Reformationem invaluit *confusio* vere babylonica, etiam circa res quae sunt vel putabantur maxime fundamentales.[8] Sic ortae sunt 16 opiniones diversae de peccato originali, 20 de iustificatione, 200 de verbis Christi "Hoc est corpus meum". Ex alia parte, nulla erat absurditas quae non deduceretur et probaretur

---

[5]Moffatt p. 147-8; S. J. Case, Social Origins etc. p. 5-8; A. S. Farrar, Hist. p. 212-3; J. S. Flynn, The Influence of Puritanism p. 17.

[6]Lumen hoc internum tripliciter describitur. Dicitur a) quasi nova facultas seu sensus divinitus datus quo homo cognoscat res divinas; b) influxus divinus in legentes; c) virtus Spiritus s. quae ita insit verbis Scripturae (per unionem quasi hypostaticam) ut necessario illuminet legentes. Cf. Cadoux p. 114, 149, 207; Moffatt p. 145-7; Warfield, Revelation p. 59; A. S. Farrar, Hist. p. 120; Algermissen p. 605-7.

[7]F. W. Farrar p. 330-1.

[8]F. W. Farrar p. 360-6.

ex Scriptura, ita ut caneret Samuel Wehrenfels (mortuus 1740), ipse Protestanticus:

> "Hic liber est in quo quaerit sua dogmata quisque;
> Invenit et pariter dogmata quisque sua".

Atque W. Shakespeare: "Mark you this, Bassanio: the devil can cite Scripture for his purpose. . . . What damned error, but some sober brow will bless it and approve it with a text" (Merchant of Venice).

3. Varii *conatus solvendi difficultatem*

Ut difficultati tam obviae et scandalosae aliquomodo obviarent, Protestantes varias vias inierunt:

a. *Analogia fidei biblicae*: Aliqui dixerunt dari quidem locos obscuros in Scriptura, sed eos elucidari per contextum vel per alios locos claros.

b. Alii restrinxerunt perspicuitatem ad ea qua sunt *necessaria ad salutem.*.

Confessio Fidei Westmonasteriensis: "Quae in Scriptura continentur, non sunt omnia aeque aut in se perspicua aut omnibus hominibus evidentia. Ea tamen omnia quae ad salutem necessaria sunt cognitu, creditu, observatu, adeo perspicua (alicubi saltem in Scriptura) proponuntur et explicantur ut eorum non docti solum, verum indocti etiam, ordinariorum usu mediorum, sufficienter assequi possint intellegentiam" (Schaff III p. 604).

Ex 39 articulis Ecclesiae Anglicanae (1562). Art. 6 "Scriptura sacra continet omnia quae sunt ad salutem necessaria, ita ut quidquid in ea nec legitur neque inde probari potest, non sit a quoquam exigendum ut tamquam articulus fidei credatur aut ad necessitatem salutis requiri putetur" (Schaff III p. 489).[9]

W. F. Farrar (p. 329): "The Scripture is perfectly perspicuous in those few and simple truths which suffice for salvation. . . . We can only say with Chrysostom πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα. Scripture reveals distinctly all necessary truth".

Similem sensum habet hodierna distinctio inter fundamentalia et non-fundamentalia.[10]

---

[9]A. C. Headlam ponit hoc ut dogma fundamentale Ecclesiae Anglicanae (The Church of England p. 16, 48-54).

[10]Concordia Cycl. s.vv. Fundamentalism, Liberalism.

c. Lutherus ipse (ante 1545), Anabaptistae, Quakeriani etc. malunt confugere ad *inspirationem privatam* ("inner light"). Sic dicit The Confession of the Society of Friends, commonly called Quakers (1675): "As by the inward testimony of the Spirit we do alone know them (i.e. the Scriptures), so they testify that the Spirit is that guide by which the Saints are led into all truth" (Schaff III p. 791).

Schleiermacher, Ritschl, Karl Barth etc. similiter extollunt "sensum religiosum" et "experientiam internam"; Buchmanitae fidunt ductui directo Spiritus s.

d. Lutherus (post 1545), Melanchthon etc. appellaverunt ad aliquod *magisterium externum*—vel vivum (v.g. auctoritatis civilis, communitatis, episcoporum) vel mortuum (v.g. Book of Common Prayer, Westminster Confession) vel iunxerunt ambo. Hinc Protestantes coeperunt compilare "Confessiones" vel "libros symbolicos", quos tamquam normas credendi et praedicandi suis praescripserunt.[11]

e. Alii fidunt *"prophetis"*, qui vel statuuntur ab ecclesia (ita apud Irvingianos) vel sunt viri magni ingenii et auctoritatis personalis.[12]

f. Inter theologos hodiernos invalescit *examen criticum* Scripturae. Sed post tale examen non multa remanent credenda.

4. Quanta sit *confusio* in hodiernis coetibus religiosis qui fidunt soli Scripturae, videre est apud S. A. Cook, The "Truth" of the Bible (1938) vel apud V. Ferm, Contemporary Am. Theol. (2 vols. 1932, 1933).

Thesim probabimus per 3 partes:

1. S. Scriptura non est regula fidei, et quidem a) non sola, b) neque cum aliis mediis quae Protestantes proponunt.
2. Iudicium privatum non est regula fidei.
3. Praedicatio magisterii est regula fidei.

Prima pars probatur

A. *Non Scriptura sola*

1. Si forte excipias "The British and Foreign Bible Society", quae simpliciter distribuit S. Scripturam ubique terrarum, Protes-

---

[11] Hodie haec vocatur periodus scholastica Protestantismi.
[12] F. W. Farrar p. 353-4.

tantes *practice reiciunt* hanc regulam fidei. Omnes enim sectae habent suas "confessiones", "symbola", catechismos etc., quibus S. Scripturam interpretari volunt membris suis.

2. Scripturam esse regulam fidei, *gratis asseritur* a Protestantibus. Patet si recte explicantur textus Scripturae quos adducunt:

Dices 1. S. Scriptura se clare proponit ut regulam fidei: a) "Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis" (Ps 119, 105). b) "Et ligabis ea (scil. verba legis) quasi signum in manu tua . . . scribesque ea in limine et ostiis domus tuae" (Deut 6, 8-9).

R. ad a) *Dist.* sensu aiente *C.* sensu negante *N.*—ad b) Uti patet ex contextu, agitur de observatione decalogi eiusque praecepti supremi, scil. amoris Dei.

Urg. In Act 17, 11 Judaei Beroeae laudantur quia "susceperunt verbum cum omni aviditate, cotidie scrutantes Scripturas si haec ita se haberent". Scil. Judaei illi laudantur quia praedicationem Pauli examinabant secundum V. T. ut normam fidei.

R. a) Quid de N. T.? b) *N.supp.* Agitur de praeambulis fidei. Scil. Judaei illi scrutati sunt V. T. ut viderent num vaticinia messianica impleta essent in Iesu Nazareno—sicut Paulus asseruerat.

Dices 2. Christus ipse nobis proposuit Scripturam ut regulam fidei. Nam iussit: "Scrutamini Scripturam" (J 5, 39).

R. *N.ass.* Secundum contextum, Christus hic tantum loquitur a) de V. T. (quod solum tunc exstabat), b) de una veritate apologetica (scil. de prophetiis messianicis), c) ad suos inimicos. Quo iure Protestantes hoc dictum extendunt a) ad N. T., b) ad totam doctrinam Christi, c) ad nos?[13]

3. Regula fidei debet esse clara et omnium intellegentiae accommodata. Atqui Scriptura est *obscura*. Ergo non potest esse regula fidei.

Non dicimus totam Scripturam esse obscuram. Clare proponuntur primum et secundum mandatum, messianitas et divinitas Christi, institutio Ecclesiae et primatus, multa facta historica V.T. et N.T. At dicimus Scripturam esse obscuram a) quoad plurima, b) etiam quoad res fidei et morum; immo c) totos libros esse obscuros (v.g. Apocalypsis); d) Scripturam hodie esse in multis obscuriorem quam fuerit primis lectoribus. Probatur:

a. Ipsi *Apostoli* egebant interprete V.T. (cf. L 24, 45). Et S. Petrus dicit de epistolis Paulinis: "in quibus sunt quaedam difficilia

---

[13]Dubitatur quo sensu sumendum sit 'scrutamini'. Licet enim Patres graeci omnes, excepto S. Cyrillo Alex., illud sumant ut imperativum, videtur esse praemissa categorica argumenti quo Christus voluit pharisaeis probare suam messianitatem ex V. T. Imperativus etiam inutilis fuisset, cum pharisaei assidue legerent V. T. Cf. Prat, J.-Chr. I p. 412; Lagrange, J. p. 154; Knabenbauer, J p. 218.

intellectu" (2 Petr 3, 16). Etiam *S. Augustinus,* magnum sane ingenium, fatetur Scripturam sibi esse obscuram.

b. Semper erant et adhuc sunt plurimae *controversiae* de vero sensu Scripturae, etiam quoad res maxime fundamentales (v.g. divinitatem Christi).

c. *Protestantes* non tantum inter se acerrime pugnabant et pugnant de vero sensu Scripturae, sed etiam interpretationes suas continenter mutabant et mutant. Recte igitur eis obicit F. W. Farrar: "They go on speaking of the 'perspicuity and self-interpreting faculty' of Scripture, though the strife of interpretations cries to heaven even in passages of the utmost importance".

d. Tandem pro lectoribus hodiernis etiam haec obsunt: a) Pauci sufficienter callent *linguas* (hebraicam, aramaicam, graecam) in quibus libri Scripturae originarie compositi sunt; versiones omnes autem imperfectae sunt. b) Antequam singuli libri plene intellegi possunt, innumerae sunt solvendae *quaestiones* textuales, historicae etc. Cui difficultati occurrere volunt hodiernae "Introductiones".

Dices 1. S. Scriptura est "verbum Dei" atque dicitur "lux", "lucerna" etc. (v.g. Ps 18, 9; 119, 105; 119, 130; Prov 6, 23; 2 Petr 1, 19). Ergo haud recte dicitur obscura.

R. *C.M. Dist.min.* nequit dici obscura in se *Tr.* quoad nos *subd.* quoad omnia *C.* quoad multa *N.* Sicut Deus ipse est lux (1 J 1, 5) et tamen plenus mysterii (1 Tim 6, 16), ita etiam verbum Dei.

Urg. Saltem evangelia synoptica non possunt dici obscura.[14]

R. *Dist.* sunt faciliora et clariora quam alii libri Scripturae *Tr.* sunt clara quoad omnia *N.* Patet ex controversiis innumeris commentatorum.

Dices 2. S. Chrysostomus: "Omnia clara sunt et recta quae sunt in divinis Scripturis; manifesta sunt omnia quae necessaria sunt" (De Lazaro, Hom. 3, 3); "per se quisque e sola lectione discere potest" (In 2 Thess).

R. *Dist.* S. Chrysostomus loquitur de universa S. Scriptura *N.* de rebus particularibus *C.*

4. Regula fidei *se legitimare* debet ut talem. Atqui Scriptura id non potest. Cf. infra p. 662-3.

5. *Christus non intendit* N.T. ut regulam fidei. Nam regula fidei est coetui religioso aeque essentialis ac fides ipsa. Atqui a) primi Christiani caruerunt N.T., sive in toto sive per partes; b) libri plurimi N.T. sunt "occasionales" neque intendebantur ut regula fidei.

6. Si Scriptura esset regula fidei, esset *subiecta iudicio privato.* Atqui id absurdum est, ut statim probabitur.

---

[14] Ruffini p. 168.

B. *Non Scriptura cum aliis mediis*

1. In genere: a) Singula media gratis proponuntur a Protestantibus et aliena sunt a dogmate eorum fundamentali de sufficientia Scripturae. b) Si est conflictus inter haec media et iudicium privatum, quis erit iudex?

2. In specie:

a. *"Inspirationem privatam"* esse puram fictionem, patet ex eo quod interpretationes Protestantium sunt mutuo contradictoriae.

Dices: Haec inspiratio clare promittitur in Scriptura. Nam a) "Ecce ego vobiscum sum" (Mt 28, 20); b) "ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei" (Rom 8, 16); c) "erat lux vera quae illuminat omnem hominem" (J 1, 9).

R. 1. (apol.) Nullus ex his textibus refert ad lectionem Scripturae.

R. 2. (dogm.) ad a) Solis Apostolis directe promittitur assistentia divina in praedicando evangelio.—ad b) Paulus tantum loquitur de veritate generali "quod sumus filii Dei". c) Sensus evidenter est: Christus illuminat omnes per revelationem suam olim datam.[15]

b. Quoad *magisterium humanum*: a) Etiam ii Protestantes qui fisi sunt hoc medio, pervenerunt ad doctrinas variabiles et contradictorias. b) Tale magisterium ineptum est quod dirimat controversias; iudex fallibilis revelationis infallibilis enim quid valet?

c. Quoad *confessiones, symbola* etc.: Num hae sunt infallibiles? Et quis interpretabitur eas?[16]

d. Quoad *inquisitionem scientificam*: a) Saltem rudes impares sunt talis examinis; carent enim otio, ingenio, mediis. b) Eruditi qui hac methodo usi sunt, magis atque magis lapsi sunt in rationalismum, qui est negatio omnis fidei divinae.

Secunda pars probatur

Christus voluit ut Ecclesia sua esset *perfecte una*, ac primarie in fide divina, unde fluit tota eius vita.

Atqui iudicium privatum reddit hanc unitatem impossibilem. Id quod patet a priori, ac multo magis a posteriori, scil. ex disunione Protestantium.

Ergo iudicium privatum non potest esse regula fidei.

---

[15] D 802; Cornely, Rom p. 418-9; Pesch VIII n. 238; Prat, Theol. II p. 72. —Non negamus Spiritum s. illuminare eos qui pie ac devote legunt S. Scripturam; id certum est ex vitis Sanctorum. Sed Sancti ipsi suas illuminationes subiecerunt magisterio Ecclesiae tamquam iudici supremo, neque alii obligantur eas credere.

[16] Lege quae F. W. Farrar habet de eis p. 359-360.

Dices 1. Apostoli inculcaverunt iudicium privatum: a) "Ut prudentibus loquor; *vos ipsi iudicate* quod dico" (1 Cor 10, 15); b) "*Omnia probate;* quod bonum est, tenete" (1 Thess 5, 21); c) "Carissimi, nolite omni spiritui credere; sed *probate spiritus* si ex Deo sunt" (1 J 4, 1).

R. *N.ass.* In genere, si Apostoli hoc voluissent dicere, sibi ipsi contradixissent; nam in aliis locis urgent suum magisterium authenticum. Quoad singula: ad a) Paulus ibi probat suam doctrinam ex ratione theologica; unde monet Corinthios ut bene attendant ad suum argumentum.—ad b) Paulus ibi non loquitur ad simplices fideles, sed (uti patet ex v. 14) ad praepositos,, quorum est iudicare etiam de 'prophetis'.—ad c) Ioannes monet fideles ne credant cuilibet—quae monitio etiam hodie utilis est.[17]

Urg. Christus ipse inculcavit iudicium privatum in L 12, 57.

R. *N.* Cf. supra p. 206.

Dices 2. Etiam *Catholici* sequuntur iudicium privatum. Nam seligunt magisterium Ecclesiae et reiciunt alias religiones.[18]

R. *Dist.* ante baptismum *Tr.* vel *C.* post baptismum *N.* In baptismo enim petunt fidem ab Ecclesia (cf. supra p. 2). Solus ille Catholicus sequeretur iudicium privatum Protestantium (et sibi contradiceret) qui reiceret decisiones magisterii nisi sibi placuerint.

Tertia pars probatur

Arg. 1 (de iure)

Regula fidei est id quo omnes, quavis aetate, certo cognoscere possunt quid credendum sit fide divina et catholica.

Atqui, *ex institutione Christi,* talis est praedicatio magisterii semper vivi Ecclesiae Catholicae.

Ergo haec praedicatio est regula fidei.

Prob.min. Patet ex Mt 28, 18-20. Porro a) non requiritur alia norma qua quis cognoscat (idque clare ac facile) quid sibi credendum sit; ergo haec praedicatio est regula fidei *proxima.* b) Magisterii est decidere definitive quid quo sensu credendum sit fide divina et catholica ("qui non crediderit, condemnabitur", et "si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus"). Ergo praedicatio magisterii est regula fidei *ultima.*

Confirmatur: *Ex doctrina Patrum*

S. Irenaeus: "Iis qui in Ecclesia sunt presbyteris oboedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis . . . qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt" (Adv. haer. 26, 2; RJ p. 94).

Tertullianus: "Non ad Scripturas provocandum est; nec in his

[17]Humphrey p. 149-151.
[18]Ita Cadoux p. 125-8; Dodd p. 14 etc.

constituendum certamen in quibus aut nulla aut incerta victoria est aut par incertae. Nam etsi non evaderet collatio Scripturarum ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa? Cuius sint Scripturae? A quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina qua fiunt Christiani"? (De praescr. 19; RJ p. 113).

Origenes: "Cum multi sint qui se putent sentire quae sunt Christi, et nonnulli diversa prioribus sentiant—servetur praedicatio ecclesiastica ab Apostolis tradita et usque ad praesens in Ecclesia permanens. Illa sola credenda est veritas quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica traditione discordat" (De Princ. I 2; RJ p. 163).

Arg. 2 (de facto)

Magisterium Ecclesiae Catholicae sibi semper conscium fuit huius muneris, atque illud exercuit per omnia saecula. Vix est qui id neget. Nimis evidenter patet ex definitionibus, decretis, decisionibus, damnationibus etc.[19]

Corollaria

1. Ergo regula fidei, ex voluntate Christi, est *externa* (non interna) singulis hominibus; est quidem divino-humana, sed *immediate humana* (non immediate divina).

2. Ergo praedicatio magisterii est regula fidei *per se unica et necessaria*. Hanc solam enim Christus instituit eique omnes subesse voluit.

Dicitur autem 'per se'. Nam non negamus posse aliquem cognoscere quaedam ut revelata et credenda absque praedicatione magisterii. Id tamen est per accidens, scil. quoad voluntatem Christi qua fundatoris Ecclesiae Catholicae.

3. Ergo debemus a) *permittere* ut magisterium nunc vivens nos doceat fidem divinam, b) ei *profiteri* fidem nostram certis occasionibus (v.g. ante baptismum vel ordines), c) admittere idem magisterium ut *iudicem supremum* in rebus fidei divinae. Sic enim fit ut nostra fides sit catholica et ut Catholici, licet sparsi per orbem, "omnes unum sint" (J 17, 11).

---

[19]Cf. Denzinger per totum librum; CIC can. 1323, 1327-8; infra p. 550-2.

4. Ergo magisterium semper vivum est *interpres supremus* fontium revelationis.[20]

5. Ergo nulli Catholico reicere licet aliquam doctrinam magisterii eo quod sibi videatur extra eius ambitum. Soli magisterio enim competit iudicare de ambitu seu *obiecto materiali* fidei divinae.

6. Ergo praedicatio eadem est pro *theologo catholico* norma positiva et interna; est enim regula fidei pro omnibus Catholicis, non tantum pro rudibus.

Hinc a) ubi agitur de rebus fidei divinae, prima quaestio non est: 'Quid est revelatum', aut 'quid dicit Scriptura', aut etiam 'quid dicunt Patres', sed 'quid hodie docet magisterium Ecclesiae Catholicae'? b) Theologi primo loco ponunt 'notam' (dogmaticam) thesis, qua statuitur quid magisterium nunc vivens doceat de thesi.

Obiectiones

1. Si thesis esset vera, *Scriptura* esset superflua. Atqui consequens admitti nequit.

R. *Dist.M.* ut regula proxima et ultima fidei *Tr.* ut regula remota *N.* Multiplex adhuc est utilitas Scripturae: a) Per eam facilius et humanius conservatur maxima pars revelationis; b) ipsa revelatio melius intellegitur ex contextu Scripturae; c) ex ea patet progressus revelationis etc.[21]

2. Si thesis esset vera, a) auctoritas magisterii esset motivum fidei divinae, b) nihil credi posset nisi proponeretur a magisterio, c) nemo salvari posset nisi doceretur a magisterio. Atqui a) motivum fidei divinae est sola auctoritas Dei, b) etiam revelatio privata credi potest, et eruditus credere potest ac debet ea quae privatim cognoscit esse publice revelata, c) salvari possunt etiam ii qui pertinent tantum ad "animam" Ecclesiae.

R. ad a) *N.M.* Magisterium non est motivum fidei divinae, sed criterium quo cognoscimus quid nobis credendum sit fide divina.—ad b) *Dist.M.* fide divina et catholica *C.* fide divina tantum *N.*—ad c) *Dist.M.* secundum legem ordinariam Christi *C.* extraordinarie *N.*[22]

3. Si thesis esset vera, magisterium hodiernum contradicere posset magisterio praeterito, ita ut nos deberemus credere id quod maiores nostri anathematizaverunt—vel vice versa.

R. *N.* Magisterium enim est infallibile cum proponit aliquid ut credendum fide divina et catholica.—Fieri autem potest ut res de quibus olim libere disputabatur, hodie sint credendae; v.g. Immaculata Conceptio.

4. Nostra regula fidei est *practice inutilis.* Nam a) plerique non accipiunt fidem a magisterio, sed a parentibus, parochis, monialibus etc.; b) saltem rudium cognitio infallibilitatis magisterii vix umquam erit certa.

R. *N.ass.* ad a) Parentes etc. non quidem directe pertinent ad magisterium, sed indirecte vel reductive; nam docent liberos fidem divinam et

---

[20] Qui sint fontes revelationis (publicae), dicetur in altero tractatu; sed ex hac thesi sequitur eorum usum subesse iudicio et ductui magisterii semper vivi.

[21] DieckmannE II p. 31-2; Dorsch II p. 624; infra p. 1032.

[22] Cornely, Rom p. 560; Pesch VIII n. 251-7.

catholicam sub ductu et vigilantia magisterii.—ad b) Ad fidem divinam non requiritur certitudo formalis de praeambulis fidei; sufficit certitudo respectiva.[23]

5. *Non requiritur* regula fidei. Sufficit ut Catholicus credat ea quae a magisterio definita sunt, et theologo sufficit colere historiam dogmatum.

R. *N*. Constat ex D 1683.[24]

6. Si thesis esset vera, magisterium esset etiam *regula morum*. Atqui regula morum est conscientia.

R. *Dist.M*. regula obiectiva et externa *C*. subiectiva et interna *N*.

Urg. In rebus religiosis, quivis homo sequi debet suam conscientiam, non auctoritatem externam.

R. *Dist*. si Deus nihil aliud positive ordinavit *Tr*. si instituit magisterium ut regulam fidei *subd*. recta conscientia non iam est regula interna morum *N*. fit recta per directionem magisterii externi *C*.

Schol. 1. Erraverunt qui putarent *consensum fidelium* (antecedentem vel subsequentem) requiri ut praedicatio magisterii habeat suam vim. Atque male dixit G. Tyrrell: "The Pope is infallible just when and in so far as he does give voice to the consentient Church whose mouthpiece he is"; et "The 'organ' of the Holy Ghost is the whole Christian people, and to 'define' a doctrine is but to formulate and register the slow growth of the general mind" (Letters, ed. Petre p. 67, 70).[25]

Schol. 2. *Modus docendi*

a. Munus docendi per se *variis modis* exerceri potest: a) ore vel scripto, b) solemniter vel in exercitio ordinario muneris, c) per se vel per alios. Ergo etiam magisterium vivum Ecclesiae Catholicae omnibus his modis docere potest—nisi Christus ipse mandavit modum particularem. Atqui Christus simpliciter dixit "Docete".

b. *Romanus Pontifex* munus docendi exercet non tantum per se, sed etiam per congregationes romanas, per instituta papalia, missionarios, regulares exemptos.—Similiter *episcopi* docent per se, sed etiam per parochos.[26]

Schol. 3. *Fides explicita et implicita*

Licet collegium Apostolorum habuerit totam doctrinam Christi, non erat necesse ut totam omnibus proponeret explicite ac distincte credendam. Sufficiebat postulare fidem explicitam quoad aliqua (v.g. symbolum apostolicum), implicitam quoad cetera ("credo quidquid Christus docuit").

---

[23]Dorsch II p. 322-5; Ottiger II p. 47.

[24]Vacant II p. 117-123; Muncunill I p. 22; de Groot p. 808.

[25]Bainvel, Mag. p. 116; C. Butler II p. 139-140; Murillo p. 211; Granderath, Gesch. III p. 564.

[26]Russell, in EcclR 1938 II p. 97-115.

Eadem distinctio valet hodie. Ob varias causas tamen, magisterium proposuit, in decursu saeculorum, multa explicite credenda quae antea non erant credenda nisi implicite.[27]

Schol. 4. *Res conexae cum fide* (obiectiva)

In thesi tantum egimus de iis rebus quae sunt credendae fide divina. Sed munus magisterii se etiam extendit ad res cum his *conexas*. Quae conexio potest esse magis vel minus intima ac necessaria, et potest esse externa vel interna. Externe conectuntur facta quaedam historica ("facta dogmatica"), interne principia rationis et conclusiones. Magisterium igitur etiam has res, licet non revelatas, nobis proponere potest, immo etiam *definire* (D 1820).

Nota. *Definire factum dogmaticum* duo involvit: a) magisterium ipsum est formaliter certum (ex fontibus naturalibus) de facto ipso et de eius nexu cum rebus fidei; b) Catholici tale factum accipere debent ut certum ob auctoritatem magisterii.[28]

Schol. 5. *Assensus praestandus magisterio*

1. Tria praenotanda:

a. Is qui est magister, non semper docet (v.g. ubi cum amicis loquitur vel eis scribit epistolam).—Neque magister authenticus semper intendit docere; neque cum docet, semper docet auctoritate sibi propria (v.g. si episcopus doceat geographiam vel astronomiam).—Neque magister infallibilis semper docet; neque cum docet, semper docere intendit summa sua auctoritate.

Ergo neque assensus praestandus magistro semper idem est.

b. Aliud est assensus mentis, aliud oboedientia. Ille fundatur in motivo assentiendi, haec in iurisdictione.[29]

c. Generatim loquendo, assensus potest esse mere externus (v.g. non aperte contradicere) vel internus (assensus positivus mentis). Et internus potest esse firmus (certitudo) vel opinans (opinio).

2. His positis, dicimus:

a. *Quandocunque* magisterium docet *res fidei* (vel res eis *adnexas*), docet authentice, eique praestandus est non tantum assensus externus, sed per se etiam *internus*. Quodsi magisterium docet *summa* sua auctoritate (hinc infallibiliter), ei praestandus est assensus internus et *firmus*.

---

[27] infra p. 513-4.

[28] Nihil tamen obstat quin Catholici ipsi certi fiant ex fontibus naturalibus (sicut magisterium ipsum).

[29] supra p. 29.

b. Hinc theologi varios assensus distinguunt: a) ***Fides divina* et *catholica*** (sensu subiectivo) est assensus mentis praestitus ob auctoritatem Dei revelantis in rem quae a magisterio qua infallibili proponitur ut revelata et credenda; b) ***fides ecclesiastica*** est assensus mentis praestitus propter auctoritatem magisterii qua infallibilis in rem cum revelatione conexam; c) ***assensus religiosus*** (sensu specifico) est assensus mentis praestitus propter auctoritatem magisterii docentis authentice tantum. Hic assensus igitur praestandus est cum magisterium docet rem revelatam vel rem cum revelatione conexam, sed non summa sua auctoritate.[30]

Schol. 6. *Auxilia magisterii*

Ecclesiam suam Deus primarie quidem per Rom. Pontifices et episcopos illuminat, gubernat, conservat—at etiam aliis auxiliis adiuvare potest. Primo saeculo dedit abundantiam ***charismatum***; saeculis subsequentibus suscitavit *Patres* eosque illuminavit in auxilium Ecclesiae; saeculis demum posterioribus inspiravit *Theologos* spiritu et mente catholicos.

Atque ita Deus omnia suaviter disponit: dirigendo, illuminando, conservando Ecclesiam per causas proportionatas, ut "omnia quasi sponte propria perveniant in id ad quod divinitus ordinantur" (S. Thomas I qu. 103 a. 8).[31]

---

[30]DieckmannE II p. 123-6; Muncunill II p. 434-443; Schultes p. 614-623; Bilz p. 29-30; Hervé I p. 483-7; FelderA II p. 270; Butler II p. 227-9; Clergy Review, April-Sept. 1935.

[31]Schultes p. 668-9.

APOLOGETICAE

PARS NONA

Alia Argumenta Apologetica

Uti dictum est supra p. 17-8, probatio hodie communis inter theologos non est unica. Praesto sunt multa alia argumenta apologetica: a) Conc. Vat. (D 1794) nobis proponit Ecclesiam Catholicam ipsam tamquam "magnum quoddam et perpetuum motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile". Quod motivum est *miraculum morale* vel potius cumulus miraculorum moralium. b) Alia probatio desumi potest ex *miraculis physicis,* quae numquam deerant in Ecclesia Catholica. c) Non videtur specialiter agendum de *miraculis intellectualibus.*

Unde duo erunt articuli:

1. Miracula physica
2. Miracula moralia.

Duo notanda:

a. *Argumentum generale* pro his thesibus sic poni potest: Ecclesia Catholica est vera si Deus eam positive approbat, seu si Deus testatur eius veritatem (testimonio virtuali); Deus enim non potest esse testis (sive formalis sive virtualis) erroris. Atqui verum est antecedens. Nam Deus (virtualiter) testatur veritatem Ecclesiae Catholicae si patrat multa miracula in eius favorem; atqui Deus hucusque multa miracula (physica, intellectualia, moralia) patravit et hodie patrat in favorem Ecclesiae Catholicae.

b. Quoad *methodum*: Argumenta huius partis non supponunt exsistentiam Iesu Ñazareni aut veritatem (ontologicam et logicam) testimonii eius de seipso. At a) directe supponimus theses generales de possibilitate, cognoscibilitate, valore apologetico *miraculorum;* b) indirecte supponimus theses de possibilitate et cognoscibilitate *revelationis.*

Nota. a) Credibilitatem librorum N.T. non supponimus nisi in prima parte thesis 33. b) Interdum quidem citabimus dicta Christi vel Apostolorum. Non quod supponamus ea esse vel continere revelationes; sed quatenus Ecclesia Catholica ea habet ut revelationes atque ex eis vivit qua revelationibus. Id a nullo negatur et facile probatur.

ARTICULUS 1

MIRACULA PHYSICA

THESIS 33

Veritas Ecclesiae Catholicae probatur ex miraculis physicis in ea patratis.

Cf. Dorsch I p. 709-710, 778-783; Falcon p. 488-9; Langan p. 317-320; Müller p. 631-660; Muncunill I p. 243-7, 390-1; van Noort, Rev. p. 150-7; Tanquerey I p. 546-550; Wilmers p. 433-453.

Ecclesia Catholica eodem modo definiri potest ac supra p. 408. *Veritas* autem hic intellegitur non ontologica (de qua nemo dubitat), sed *logica*. Quaeritur enim num id quod Ecclesia Catholica docet, respondeat obiectivae realitati. Idem igitur est ac quaerere num *fides* seu *religio* catholica sit vera.

Cum autem Ecclesia Catholica multa doceat, sufficit thesim restringere ad quaedam *fundamentalia*.[1]

Thesis est *certa*.

Probabimus thesim per duas partes: a) In prima parte considerabimus miracula *apostolica,* i.e. patrata in vel ab Apostolis; b) in altera parte agemus de miraculis *post-apostolicis,* quae in lingua anglica saepe vocantur "ecclesiastical miracles". In utraque parte utique probanda erit veritas quadruplex miraculorum: historica, philosophica, theologica, relativa.

Prima pars: **Miracula apostolica**

I. VERITAS HISTORICA

A. Facta quibus nititur probatio, narrantur in Mc, in Act, in epistolis Paulinis.

In his *summatim* dicitur: "Illi (Apostoli) profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis", i.e. Dominus confirmavit praedicationem Apostolorum miraculis.—Similiter in Act summatim dicitur multa signa et prodigia facta esse per manus Apostolorum (2, 43; 5, 12; 14, 3); multi quoque infirmi dicuntur sanati per umbram Petri (5, 15) et per sudaria ac semicincta Pauli (19, 11).—Etiam S. Paulus loquitur de miraculis in Ecclesia infante patratis: a) in

[1] infra p. 437, 464, 486.

Rom 15, 18-9 refert ad sua miracula; b) in 2 Cor 12, 12 enumerat miracula inter signa apostolatus (vel sui vel in genere); c) in Gal 3, 5 loquitur de aliis miraculis; d) in 1 Cor 12-4 loquitur de charismatis quae tunc erant communia inter Christianos, et quorum quaedam includebant potestatem patrandi miracula physica.[2]

Miracula *particularia* narrantur in Act:

1. Miracula in Apostolis patrata:

a. Miraculum *Pentecostes* (Act 2, 2-41). Hoc saltem quadruplex erat: a) sonus de caelo, b) linguae igneae sedentes super singulos discipulos, c) glossolalia, d) miraculum morale et intellectuale, quatenus Apostoli qui antea fuerant timidi ac rudes, subito manifestaverunt sanctam audaciam et eximiam sapientiam.

Nota. Dicimus 'saltem'; nam multi (v.g. Suarez, De Fide, Disp. 8 s. 2 n. 8) putant Apostolis tunc etiam collatum esse "donum linguarum", ita ut exinde potuerint praedicare evangelium variis linguis.[3]

b. *Conversio Pauli* ter narratur in Act.[4]

c. *Liberatio e carcere*. Ter Apostoli miraculose liberati sunt: omnes simul (5, 18-23), Petrus (12, 3-11), Paulus (16, 25-6).

2. Miracula ab Apostolis patrata:

a. *Suscitationes mortuorum* duae narrantur: a) In Ioppe Petrus suscitavit Tabitham seu Dorcam a mortuis (9, 36-41); b) in Troade Paulus suscitavit Eutychum iuvenem, qui de tertio coenaculo ceciderat (20, 9-12).

b. *Expulsiones daemonum* duae narrantur: a) Philippis in Macedonia Paulus sanavit "puellam quandam habentem spiritum pythonem" (16, 16-8); b) Ephesi tanto successu eiecit "spiritus nequam" ut Judaei exorcistae eum imitari vellent (19, 11-7).

c. *Sanationes morborum*. a) Petrus "ad portam templi quae dicitur Speciosa", sanavit virum "qui erat claudus ex utero matris suae" (3, 2-9); Lyddae sanavit paralyticum "nomine Aeneam, ab annis 8 iacentem in grabato" (9, 32-5).—b) Paulus etiam sanavit claudum ex utero matris suae (14, 7-10); in insula Melita sanavit "patrem Publii febribus et dysenteria vexatum" (28, 8).

3. Alia miracula: a) Ob mendacium Ananias et Sapphira *morte subitanea* correpti sunt (5, 1-10); b) Elymas magus, qui non desiit

---

[2] Fillion, Les Miracles I p. 67-70; Prat, Theol. I p. 127-133, 423-8.

[3] DA s.v. Langues; CE s.v. Tongues; Prat, Theol. I p. 426-8; Pesch V n. 444; Wilmers p. 451-3; Cornely, 1 Cor p. 412; Boudou p. 29-33; Reilly, in EcclR 1910 II p. 3-25.

[4] supra p. 171, 310.

"subvertere vias Domini rectas", subito ***visu privatus*** est (13, 8-11); c) Paulus clare *praedixit* naufragium cum minutis adiunctis (27, 21-6);

B. Miracula quae narrantur summatim, accidisse sicut narrantur, constat ex probata scientia et veracitate generali auctorum, scil. Marci, Lucae, Pauli.

C. Quoad miracula particularia:

a. Ipsae narrationes sunt *critice certae;* nam leguntur substantialiter eaedem in omnibus editionibus criticis hodiernis.

b. Narrationes has esse *historicas,* negatur a rationalistis (Spitta, Harnack, Loisy etc.). Immerito. Nam a) pertinent ad substantiam Actuum; materialiter enim constituunt sat magnam partem libri, et formaliter cohaerent cum eius scopo. b) Lucas fuerat testis oculatus aliquorum ex his factis; v.g. suscitationis Eutychi, sanationis patris Publii etc. Cetera credibilia sunt propter auctoritatem Lucae generalem.[5]

Dices 1. *Nimia* miracula narrantur in Act.

R. Quinam numerus miraculorum placeret rationalistis?

Dices 2. "Linguae igneae" (Act 2, 3) non sunt historicae; nam tale miraculum *differret* ab omnibus aliis miraculis N. T. Ita Chase, Cred. p. 34.

R. Mira ratio. Num omnia miracula N. T. debent esse eiusdem generis?

Dices 3. Suscitationes Tabithae et Eutychi non sunt historicae; nam *similes* sunt iis quae in V. T. narrantur de Elia (3 Reg 17, 17-24) et Elisaeo (4 Reg 4, 34), vel in N. T. de filia Jairi (Mt 9, 18-26; Mc 5, 21-43). Ita F. C. Baur.

R. *Dist.* similes sunt in genere *Tr.* vel *C.* in concreto *N.* Concretae circumstantiae horum miraculorum enim notabiliter differunt.[6]

Urg. Eutychus tantum *apparenter* mortuus erat; patet ex verbis Pauli: "anima eius in ipso est".

R. *N.* a) Lucas, testis oculatus, dicit *ἤρθη νεκρός*, non *ὡς νεκρός*; ac postea addit "adduxerunt puerum viventem", scil. quia mortuus fuerat. b) Paulus non dixit "anima adhuc in ipso est"; sed postquam "incubuit super eum et amplexus" est eum, dixit "anima eius in ipso est", scil. quia vitam ei restituerat.

---

[5]Recte Rosadini reprehendit Harnack: "Mirum sane quod Lucas ab Harnack diligens, non levis scriptor praedicetur, dignus cui nomen historici conveniat, et simul errores eum transcripsisse simpliciter reputet in 101 narrationibus miraculorum" (II p. 28). Eadem admiratione movetur Jacquier (p. cclii). Cf. Lattey, Acts p. xxx.

[6]Jacquier p. 421-3; Boudou p. 306.

II. Veritas philosophica

1. In genere

a. Quoad miracula quae narrantur *summatim*: Horum veritas philosophica constat ex probata scientia et veracitate (testimonium scientificum) eorum qui ea narrant (Marcus, Lucas, Paulus). Dubium enim non est quin narrare voluerint miracula stricte dicta.

b. Quoad miracula *particularia*: Mutatis mutandis, indoles praeternaturalis horum eventuum eodem modo probatur ac miraculorum Iesu (supra p. 281-4).

2. Facta *Pentecostes* sic explicantur a Renan (Les Apôtres p. 62-72): Cum discipuli congregati essent in coenaculo, subito ortus est ventus magnus et tempestas electrica qua eorum facies illuminabantur. At si fuit talis eventus pure naturalis: a) cur limitabatur ad unam domum, immo ad unum cubiculum? b) cur induxit linguas igneas sedentes super singulos? c) cur mutavit viros timidos et rudes in audaces et sapientes?[7]—Chase (Cred. p. 35) explicat linguas igneas tamquam "the sun's rays streaming through the colonnades and the arches of the Temple and resting upon the Apostles". At sic non explicatur quomodo radii solis apparuerint ut "dispertitae linguae" sedentes supra singulos.—G. A. Barton (Ap. Age p. 9-16) haec habet: "The significant event of Pentecost was a group mystic experience, kindred to that experienced by other congregations"; et primi Christiani "were prepared to interpret this group mystic experience in the light of ancient Hebrew history and of the Messianic hope". At facta narrata (ventus, lumina) erant obiectiva, non pure subiectiva (uti imaginatur Barton).

3. *Conversio Pauli*

Hanc Renan sic explicat (Les Apôtres p. 175-183): Saulus videtur laborasse "ophthalmia" et in itinere contraxit febrim; praeterea iam diu agitatus erat remorsibus conscientiae propter occisionem Stephani. Cum appropinquaret Damascum, subito fulgore tactus, cecidit in terram, simul putans se videre et audire Iesum vivum. Hac hallucinatione Saulus mutatus est in Paulum, scil. ex inimico fanatico Iesu factus est eius amicus aeque fanaticus. Postea

---

[7]Hoc ultimum S. Thomas reputavit maius miraculum ceteris eiusdem diei: "Et quod est mirabilius humanarum mentium inspiratione, ut idiotae et simplices, dono Spiritus s. repleti, summam sapientiam et facundiam in instanti consequerentur" (Contra gent. I 6).

disparuit etiam ophthalmia (quae nihil erat nisi morbus nervorum), quia credidit Ananiam sibi imposuisse manus.[8] At modo prorsus arbitrario Renan ceterique fingunt ea de quibus ne verbum quidem legitur in documentis: remorsum conscientiae, fulgur, ophthalmiam, febrim etc.; immo contraria narrantur a Luca et Paulo ipso.

Dices: Paulus *libere* conversus est; ergo eventus erat naturalis.

R. *Dist.ant.* viribus pure naturalibus *N.* aliter *Tr.*

Urg. Similem 'conversionem' experti sunt Lutherus, Pascal, Wesley etc. Atqui horum conversionem non putamus praeternaturalem. Ergo neque conversio Pauli talis dicenda est.

R. *N.M.* vel *Dist.* generice similem *Tr.* in concreto *N.*

Urg. Admittamus facta sicut narrantur in Act, sed fateamur nos *ignorare* causam. Ita Reuss, Baur, Weizsäcker.[9]

R. Sane caecitas, conversio instantanea, recuperatio visus etc. postulant causam proportionatam. Et Lucas et Paulus eam indicant, scil. visionem Iesu in specie corporali et impositionem manus.[10]

Nota. "Since the conversion of St. Paul is, next to the resurrection of the Savior, the miracle which is best attested, the least capable of any natural explanation, and consequently the most annoying to freethinkers, we cannot be surprised that rationalistic criticism has made desperate efforts to weaken its convincing force" (Prat, Theol. I p. 26; cf. Boudou p. 193). F. C. Baur tamen confessus est "that the conversion of Paul from an enemy to an apostle is beyond the reach of any psychological or dialectical analysis, and cannot be explained except by a miracle of divine grace" (Schaff, Theol. Prop. p. 182).

III. Veritas theologica

Eventus hos praeternaturales non deberi daemoni, patet. Nam

a. Inter eos erant quidam (v.g. suscitationes mortuorum) qui superant omnem virtutem creatam.

b. Conversio Pauli nimis absurde dicitur opus daemonis; Paulus mutatus enim se totis viribus opposuit regno diaboli.

c. Alia miracula non deberi daemoni, patet ex circumstantiis. Sic Petrus dixit claudo: "In nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula" (Act 3, 6), et ad Aeneam: "Aeneas, sanat te Dominus Iesus Christus" (Act 9, 34); antequam suscitaret Tabitham, Petrus

---

[8] Similiter rem explicant Bruce (Apologetics p. 416-423), Ed. Meyer (III p. 338-343), F. A. Spencer (Beyond Damascus; cf. Cath. World, Nov. 1934 p. 129-137) etc.

[9] Etiam Brandes (Jesus—A Myth p. 66) parum turbatur: "He suffered an epileptic attack, out of which he awoke changed and converted". A. D. Nock (St. Paul p. 67-8): "His conversion happened as a drastic psychological crisis which he does not and could not explain, and which we cannot either.

[10] Lietzmann (Beg. p. 137) videtur admittere apparitionem Iesu redivivi ut obiective veram.

oravit genibus flexis (Act 9, 40). Paulus iussit daemonem "in nomine Iesu Christi exire" (Act 16, 18).

IV. Veritas relativa

a. Nexus *implicitus* inter miracula apostolica et Ecclesiam infantem evidens est. Nam propter ea multi "appositi" sunt Ecclesiae (Act 5, 12-6; 6, 7; 8, 6-12; 14, 3; 19, 11 etc.); atqui sub talibus adiunctis, Deus non potuit patrare haec miracula nisi vellet confirmare Ecclesiam cuius Apostoli erant caput et doctores.

b. Petrus posuit nexum *explicitum* inter miraculum Pentecostes et suam praedicationem (Act 2, 14-7); atqui Petrus tunc agnitus est ut caput Ecclesiae Christi.—*Marcus* (16, 20) asserit Dominum confirmasse praedicationem Apostolorum miraculis.

Secunda pars: Miracula post-apostolica

I. Veritas historica

A. *Adversarii*

Nulla miracula post-apostolica admittunt deistae (v.g. Conyers Middleton), rationalistae (v.g. Hume, Gibbon), Protestantes generatim.—Anglicani dicunt miracula gradatim cessasse in Ecclesia, ita ut nullum sit factum post 300.[11]—Protestantes speciatim impugnant miracula S. Bernardi, S. Francisci Xaverii, S. Ignatii. Ita Gibbon (Decline etc. ch. 59), Hunt (III p. 215), Trench (l.c. p. 53-5), Tholuck, Paley etc.

B. *Facta* quibus nititur probatio:

1. Miracula quae narrantur *summatim*:

Patres et scriptores ecclesiastici primorum saeculorum saepe testantur miracula multa patrata esse suo tempore: S. Justinus, Tertullianus, S. Irenaeus, Origenes, S. Athanasius, S. Basilius, S. Augustinus etc.[12]—Neque medio aevo deerant miracula. Non quidem defendimus omnia mira quae leguntur in "Vitis Sanctorum" illius aetatis; sicut hodie homines sunt hypercritici, ita tunc erant nimis creduli.[13] Sed missis iis narrationibus quae historice dubiae sunt, magna etiam tunc fuit copia miraculorum.

---

[11] Trench, Notes on Miracles p. 48-61; Wright, Miracle in History p. 69-83.

[12] Müller p. 632-9; Hurter I p. 103-5; Muncunill I p. 390-1.

[13] Delehaye, Legends of the Saints; HE III p. 303-348; van Hove p. 34-5; BN p. 655-7; Browe, Die eucharistischen Wunder des Mittelalters (1937).

2. Miracula *particularia*

Saec. 2 et 3 frequentes erant expulsiones daemonum, atque Tertullianus asserit eas omnibus notas esse. Ipse Harnack admittit facta (Expansion etc. I p. 159-180).—Anno 386 Mediolani visus restitutus est caeco, aliaque miracula patrata sunt per reliquias S. Gervasi et Protasii. Testis est S. Augustinus coaevus.—Anno 484 in Algeria multi Christiani quibus lingua radicitus excisa erat iussu Hunnerici regis, "locuti sunt sicut antea loquebantur".—Medio aevo, S. Antonius Patavensis non tantum vivus multa miracula patravit, sed etiam ex primo anno post eius mortem constant 47 miracula; unde mox canonizatus est. Multa miracula etiam narrantur de S. Vincentio Ferrerio et S. Bernardo.[14]

3. Inde a tempore Reformationis (saec. 16-20) tres classes miraculorum eminent:

a. Miracula quibus *missionarii* catholici confirmaverunt suam praedicationem: S. Franciscus Xav. in India, S. Lud. Bertrandus, S. Petrus Claver, Ven. Jos. Anchieta in America meridionali, Martinus a Valentia in Mexico etc.[15]

b. Miracula bina vel trina quae postulantur ab Ecclesia hodie antequam aliquis *beatificetur* vel *canonizetur*.[16]

c. Saec. 19 erant viri catholici qui durante vita plurima miracula patraverunt: *Cottolengo, Don Bosco, Curé d'Ars* etc.—Inde a saec. 19 quotannis plura miracula fiunt ad *Lourdes* in Gallia et ad *Fatima* in Portugallia.[17]

C. Testimonium de his factis tam evidens est ut nullum dubium prudens relinquatur. Ipse auctor libri "Supernatural Religion" (II p. 152-198) ostendit veritatem historicam plurimorum miraculorum "ecclesiasticorum" aeque bene attestatam esse ac miraculorum evangelicorum. Hinc illogice agunt ii qui admittunt haec et reiciunt illa. E. Bernheim, quamvis rationalista, asserit neminem dubitare posse de miraculis S. Bernardi plurimisque aliis eiusdem aevi.[18]

---

[14] Smit p. 205-7; Lagrange, Mc p. 454; BN p. 659-663; Müller p. 643; Feder p. 266-7; Wilmers, Lehrb. II p. 182-4, 193-4.

[15] BN p. 663-7; Wilmers p. 644-6.

[16] CIC can. 2117, 2138.

[17] Tanquerey I p. 548-550; LThK s.vv. Lourdes, Fatima; BN p. 645-655.

[18] Ipsa documenta historica habes apud Wilmers, Lehrb. II p. 181-4, 187-8, 586-590; van Noort, Rev. p. 152-5; Müller p. 632-652; DA III col. 569-570; Fonck, Die Wunder des Herrn p. 14-7; Feder p. 266; Newman, Essays on Miracles II ch. 5 s. 8-9; idem, Apologia etc. Note B.

Dices: *S. Chrysostomus* asserit miracula iam suo tempore (i.e. saec. 4) cessasse: "Quid amplius vultis? Signa? Sed cessaverunt. Fidem habes, spem, charitatem, quae manent; haec quaere; haec signis sunt maiora" (In Act, Hom. 14; RJ p. 463).

R. *Dist.* totaliter cessaverunt *N.* rarius fiebant *Tr.*[19]

II. Veritas philosophica et theologica

Haec eodem modo probatur ac supra p. 433-5.

III. Veritas relativa

Haec constat directe et indirecte:

a. Directe: Multa ex his miraculis fiunt *ut* probetur missio vel doctrina Ecclesiae Catholicae. Id quod constat ex diserta declaratione thaumaturgi vel ex adiunctis (v.g. cum missionarii qua tales patrant miracula vel miraculis honorantur).

b. Indirecte: Etiam ea miracula quorum finis proximus est alius (v.g. in honorem Sanctorum), probant veritatem Ecclesiae Catholicae. Nam Sancti eximie amaverunt eam, usi sunt eius mediis ad suam sanctificationem, pro eius fide mortui sunt. Atqui sub his adiunctis, Deus non potuit eos miraculis honorare nisi simul vellet approbare Ecclesiam ipsam ut veram.

Dices: Miracula etiam patrantur apud *paganos,* in ecclesia *russiaca,* apud *Jansenistas* etc.; olim dabantur apud paganos *oracula* (delphica, sibyllina), quae sunt miracula intellectualia. Atqui his negamus valorem apologeticum.

R. Cf. supra p. 191.[20]

Cor. Ergo miracula post-apostolica plus probant. Scil. a) probant *solam* Ecclesiam Catholicam esse hodie veram. Nam etsi fortasse fiant miracula in aliis ecclesiis, haec fiunt rarissime, neque umquam ita ut prudenter inferre liceat illas ecclesias eis confirmari ut veras. b) Probant etiam Ecclesiam Catholicam mansisse sibi essentialiter *identicam* et incorruptam per saecula. Si enim Ec-

---

[19]Cf. quae S. Augustinus scribit in De Civ. Dei, l. 22, et in Retractationibus I, 13; Pesch I n. 410; de Vooght, in Rech. de Theol. 1939 p. 199, 217, 221.

[20]In specie: a) Quoad sanationes miraculosas quae olim tribuebantur diis (Apollini, Aesculapio, Baccho, Isi, Serapi etc.), cf. Case, Jesus p. 347-351; Bonniot p. 108-221; Lagrange, J p. 61; Festugière, Le monde etc. p. 113-8.—b) Quoad miracula ecclesiae russiacae, cf. van Noort, Rev. p. 156; Hervé I p. 137, 257; DA IV col. 1348; StZ Febr. 1932 p. 333.—c) Quoad miracula Jansenistarum, cf. C. J. Wright p. 76; Stephen I p. 403; Fonck, Wunder etc. p. 39-40; CE s.v. Jansenius; M. Bishop, Pascal p. 228-232.—d) Quoad oracula paganorum, cf. Dorsch I p. 434; Jungmann p. 135-7.

clesia Catholica essentialiter mutata esset, miracula in ea cessare debuissent.[21]

Schol. *Frequentia miraculorum*

Primis saeculis, miracula multo frequentiora erant in Ecclesia quam postea—id quod iam adverterant Patres. Iidem hanc dederunt rationem: Initio Ecclesia multis ac magnis premebatur obstaculis; unde magis opus erat auxilio divino speciali. Quo magis autem Ecclesia profecit aetate ac diffusione, eo facilius erat dignoscere eam ut veram, scil. ex miraculis moralibus quibus splendet ipsa Ecclesia.[22]

Scholia dogmatica

a. *Exauditio precum* saepe nihil plus est nisi opus divinae providentiae; saltem plus probari saepe nequit. Potest tamen etiam esse miraculum. Quodsi est, *confirmat fidem catholicam;* nam Catholicus orat et exspectat exauditionem ob fidem suam; ergo si fiat miraculum, prudenter iudicatur fieri in confirmationem huius fidei.

Idem non est dicendum si haeretici, schismatici etc. orant et exaudiuntur. Tales enim non orant et exspectant exauditionem ob suam haeresim etc., sed ob aliquam unionem cum Ecclesia Catholica.[23]

b. Quid sit *fides miraculorum,* de qua loquuntur Christus (Mt *17, 20*) et Paulus (1 Cor 12, 9), cf. Knabenbauer, Mt II p. 101; Simón I p. 407-8; Lagrange, L p. 454.

c. Ecclesia est infallibilis in *canonizatione*. At inde non statim sequitur etiam miracula propter quae homo canonizatur, esse infallibiliter vera. Eorum veritas quadruplex per se *probari debet* lumine naturali.

Nihilominus a) a priori dici potest: iudicium Ecclesiae de his miraculis est argumentum solidum; b) a posteriori dicimus: iudicium Ecclesiae semper erat formaliter certum.[24]

---

[21]Müller p. 631; EcclR 1933 II p. 449-461.—Ob hoc argumentum Gibbon amplexus est fidem catholicam anno 1753, sed mox iterum defecit. Cf. L. Stephen I p. 446-7.

[22]Straub II p. 735-7; van Noort, Rev. p. 157; Hurter I p. 105.—Aliqui suspicantur Deum denegare miracula abundantiora populis qui fidem semel susceptam superbe reiecerint.

[23]Pesch IX n. 331-6; Wilmers, Lehrb. II p. 187; Newman, Apologia p. 298, 304.

[24]Finlay, Divine Faith p. 52-3.

ARTICULUS 2

MIRACULA MORALIA

THESIS 34

Veritas Ecclesiae Catholicae probatur ex constantia martyrum christianorum trium primorum saeculorum.

Cf. Brunsmann-Preuss II p. 522-554; CE s.v. Martyr; DA s.v. Martyre; DThC s.v. Martyre; Dorsch I p. 710-729; Hurter I p. 98-103; Jungmann p. 180-190; Langan p. 331-8; Lercher I p. 258-264; Müller p. 500-535; Muncunill I p. 372-385; van Noort, Rev. p. 184-192; Ottiger I p. 877-902; Pesch I n. 175-181; Sertillanges p. 189-216; Tanquerey I p. 356-371; Vacandard, in Dict. prat. s.v. Persecutions romains; Wilmers p. 536-558.[1]

1. Quid sit *veritas Ecclesiae Catholicae,* cf. supra p. 430.

2. *Martyres*

Triplex notio martyris distingui potest:

a. *Etymologice,* martyr est *testis* (ex graeco μάρτυς). Idem est sensus vocis in N. T. (cf. Zorell s.v. μάρτυς).

b. *Dogmatice* (in usu hodierno) martyres dicuntur ii qui in Ecclesia Catholica mortem subierunt inflictam a "tyranno" propter fidem; in adultis etiam requiritur ut mors sit patienter tolerata.[2]

c. *Apologetice,* martyres sunt ii quorum actus *fortitudinis heroicae* poni non possunt nisi cum auxilio specialissimo Dei. Quae fortitudo non necessario includit perpessionem actualem mortis; dantur enim etiam alii actus fortitudinis heroicae.

3. Martyres *christiani* sunt ii qui tales actus ponunt qua membra Ecclesiae Catholicae.

Ad sensum thesis: Arguimus ex miraculo *sociali* et *historico* (cf. supra p. 69). Unde a) non loquimur de individuis qua talibus,

---

[1]Commendantur etiam haec scripta Patrum: Tertullianus, Ad Martyres (epistola pulchra scripta 197); Origenes, Exhortatio ad martyrium (scripta ca. 235); S. Cyprianus, De Lapsis (scripta ca. 251) et multae epistolae; Lactantius, De morte persecutorum (scriptum 314).—Quae sint genuina Acta Martyrum, cf. CE s.v. Martyr; Bardenhewer p. 228-233; Ehrhard p. 20-1, 30, 33-4, 37, 40, 43, 118; Bibliothek der Kirchenväter vol. 14.

[2]Explicationem theologicam huius notionis habes apud S. Thomam (II II qu. 124), canonicam apud Benedictum XIV (De servorum Dei beat. III c. 11-22); brevem analysim utriusque in DThC s.v. Martyre col. 220-233. Cf. Pesch IX n. 62-9.

sed de *multitudine;* neque loquimur de multitudine exsistente in uno puncto temporis, sed sibi succedente *per saecula.* Neque b) actus fortitudinis heroicae sumendi sunt quasi in abstracto, sed *in concreto,* i.e. simul cum diversitate et virtutibus martyrum, cum effectu inopinato, qui erat incrementum Christianorum etc.

ADVERSARII

1. Contra veritatem *historicam*

a. Versus finem saec. 17, H. Dodwell, Jr., et versus finem saec. 18, E. Gibbon (The Decline etc. I ch. 16) negaverunt *numerum* martyrum in persecutionibus romanis fuisse magnum. Hi suum assertum probare conabantur ex nota humanitate imperatorum (v.g. Marci Aurelii), ex nota consuetudine Romanorum tolerandi quamlibet religionem, ex limitatione locali persecutionum, ex dictis quibusdam Origenis et Tertulliani.[3]—Scriptores recentes, v.g. Harnack (Expansion etc. II p. 120), D. W. Riddle (The Martyrs p. 15), S. J. Case (Social Origins p. 223) idem sentiunt quoad persecutiones *ante 250.* Harnack tamen dicit: "It would be a grave error to imagine that the position of Christians was quite tolerable. . . . Despite the small number of martyrs, we may not underrate the courage requisite for becoming a Christian and behaving as a Christian".

b. Mommsen et Harnack contendunt in primis persecutionibus Christianos occisos esse non ob religionem suam, sed ob *crimina* (politica vel alia).

2. Contra veritatem *philosophicam*

Rationalistae generatim tribuunt constantiam martyrum fanatismo, Riddle (l.c. p. 21, 30-44) educationi technicae ("technique of opposition"); Latourette (I p. 302) loquitur de "martyr complex".

3. Contra veritatem *relativam*

Boissier iudicavit martyrio probari solam *sinceritatem* martyrum, non autem veritatem religionis pro qua passi sunt; nam, ait, homines etiam parati sunt mori pro errore.[4]

Thesis est *certa,* atque communiter defenditur a theologis catholicis. Cf. D 1638, 1794 ("ob invictam stabilitatem").[5]

---

[3]Lecky, Hist. of European Morals I p. 465.
[4]DThC s.v. Martyre col. 246; Allard p. 284-6.
[5]Pesch I n. 254.

Thesis probatur

I. Veritas historica

Nota. Veritas historica probanda est ex historia 3 primorum saeculorum. Cf. Allard, Ten Lectures on the Martyrs; Ehrhard, Die Kirche der Märtyrer; HE I p. 289-320, 404-9; II p. 113-122, 145-160, 444-7, 457-480; Latourette I p. 127-170.

1. *Numerus* martyrum

a. In *ultima* persecutione (decima) numerum martyrum in oriente fuisse valde magnum, testatur Eusebius coaevus, qui loquitur de milibus et 10 milibus martyrum, de magna multitudine etc. In eadem persecutione plurimos Christianos occisos esse etiam in occidente, praesertim Romae, constat ex scriptoribus eiusdem saeculi (v.g. Prudentio, Damaso, Lactantio) et ex coemeteriis subterraneis.[6]

Immo martyres christianos fuisse valde numerosos in *4 ultimis* persecutionibus (inde a 250), hodie concedunt rationalistae et constat ex Actis Martyrum, ex Dionysio Alex. coaevo (ap. Eusebium).

b. Quoad *primas* persecutiones documenta sunt pauciora. Sed numerum martyrum etiam tunc fuisse relative magnum, constat a) ex scriptoribus coaevis: ex Tacito et S. Clemente Rom., qui loquuntur de "multitudine ingenti" occisa sub Nerone, ex S. Justino M., ex Minucio Felice etc. b) Idem postea testati sunt Eusebius et Theodoretus.[7]

Obicit Riddle: "There was *no persecution,* properly so called, of the Christians during the first and second centuries" (p. 15); "the first of the persecutions which may properly be called such was that of Decius" (p. 147).

R. Concedimus primam persecutionem universalem fuisse Decii, sed a) praecesserant persecutiones magis vel minus locales, b) inde a Nerone religio christiana erat legaliter illicita. Dein cur Ecclesia elaboravit illam "educationem technicam" (de qua fabulatur Riddle) nisi quia persecutiones imminebant.

Dices: *Numerus* martyrum in primis persecutionibus non erat tantus quantus fuisse dicitur. Nam a) martyrologia antiquissima continent pauca nomina; b) anno 200 fuerunt tantum 24 martyres in tota Africa; immo ante 180 nullus fuit martyr Carthagine (Tertullianus); c) Origenes testatur tantum paucos Christianos mortem passos esse, atque id adscribit speciali Dei providentiae, quae noluerit ut nomen christianum deleretur.

R. *N.ass.* ad a) Omnes norunt martyrologia antiqua esse valde incompleta.

---

[6] HE II p. 463-479.

[7] HE I p. 289-320; DThC s.v. Martyre col. 238.—Martyres fuisse numerosos, etiam admittit E. Meyer, Ursprung etc. III p. 563.

—ad b) Passio S. Perpetuae, in qua haec leguntur, etiam commemorat multos fratres martyres; et Tertullianus mox aliter locutus est.—ad c) Origenes videtur loqui de numero relativo martyrum, i.e. in comparatione cum toto numero Christianorum.[8]

c. Neque oblivioni tradendae sunt persecutiones quas Christiani passi sunt a *Judaeis* mox post Pentecosten. In Act haec narrantur: martyrium S. Stephani et expulsio Christianorum, mors Jacobi maioris et minoris, captivitas Petri et Pauli etc.[9]

Summatim: Fuit olim tendentia exaggerandi numerum martyrum; hodie viget tendentia eum plus aequo minuendi. Duo manent consideranda: a) Dubium non est quin plurimi sint martyres christiani "quorum nomina Deus scit"; sic ignota sunt nomina omnia martyrum Bithyniae sub Traiano (cf. supra p. 186); neque "martyrologium Hieronymianum," quamvis copiosum, completum est; saepe nomina nova martyrum reperiuntur in effossionibus. b) Nisi relative multi fuissent martyres ab initio, inexplicabilis esset constans exspectatio martyrii et fortis praeparatio ad martyrium; quod enim raro accidit, parum curatur.[10]

2. *Causa martyrii*

a. Dubium non est quin motivum (subiectivum) ob quod hi passi sunt, fuerit *religio christiana,* quae eis nullum bonum terrenum promisit.

b. Eandem fuisse etiam rationem obiectivam, extra dubium est. Testes sunt imprimis Acta genuina martyrum. Testes sunt Tacitus et Suetonius, qui satis clare indicant causam martyrii fuisse "exitiabilem superstitionem" Christianorum. Idem innuit Traianus (in sua epistola ad Plinium) cum iubet Christianos liberandos esse si diis sacrificent. Idem explicite testantur scriptores coaevi: S. Justinus, Tertullianus, alii Apologetae.[11]

Verum est saepe alias causas praetextas esse: bonum publicum, leges reipublicae, reverentia erga imperatores, cultus deorum etc.; verum etiam est odium populi vel passiones imperatorum fuisse causas proximas in aliquibus casibus. At causa *ultima* fuit professio religionis christianae. Christianis enim non licuit colere deos romanos, adorare imperatores, interesse ludis ac festis publicis quae continebant lasciva et superstitiosa.

---

[8] Allard p. 127-9; E. Meyer l.c.
[9] Harnack, Exp. I p. 64-7.
[10] HE I p. 406-9; II p. 445-6; DA s.v. Martyre col. 349-354.
[11] HE I p. 295; E. Meyer III p. 510.

Dices 1. Saltem *Nero* non est persecutus Christianos ob eorum fidem, sed ob incendium romanum.

R. *N.* Incendium erat merus praetextus. Uti narrat Tacitus (supra p. 186), Nero, ut accusationem incendii a se averteret, Christianos accusavit, quos scivit omnibus odio esse ob suam fidem.

Dices 2. Primae persecutiones nil erant nisi "mob actions".[12]

R. *N.* Generatim habebatur processus iudicialis.

Dices 3. Christiani puniti sunt quia reputabantur (sive vere sive falso) esse *athei.*

R. Quae accusatio nihil aliud volebat nisi quod Christiani recusabant sacrificare diis romanis.[13]

Dices 4. Religio christiana certo adversabatur legibus romanis. Ergo imperatores recte egerunt cum puniebant Christianos.[14]

R. *Tr.ant. Dist.cons.* subiective recte *Tr.* obiective *N.* Lex divina enim praevalet legi humanae; Christiani autem crediderunt suam religionem esse legis divinae. Imperatorum igitur erat investigare num id esset verum.[15]

3. *Tormenta* martyrum

a. Tormenta *physica*

Tacitus (Annales 15, 44; Kirch p. 25) dicit de Christianis sub Nerone occisis: "Et pereuntibus addita ludibria—ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, multi crucibus affixi aut flamma usti, aliique, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur".

Obicit Max Radin (p. 317): "The truth of these stories depends on the reliability of Tacitus in general. They have been received with *justifiable* doubt, ever since the quite conscienceless method of Tacitus' historical style have been made evident".

R. Haec gratis asseruntur. Aliter sentit v.g. E. Meyer III p. 506.

S. Justinus M. (Dial. 110): "Dum gladio percutimur, dum crucifigimur, dum feris tradimur et vinculis et igni et omnibus aliis tormentis, a confessione non discedimus".

Lactantius (Inst. div. 5, 11): "Quae per totum orbem singuli gesserint, enarrare impossibile est. Quis enim voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis? Accepta enim potestate, pro suis moribus quisque saeviit. Alii prae nimia timiditate plus ausi sunt quam iubebantur; alii suo proprio adversus iustos odio; quidam naturali mentis feritate; nonnulli ut placerent et hoc officio viam sibi ad altiora munirent".

Eusebius, loquens de persecutione Diocletiani, ait: "Ignem et

---

[12] Ita Riddle p. 148.

[13] HE I p. 403-6; II p. 484-5.

[14] E. Meyer (III p. 514) putat hunc conflictum fuisse insolubilem.

[15] HE I p. 296-7; Ottiger I p. 902; Festugière, Le monde etc. p. 19-23.

ferrum, clavorum suffixiones, bestias, profundos maris gurgitus, membrorum abscissiones ac perustiones, confixiones et effossiones oculorum, totius denique corporis mutilationes, ad haec famem, metalla et vincula perpessi—in his omnibus maluerunt pro vera pietate tolerantiae suae specimen edere quam, reiecto Dei cultu, simulacra venerari".[16]

b. Tormenta *moralia* seu psychologica.

Cruciatuum physicorum vis tribus multum augebatur: a) *duratione;* nam praefecti etc. iussi erant facere apostatas, non martyres; hinc non tam occidere voluerunt quam pervertere, et curaverunt ut cruciatus diu durarent morsque lenta veniret; b) *iniustitia* summa; nam Christianis saepe se ne defendere quidem licuit; c) *pietate,* de qua pulchre S. Augustinus: "Tales quos vere Christi et veritatis charitas perduceret ad passionem, quid eis fecerunt tentationes saevientium? Maiorem violentiam habuerunt oculi flentium suorum quam persecutiones insectantium. Quam multos enim tenebant filii ne paterentur. Quam multorum genibus provolvebantur uxores ne viduae relinquerentur. Quam multos parentes filii prohibebant mori, sicut novimus et legimus in Passione S. Perpetuae. Facta sunt ista. Sed lacrimae quantaelibet et quantolibet impetu fluerent, quando charitatis ardorem exstinguerent?"[17]

4. *Diversitas* martyrum

Martyres fuisse ex omni natione, aetate, sexu, condicione sociali—patet ex Actis Martyrum. Unde dicit Dionysius Alex.: "Scire vos convenit viros et mulieres, iuvenes et senes, puellas et anus, milites ac paganos—ex omni denique genere atque aetate—alios flagrorum verberibus, alios ferri acie, alios ignibus in certamine toleratis coronas rettulisse" (ap. Eusebium).

5. *Virtutes* martyrum

Tam longe martyres aberant ut vi resisterent tyrannis aut eos odio haberent, ut martyrium etiam desiderarent. Multi enim sponte adierunt iudicem ut se profiterentur Christianos; alii rogaverunt ne quis eorum martyrium impediret. Martyres erant humiles, fisi sola gratia divina; erant prudentes et suaves in suis responsis; aliqui damnati gratias egerunt iudici; multi laeti erant inter ipsa tormenta.

---

[16] Allard p. 252-283; Gallonio, Tortures etc.
[17] Allard p. 175-214.

Non asserimus documenta testari omnes has virtutes apud omnes martyres christianos. Sed a) quoad multos habemus documenta directa vel indirecta; b) pauci qui fortasse aliter egerunt, erant exceptiones.[18]

6. *Effectus* martyrii

Multi pagani qui testes fuerant constantiae martyrum, *conversi* sunt ad religionem christianam. Notum et verum est illud Tertulliani: "Nec quidquam proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra; illecebra est magis sectae. Plures efficimur quoties metimur a vobis; *semen est sanguis Christianorum*" (Apol. 50; RJ p. 112).

7. *Duratio* persecutionum

Tria prima saecula (i.e. aerae christianae) non sunt computanda mathematice, sed moraliter. Ii qui omittunt persecutiones quas Christiani passi sunt a Judaeis, computant fere 250 annos persecutionum. Atque etiam huius periodi dimidia fere pars erat pacifica, ita ut anni persecutionum fuerint 125: 6 in saec. 1, 86 in saec. 2, 24 in saec. 3, 13 in saec. 4.[19]

Quamvis autem persecutiones neque continuae fuerint neque semper universales, inde a Nerone "nomen christianum" erat crimen morte dignum. Id quod constat ex Tertulliano: "Sub Nerone damnatio invaluit . . . et permansit, erasis omnibus, hoc solum *institutum Neronianum,* iustum denique ut dissimile sui auctoris" (Ad nationes 1, 7); consentiunt Suetonius, Plinius, Tacitus etc. Non quidem certo constat Neronem iam tulisse legem contra Christianos. At eius persecutio, licet arbitraria, duxit a) ad detestationem popularem Christianorum et b) ad axioma iuridicum: *"Non licet esse Christianos"*.[20]

---

[18]Allard p. 303-311; Ottiger I p. 884-6; DThC s.v. Martyre col. 250-3.

[19]Solent numerari *10 persecutiones romanae,* quae colliguntur praesertim ex Eusebio (Chron. 2); easdem indicant S. Augustinus (De civ. Dei 18, 52) et Sulpitius Severus (Hist. 2, 29). Prima ponitur sub Nerone (anno 64), secunda sub Domitiano (anno 95), tertia sub Traiano, quarta sub Marco Aurelio, quinta sub Severo, sexta sub Maximino, septima sub Decio, octava sub Valeriano, nona sub Aureliano, decima sub Diocletiano.

[20]Ehrhard p. 19-20, 28; Battifol p. 21-34; HE I p. 292-5; E. Meyer III p. 510.

II. Veritas philosophica

A. *Incomparabile*

Dubium non est quin martyres christiani, si sumuntur in globo, longe superent fortitudine eos qui ponunt actus heroicos vel quasi-heroicos fortitudinis, vel qui saltem reputantur heroici a multis.

1. Atque imprimis eis comparari non possunt heroes *individui*: heroes nationales, exploratores (pioneers), "martyres scientiae". Hi enim semper erant et sunt paucissimi atque vix alii quam viri robusti; tormenta non patiuntur iniuste; eorum motiva sunt prorsus naturalia (amor patriae, fama, pecunia, melior condicio vitae etc.).

2. Neque martyribus christianis comparari possunt a) *matres* quae multa patiuntur pro filiis (v.g. in parturitione), aut b) ii qui patienter subeunt *operationes chirurgicas*. Horum enim motivum non est per se religio, sed amor prorsus naturalis sive filiorum sive vitae propriae.

3. Tandem martyribus christianis comparari non possunt aliae *multitudines* (etiam sibi succedentes) quae multa et magna passae sunt:

a. *Non milites.* Hi enim sunt soli viri iique robustissimi nationum; non sunt certi sibi ponendos esse actus fortitudinis heroicae; eorum motivum est per se naturale.

Dices: Saltem milites in bellis religiosis (v.g. *crusaders*) comparari possunt martyribus christianis.

R. *N.* vel *Dist.* per se *N.* per accidens *Tr.* Aliud est heroismus pugnae, aliud et multo maius heroismus patientiae.

b. *Non haeretici* (v.g. Donatistae in Africa, Waldenses et Hugenotes in Gallia etc.). Hi quidem multa passi sunt ob suam religionem. At a) motivo religioso generatim mixtum erat elementum politicum vel nationale; b) cum fortitudinem in patiendo et moriendo raro comitarentur aliae virtutes, hi numerandi sunt inter fanaticos.

c. *Non Judaei.* Horum quidem plurimi plurima passi sunt ob suam religionem, idque per omnia fere saecula.[21] At a) plurimi passi sunt in tumultibus (pogroms), quorum causa erat Judaeorum "usura insatialis" et odium perpetuum adversus Christianos; fere omnes martyres christiani passi sunt ex sententia iudicis; b) ut effugerent tormenta, multi Judaei seipsos interfecerunt; non ita

---

[21] L. Browne, Stranger than Fiction.

Christiani; c) Judaei damnati vel torti petiverunt vindictam et ultionem; Christiani imitati sunt Christum qui petivit veniam in cruce.[22]

B. Superhumanum (*praeternaturale*)

Si fortitudo martyrum christianorum explicari posset per vires humanas, explicari deberet a) vel per naturam humanam in se spectatam, vel b) per eandem naturam roboratam fanatismo, superbia, pertinacia, vel c) ex spe praemii et timore poenae. Haec sola sunt quae afferuntur cum aliqua specie veri.

Atqui haec non sufficiunt—sive sumuntur singillatim sive simul. Etenim:

a. *Natura humana* (uti constat ex propria conscientia) horret ipsam imaginationem tantorum tormentorum et mortis tam atrocis. Bene Lactantius: "Latrones et robusti corporis viri eiusmodi lacerationes ferre non possunt; exclamant et gemitus edunt; vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem, ut de viris taceam, pueri et mulierculae tortores suos tacite vincunt, et exprimere illis gemitus nec ignis potest".

Dices: Multi Christiani *negaverunt* fidem, praesertim in ultimis persecutionibus.[23]

R. *C.* Sed explicanda est fortitudo eorum qui fidem christianam professi sunt, generatim usque ad mortem.

b. Neque martyres christiani erant *fanatici.* Nam a) fanatismus potius impellit ad iniurias aliis inferendas quam ad eas patienter ferendas; atqui martyres christiani patienter sustulerunt iniurias iniuste illatas. b) Fanatismus est particularis, virtus vere heroica est universalis. Scil. homo fanaticus ita possidetur ab una idea ut amittat rectum iudicium quoad alias; homo autem praeditus virtute heroica agit ex fine ultimo et universali recte cognito.[24] Atqui fortitudo martyrum christianorum erat universalis; nam manifestabant alias virtutes quarum erat occasio.—Etiam *superbia* et *pertinacia* excluduntur ob duplicem rationem: a) Martyres christiani non manifestabant hos defectus morales vel psychologicos. b) Fieri non potest ut his motivis homines innumeri condicionis diversissimae (locis ac temporibus valde inter se dissitis) moveantur

[22]Browe, in ZkTh 1938 p. 369-384.
[23]HE II p. 189-191, 465.
[24]Hofmann, Die heroische Tugend p. 196-7.

ad subeunda tormenta crudelissima et mortem ipsam; ordinarie enim homines superbi et pertinaces cedunt ubi talia timentur.[25]

Dices: Martyres christiani erant *abnormales*. Renan: "Il n'y a pas eu beaucoup de martyres très-intelligents" (Les Apôtres p. 382). Riddle: "This wish (to die) was present in some by reason of a certain abnormality; but in others it was present because it was generated by the action of the groups to which they belonged" (The Martyrs p. 29).

R. *N*. a) Fortitudo vere heroica incompatibilis est cum stultitia vel mente abnormali; patet ex exercitio aliarum virtutum. b) Riddle autem supponit martyres caece adoptasse habitus pure psychologicos sui coetus. Quo iure?

c. *Praemia* et *poenae* sane influxum exercuerunt. Neque tamen adaequate explicant facta. Nam a) utraque erant insensibilia et longe absentia (scil. pertinent ad alteram vitam); cruciatus autem erant sensibiles et praesentes; atqui ordinarie homines non moventur illis contra hos. b) Multi Christiani eadem praemia exspectant easdemque poenas timent, et tamen ne ordinarias quidem tentationes superant; ergo ne religio christiana quidem in abstracto facta explicat.

Dices: Fortitudo martyrum christianorum explicari potest ex *cupidine gloriae* quam sperabant, et ex *timore dedecoris* quo lapsi afficiebantur.

R. *N*. Haec non fuisse motiva adaequata, patet ex numero, condicionibus diversis, virtute martyrum. Praeterea: a) quid vanam gloriam aut dedecus curant teneri pueri aut mulierculae decrepitae? b) Coaevi duxerunt martyres stultos, lapsos sapientes. c) Multi morti traditi sunt in globo, ita ut certi essent nomina sua servatum non iri.

Cor. Ergo fortitudo martyrum christianorum postulat *causam praeternaturalem.*

III. Veritas theologica

Fortitudo martyrum christianorum debetur auxilio speciali vel Dei vel daemonis. Atqui non daemonis. Nam a) martyres illi passi sunt ob professionem fidei christianae, quae tota opponitur daemoni; b) martyres fortitudinem a Deo, non a daemone, petebant eamque Deo tribuebant.

Confirmatur: Multis paganis persuasum erat martyres christianos non esse passos sine speciali auxilio divino; ideo enim ad fidem christianam conversi sunt; v.g. S. Justinus M.

Dices: Martyrium christianum est contra promissionem Christi: "Capillus de capite vestro non peribit" (L 21, 18). Ergo Deus non potuit martyres adiuvare.

R. *N*. Cf. supra p. 262.

---

[25]Allard p. 295-303.

IV. Veritas relativa

Si Deus speciali auxilio adiuvit martyres christianos ut possent profiteri fidem Ecclesiae Catholicae, eam approbavit ut veram; secus enim esset testis (virtualis) erroris. Atqui verum est antecedens. Ergo etiam consequens.

Dices 1. Deus non debuit permittere ut confessores verae fidei tam immanibus cruciatibus afficerentur.

R. *N.* vel *Dist.* si martyrium compensare potest in altera vita *N.* aliter *Tr.*[26]

Dices 2. Si valet testimonium martyrum pro fide christiana, etiam valet testimonium lapsorum *contra* eam.

R. *N.* Lapsi non requirebant auxilium Dei ut fidem negarent.[27]

Dices 3. "Every religion has its martyrs, every error its devoted victims" (Supern. Rel. II p. 196).

R. *Dist.* omnis religio habet homines qui patiuntur vel moriuntur propter eam *Tr.* quorum fortitudo explicari non potest nisi speciali auxilio Dei *N.*

Dices 4. Secundum S. Augustinum, veritas martyrii inferenda est ex veritate Ecclesiae—non vice versa; dicit enim: "Christi martyrem non facit poena, sed causa" (Contra Cresconium 47, 51). Similiter S. Cyprianus: "Esse martyr non potest qui in Ecclesia non est".

R. *N.supp.* Patres illi loquuntur dogmatice. Nemo enim est vere "martyr" (sensu dogmatico) nisi constet eum passum esse pro fide Ecclesiae Catholicae, quae iam supponitur esse sola vera. Nos autem procedimus apologetice.

Schol. 1. Varii modi *arguendi ex martyribus*

Probavimus constantiam martyrum christianorum fuisse miraculum morale (sociale et historicum), atque inde arguimus ad veritatem logicam Ecclesiae Catholicae. Sed haec methodus non est unica. Suppositis iisdem factis historicis (supra p. 441-5), dantur 3 aliae methodi:

a. Una similis est argumento quo probavimus testimonium Iesu et resurrectionem ex fide Ecclesiae infantis (supra p. 214-5, 228-233, 305), et sic procedit:

Martyres innumeri in maximis tormentis et usque ad mortem firmissime professi sunt fidem Ecclesiae Catholicae.

Atqui hoc factum careret *ratione sufficienti* nisi fides Ecclesiae Catholicae esset vera.

Ergo fides Ecclesiae Catholicae est vera.

Minor sic probatur: a) Fides haec debebatur motivis aut mere subiectivis aut obiectivis. Atqui non mere subiectivis (v.g.

---

[26]Etiam deesset in diademate Ecclesiae Catholicae gemma pretiosissima si ei deessent martyres.

[27]Lapsus non probat illos caruisse auxilio Dei, sed hoc auxilio non auferri libertatem. Cf. Lercher I p. 263.

fanatismo, vanae gloriae, ignorantiae); nam talia motiva non produxissent talem effectum (scil. eandem fidem firmissimam) in tot hominibus qui tantopere inter se differebant. Ergo fides martyrum debebatur motivis *obiectivis*. b) Haec motiva erant aut doctrina ipsa aut certa motiva credibilitatis. Atqui non doctrina ipsa; haec enim continet multa mysteria, neque scientifice examinari potuit a plerisque martyribus. Ergo *motiva certa credibilitatis*. Quae martyres cognoverant sive immediate sive mediate.

Quodsi fides martyrum fundabatur in talibus motivis, vera est.

Nota. Argumentum hoc reicitur ab Allard (p. 284-6), sed iam innuitur a S. Hieronymo. Hodie proponitur a Dorsch (I p. 722-3), Lercher (I p. 259, 262-3), Ottiger (I p. 877), Schiffini (p. 130-1). Fortasse non est aeque evidens ac nostrum, sed certo suam vim habet.

b. Alterum argumentum non multum differt a primo, sed a) est magis particulare et b) fundatur in testimonio formali martyrum. Sic procedit:

Martyres christiani formaliter (explicite vel implicite) testati sunt suam religionem esse veram.

Atqui hoc testimonium est omnino credibile; nam a) martyres bene *sciverunt* (sive immediate sive mediate) motiva credibilitatis, praesertim resurrectionem Domini, miracula physica Domini et Apostolorum etc.; b) martyres erant etiam *veraces,* non ducti praeiudiciis, vana gloria, fanatismo etc.

Ergo religio pro qua martyres illi passi et mortui sunt, vera est.

Nota. Hoc argumento utuntur Dorsch (I p. 723-4), Müller (p. 510-5), Muncunill (I p. 378-380), Pesch (I n. 254), Tanquerey (I p. 368-9), Wilmers (p. 547-552). Argumentum tamen minus placet. Cum enim agatur de testimonio historico (non scientifico seu dogmatico), non clare constat unde martyres saec. 3 habuerint suam scientiam.[28]

c. Tertium argumentum sumitur ex *vaticiniis Christi,* et sic procedit:

Christus saepe praedixit persecutiones suorum et simul eorum invictam constantiam (Mt 10, 16-22; L 21, 12-19; J 15, 18; 16, 2; 16, 33).

Ergo si hae praedictiones impletae sunt, vera est Ecclesia pro qua martyres passi et mortui sunt; secus enim Deus impedire debuit praedictionem ac praesertim impletionem, scil. ne homines ducerentur in errorem.

Atqui praedictiones Christi impletae sunt in istis martyribus.

---

[28] Hervé I p. 259; Ottiger I p. 877; DA s.v. Martyre col. 334; DThC s.v. Martyre col. 247.

Ergo Ecclesia Catholica pro qua passi et mortui sunt, vera est.

Nota. Hoc argumento utuntur Pesch (I n. 254), Schiffini (p. 131).

Schol. 2. *Completio argumenti*

Argumentum nostrum directe probat veritatem religionis christianae et Ecclesiae Catholicae pro 3 primis saeculis. Inde autem non statim sequitur hanc religionem et Ecclesiam immutatam permansisse usque hodie. Naturaliter enim fieri potest ut coetus qui aliquando habuit veram fidem, postea defecerit.

Argumentum autem compleri potest ex martyribus christianis et catholicis qui passi sunt *post saec. 3.* Quorum fortitudo, si sumitur in concreto, non cedit fortitudini martyrum primorum, et constituit miraculum sociale ac praesertim historicum.

Etenim numerus et diversitas martyrum, causa et modus martyrii, exempla praeclara virtutum quarum erat occasio—saltem aequant ea quae narrantur de martyribus christianis saeculorum primorum. Et si effectus (scil. conversio non-Catholicorum) fuit minor, id tribuendum est condicionibus externis. Scil. in imperio romano aderant condiciones externae quae favebant expansioni religionis christianae: unitas gubernii et linguae, monogamia, cultura sat alta, facile commercium inter omnes partes imperii etc. Talis combinatio condicionum externarum postea plerumque deerat.

Persecutiones magnae autem hae constant ex historia:

a. saec. 4 in imperio romano (sub Juliano Apostata) et in Persia;

b. saec. 5-6, cum Gothi, Vandales, Hunni invaserunt in imperium romanum;

c. persecutiones quas Catholici passi sunt a Mahumetanis, Graecis schismaticis, Protestantibus;

d. revolutio gallica in fine saec. 18;

e. missionarii martyres in Asia (Annam, China, Tonkin, Japan), in Africa et America;

f. recentes persecutiones in China (Boxers), Russia, Mexico, Hispania etc.[29]

Unde etiam patet auxilium Dei speciale non cessasse in sua Ecclesia, et Ecclesiam Catholicam essentialiter eandem permansisse usque hodie.

---

[29] HE III p. 57-8, 140-7, 187-191, 257-263; IV p. 378-385; DA s.v. Martyre col. 375-492; DThC s.v. Martyre col. 239-246; Pesch I n. 255; Olichon, Les Missions; Lesourd, Hist. des Missions Catholiques; J. Brodrick, in The Month, July 1939 p. 58-75; Mertens, The Yellow River Runs Red; W. Parsons, Mexican Martyrdom; M. A. Habig, Heroes of the Cross; Latourette I p. 228-9.

Thesis 35

Veritas Ecclesiae Catholicae probatur ex eius admirabili propagatione intra 3 prima saecula.

Cf. Allard p. 1-79; Brunsmann-Preuss II p. 486-522; DA I col. 699-702; DieckmannE I p. 521-7; Dorsch I p. 740-767; Hervé I p. 231-244; van Laak, Rep. p. 177-194; Langan p. 321-8; Lercher I p. 248-258; Mazzella, Rel. p. 225-249; Müller, p. 535-566; Muncunill I p. 354-372; van Noort, Rev. p. 158-171; Ottiger I p. 850-877; Pesch I n. 248-255; Schiffini p. 104-124; Tanquerey I p. 334-356; Wilmers p. 506-536.

1. Quid sit *veritas Ecclesiae Catholicae,* cf. supra p. 430.

2. *Propagatio* religionis vel Ecclesiae fieri potest a) per generationem in huius familia, b) per immigrationem, c) per conversionem, i.e. adultorum. Non quidem positive excludimus duos priores modos in thesi, sed loquimur praesertim de tertio.

3. *Tria prima saecula,* i.e. a die Pentecostes ad annum 313, cum Constantinus promulgavit edictum mediolanense, quo Christianis data est plena libertas profitendi suam religionem.[1]

Thesis est *certa.* S. Thomas (Contra gent. I 6) hanc propagationem vocat *"maximum miraculum* et manifestum divinae inspirationis opus". Atque notum est argumentum S. Augustini (De civ. Dei XXII 5, 8): "Si per apostolos Christi, ut eis crederetur resurrectionem et ascensionem Christi praedicantibus, etiam ista miracula (i.e. physica) facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit".

Adversarii non negant facta historica, sed veritatem *philosophicam,* i.e. propagationem Ecclesiae Catholicae deberi causis praeternaturalibus:

Sic E. Gibbon (Decline etc. I ch. 15) adducit 5 causas naturales: a) zelum missionariorum, b) praemia et poenas, c) mirabilia quae acciderunt in Ecclesia illius aetatis, d) puritatem morum et caritatem primorum Christianorum, e) organizationem et disciplinam Ecclesiae. Ei assentiunt L. Stephen, Hist. etc. I p. 449-453 et Benn, Hist. etc. I p. 174-5.—E. Renan (Les Apôtres p. 366, 368) addidit duas alias rationes: a) religio christiana afferebat remedia aspira-

---

[1] Quoad hoc edictum, cf. Ehrhard p. 106-113; HE III p. 20-4.

tionibus religiosis et moralibus illius aetatis, et b) praedicabatur a viris ex vulgo.—Alii (v.g. Riddle, The Martyrs p. 8) adscribunt bonum successum syncretismo, i.e. adoptioni elementorum ex aliis religionibus.[2]

Lecky (Hist. of European Morals I p. 394) concludit: "Of this movement it may be boldly asserted that the assumption of a moral or intellectual miracle is utterly gratuitous. Never before was a religious transformation so manifestly inevitable. No other religion ever combined so many forms of attraction".

Etiam Harnack et Latourette perveniunt ad conclusionem: Expansio religionis christianae erat prorsus naturalis.

Thesis probatur

I. Veritas historica

Nota. Facta quibus nititur probatio, sumenda sunt ex historia 3 primorum saeculorum. Ea habes in HE I p. 279-287, 387-395; II p. 123-143, 481-498; Harnack, Expansion etc. II p. 147-446; Latourette I p. 66-171.

1. *Geographica*

Uti constat ex Actibus et epistolis Paulinis, evangelium mox praedicatum est Romae, in Italia meridionali, in Gallia, in Africa. Multas ecclesias ortas esse in Asia minore, constat ex prima epistola S. Petri (c. 65) et ex Apocalypsi (ca. 95).

In fine saec. 2, S. Irenaeus commemorat ecclesias in Gallia, Hispania, Germania; plura nobis narrat Eusebius de ecclesiis in oriente: in Graecia, Asia minore, Aegypto. Inter eas tunc eminuit ecclesia Syriae et Palaestinae tamquam mater fertilis sanctitatis et doctrinae.

Saec. 3 religio christiana praedicata est extra limites imperii romani: in Britannia minore (Bretagne), in Persia, in Africa, ultra Danubium, in Armenia et Georgia, in Arabia et Aethiopia, in India. Non quod totae hae terrae factae sint christianae, sed quod in omnibus fuerunt ecclesiae.

Quaedam facta particularia: Medio saec. 3 exstiterunt 100 sedes episcopales in Italia. Exeunte saec. 3 concilium hispanicum celebratum est cui intererant 50 legati dioecesium. Intra 12 annos (300-312) Petrus Alex. consecravit 50 episcopos in Aegypto inferiore. Anno 314 concilium arelatense (Arles in Gallia) habitum est cui intererant 16 episcopi Galliae et 3 Angliae.

---

[2] supra p. 147-8.

2. *Numerus Christianorum*

Saec. 1: Post primam concionem quam Petrus habuit die Pentecostes, numerabantur 3000 fidelium (Act 2, 41); paulo post "multi crediderunt et factus est numerus virorum 5000" (Act 4, 4). Et numerus fidelium cotidie valde augebatur (cf. Act 5, 14; 6, 7 etc.). —Tempore Neronis, ecclesiam romanam fuisse sat numerosam, inferimus ex testimoniis Taciti et S. Clementis, qui, loquentes de persecutione Neronis, dicunt "multitudinem ingentem" et "magnam electorum multitudinem" mortem subisse pro religione christiana.—Ex initio saec. 2 habemus documentum pretiosum Plinii iunioris, qui consuluit Traianum imperatorem "maxime propter periclitantium numerum" (supra p. 186).—Medio saec. 2 S. Justinus M. haec scribit in Dialogo cum Tryphone: "Nullum omnino genus est, sive graecorum sive barbarorum sive quolibet nomine appellentur, vel hamaxobiorum qui in claustris degunt, vel nomadum qui domibus carent, vel scenitarum qui pecora pascentes habitant in tentoriis—nullum, inquam, eiusmodi genus est in quo non per nomen crucifixi Iesu preces et gratiarum actiones Patri et Creatori universorum fiant" (n. 117; cf. Kirch p. 46).

Ex fine saec. 2 habemus testimonia Tertulliani, Clementis Alex., Origenis, quae, licet rhetorica, non carent solido fundamento:

Tertullianus: "Hesterni sumus et vestra omnia implevimus—urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa" (Apol. 37). Idem fere repetit alibi.[3]

Clemens Alex.: "Magistri nostri verbum non mansit in sola Judaea sicut philosophia in Graecia, sed diffusum est per totum orbem, graecorum simul et barbarorum gentibus et vicis et totis urbibus persuadens, totas domos et seorsim unumquemque ex iis qui audierunt et ex ipsis etiam philosophis non paucos iam traducens ad veritatem" (Stromata VI 8).

Origenes: "In omni orbe terrarum, in omni Graecia atque universis exteris nationibus, innumeri sunt et immensi qui, relictis patriis legibus et his quos putabant deos, ad observantiam Moysis legis et discipulatum Christi se cultumque tradiderunt" (Princ. IV 1).

Medio saec. 3 Lactantius, describens statum Ecclesiae ante per-

---

[3]Allard p. 63.

secutionem Decii, haec habet: Ecclesia "manus suas in orientem occidentemque porrexit ut iam nullus esset terrarum angulus tam remotus quo non religio Dei penetrasset, nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non suscepto Dei cultu ad iustitiae opera mitesceret" (De morte persecutorum 5).

Initio saec. 4: Maximinus Daza, ipse imperator et persecutor, dicit Diocletianum et Maximinianum in Christianos saevisse "quum cunctos fere homines, relicto deorum immortalium cultu, ad Christianorum sectam se applicuisse cernerent" (ap. Eusebium, Hist. IX 9).

Tandem Constantinus et Licinius non promulgassent sua decreta (edictum mediolanense) nisi magna pars imperii iam fuisset christiana.

3. *Classes sociales*

Nota propria evangelii fuit praedicari "pauperibus" (Mt 11, 5). Atque initio "non multi sapientes, non multi potentes, non multi nobiles" (1 Cor 1, 26-31).

Mox tamen etiam honestiores Christo nomen dederunt, uti narratur in Act: Paulus, Crispus archisynagoga, Apollo, sacerdotes, pharisaei, non paucae mulieres nobiles Thessalonicae et Beroeae, Aquila eiusque uxor Prisca, Cornelius centurio, proconsul Sergius Paulus etc.—Postea Romae conversi sunt Titus Flavius Clemens consul eiusque uxor Domitilla, aliique ex familiis nobilissimis.

Conversi quoque sunt viri magni ingenii: Aristides, Justinus, Quadratus, Athenagoras, Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alex., Cyprianus etc. Atque Arnobius (ca. 300) paganos ita alloquitur: "Nonne vel haec saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod tam magni ingenii oratores, grammatici, rhetores. consulti iuris ac medici, philosophiae etiam secreta rimantes, magisteria haec expetunt?" (Adv. Gent. 2, 5).[4]

4. *Obstacula conversionis*

a. Obstacula omnibus *communia* multa erant: a) Naturaliter loquendo, *fundator* ipse religionis christianae erat obstaculum magnum; erat enim Judaeus crucifixus. Nihilominus Christianis erat obligatio adorandi eum ut Deum et Salvatorem unicum. b)

---

[4]Falsum igitur est quod (teste Minucio Felice) pagani obicere solebant magistris christianis, scil. eorum discipulos esse ex infima plebe vel eos esse "insciam et rudem turbam vestibus laceris et sine calceis". Cf. HE I p. 300; Perrone I p. 111-2.

Apostoli, primi missionarii, erant Judaei et Galilaei; qua Judaei omnibus gentibus odio erant, qua Galilaei etiam Judaeis.

Religio ipsa continebat multa obstacula: a) Pars eius *theoretica* continet multa mysteria (v.g. Trinitatem, Incarnationem, Eucharistiam), quae, quamvis inintellegibilia, firmissime credenda erant omnibus. b) Doctrina *practica,* quamvis pura et sublimis, austera erat, cum pagani essent moribus corrupti.—Porro religio christiana in duobus differebat ab omnibus aliis religionibus: a) Voluit esse *universalis,* et tamen b) *exclusiva,* ita ut extra eam non esset salus, et omnis cultus alienus fieret illicitus.

Maximum demum obstaculum extrinsecum erant *persecutiones.* Quicunque se profitebatur Christianum, exspectare debuit amissionem bonorum temporalium, calumnias perpetuas, tormenta, mortem crudelissimam. Neque Christianis licuit active resistere persecutoribus.

Non quidem dicimus persecutiones fuisse continuas aut semper universales; at inde a Nerone ipsum "nomen christianum" erat crimen morte dignum (supra p. 445).

b. Obstacula *particularia*: a) *Judaei* tenacissimi erant legis mosaicae, quam tamen Christus praedicavit abrogatum iri; exspectabant Messiam gloriosum, non reiectum a principibus et crucifixum; horrebant vitam communem cum gentibus, cum tamen Christus voluerit suam religionem esse universalem. b) *Pagani,* si Christiani fieri volebant, totam vitam mutare debebant; erant enim corrupti moribus, voluptatibus dediti, cultui deorum addicti; si exspectabant salvatorem (uti quidam rationalistae urgent), certe non exspectabant eum fore Judaeum crucifixum.

5. *Effectus conversionis*

Historia testatur adoptione religionis christianae *mores in melius mutatos* esse ubique. Quanta autem fuerit haec mutatio, aestimandum est non tantum ex termino ad quem, sed simul considerandus est terminus a quo, scil. mores paganorum.

a. Qualis et quanta fuerit *corruptio morum* apud paganos, nemo est qui nesciat. Eam testantur non tantum scriptores christiani (S. Paulus, Tertullianus, S. Cyprianus, Minucius Felix etc.), sed ipsi pagani; neque ex his tantum moralistae, pessimistae, satiristae etc., sed etiam scriptores sobrii; v.g. Cicero, Tacitus, Plinius maior, Plutarchus etc.; idemque infertur ex legibus, inscriptionibus etc.[5]

[5]Müller p. 568-570; Baudrillart, Moeurs paiennes et moeurs chrétiennes p.

b. *Mores Christianorum*: Quoad Judaeos conversos, exstat testimonium pluchrum in Act 2, 44-7 et 4, 32-5. Quanta mutatio autem facta sit in moribus paganorum conversorum, testantur S. Clemens, Aristides, S. Justinus, Athenagoras, Tertullianus, Origenes etc. Minucius Felix ausus est dicere: "Nos non habitu sapientiam, sed mente praeferimus; non eloquimur magna, sed vivimus" (Octavius 38).

Addamus duo testimonia paganorum:

Plinius minor, in epistola citata, ait: "Affirmabant (Christiani) hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent".

Galenus medicus (131-201) haec habet: "Hi (Christiani) interdum talia faciunt qualia qui vere philosophantur. Nam quod mortem contemnunt, id quidem omnes ante oculos habemus; item quod verecundia quadam ducti ab usu rerum venerearum abhorrent. Sunt enim inter eos feminae et viri qui per totam vitam a concubitu abstinuerint. Sunt etiam qui in animis regendis coercendisque et in acerrimo honestatis studio eo progressi sunt ut nihil cedant vere philosophantibus".[6]

Nota 1. Omittimus nunc effectus *sociales* religionis christianae; v.g. abolitionem servitutis, caritatem publicam, modum christianum regendi vel gerendi bellum etc. Effectus hi enim apparere non poterant nisi postquam principes et magistratus publici amplexi sunt novam religionem. Cf. thes. 36.

Nota 2. Non est putandum omnes Christianos 3 primorum saeculorum fuisse sanctos. Iam Paulus excommunicavit Corinthium, et S. Ioannes in Apoc loquitur de tepidis etc.; Pastor Hermae (saec. 2) et S. Cyprianus (saec. 3) dure reprehenderunt coaevos; tandem cum Christianis concederetur longa pax et multitudo magna ingrederetur Ecclesiam, temperatura moralis minuebatur. Nihilominus semper mansit *oppositio radicalis*

11-2, 18-22; Lebreton, Life etc. I p. 169-170.—Non est quidem putandum apud paganos omnia fuisse mala. Etiam pagani habuerunt lumen rationis et desideraverunt bonum; speciatim in occidente viguit monogamia, floruit cultura sat alta, defuit divisio rigida hominum (sicut 'castes' in India). At a) eorum vitia erant multa et gravia; neque eis notum erat remedium efficax; b) eorum virtutes carebant firmitate et universalitate. Cf. Baudrillart ib. p. 24-33.

[6]De quo testimonio ait Harnack: "One can hardly imagine a more impartial and brilliant testimony to the morality of Christians" (Expansion etc. I p. 267).

inter mores paganorum et Christianorum, quam apologetae saec. 3 non dubitabant publice asserere.[7]

6. Deus *miraculis* adiuvit propagationem Ecclesiae Catholicae (supra p. 430-8).

Cor. Ergo conversiones ad Ecclesiam Catholicam intra 3 prima saecula non sunt consideranda ut mera phaenomena inconexa, sed constituerunt *motum* (*movement*) *socialem et historicum,* qui erat a) universalis et b) beneficus, qui, quamvis c) obstacula essent continua et gravissima, d) perduravit et invaluit, ac tandem e) per charitatem et patientiam fidelium f) victoriam reportavit.[8] Hic motus est explicandus.

II. Veritas philosophica

1. Propagatio haec est *incomparabilis*

Id iam notaverunt scriptores saec. 4: Arnobius, Eusebius, Augustinus.[9] Idem repetiverunt apologetae christiani omnes usque ad tempus hodiernum. Ipse Harnack confitetur religionem christianam tunc diffusam esse "mit unbegreiflicher Schnelligkeit", et H. L. Menken dicit propagationem hanc fuisse "without parallel".

Dices 1. Regnum Dei debuit *lente* crescere: Mt 13, 24-30; Mc 4, 26; L 13, 18.

R. Attendatur ad tertium comparationis. Parabolae citatae edicunt regnum Dei debere *crescere* (sicut semen, granum sinapis), sed nihil dicit utrum incrementum futurum sit lentum an celere (contra Renié p. 544).

Dices 2. Etiam *aliae religiones* celerrime propagatae sunt: Buddhismus, Mithraismus (Renan), Manichaeismus, Arianismus, Mahumetanismus; tempore recenti: Protestantismus, "Christian Science" etc.

R. In genere: *N.supp.* Non arguimus ex nuda celeritate diffusionis Ecclesiae Catholicae, sed ex celeritate simul cum adiunctis concretis, prout enumerantur in Cor.

R. In specie: a) *Buddhismus* vix dici potest religio; nam neque proponit credenda neque praescribit certam rationem vitae; non prohibet polygamiam aut divortium, atque se accommodat superstitionibus popularibus ac diis nationalibus.[10]—b) *Mithraismus* tantum floruit inter milites romanos saec. 2 et 3; periit quam primum poenis reprimebatur.[11]—c) *Manichaeismus* sat late quidem ac celeriter diffusus est per 2 vel 3 saecula (saec. 3-6), sed dein fere disparuit.[12]—d) *Arianismi* diffusio debebatur

---

[7] HE II p. 437-441.—Male rem ponit Harnack, Exp. I p. 268-273.
[8] HE II p. 481-492.
[9] Dorsch I p. 745; Kirch p. 205, 271.
[10] Dorsch I p 750; Lahousse II p. 188-193; Die kath. Missionen, Oct. 1937 p. 247-8.
[11] CE s.v. Mithraism.
[12] HE IV p. 61.

fraudibus et interventui politico; cum cessaret protectio imperatorum, arianismus disparuit.—e) *Mahumetanismus* propagatus est vi et armis; mores non mutavit in melius, sed potius libidinem fovit; destruxit religionem meliorem iam exsistentem.[13]—f) *Protestantismi* expansio initialis debebatur vi et fraudi, rationibus politicis, cupiditati, exsistentiae abusuum in Ecclesia; mores ubique in peius mutati sunt. Et nota: Protestantismus non est una religio aut una ecclesia.[14]—g) *"Christian Science"*: Haec secta nondum est relative numerosa (ca. 200,000 in 1926); eius successus autem qualis est, facile explicatur ex promissione bonorum sensibilium (curatio morborum), ex divitiis, ex bona organizatione.[15]

2. Propagatio haec erat *praeternaturalis*

Nota. Cum agatur de miraculo morali, non negamus hanc propagationem deberi etiam condicionibus vel causis naturalibus; sed asserimus has *elevatas* esse ultra potentiam naturalem, ita ut effectus iure dicatur praeternaturalis.

Motus bonitatis heroicae naturaliter vel non incipit vel saltem mox desinit nisi timentur mala sensibilia vel sperantur bona sensibilia.

Ergo motus bonitatis heroicae qui non debetur alterutri, postulat influxum causae praeternaturalis.

Atqui propagatio Ecclesiae Catholicae non debebatur timori malorum sensibilium neque spei bonorum sensibilium.

Ergo propagatio haec postulat causam praeternaturalem.

Ad ant.

a. *Explicatur*: Sicut actio individualis, ita motus socialis non dicitur heroicus nisi a) sit undequaque bonus, et nisi b) superanda sint obstacula maxima (externa vel interna). Nihilominus et actiones individuales et motus sociales vere heroici interdum incipiunt et sat diu durant ubi vel timentur mala sensibilia vel sperantur bona sensibilia (v.g. pioneers, gold rush, Xenophon's trek). Sed in nostro casu explicandus est motus socialis heroicus qui a) erat undequaque bonus, b) cuius motivum non erat aliquid sensibile, c) qui tamen duravit et invaluit per multas generationes sibi succedentes.

b. *Probatur*: Naturaliter homines multum moventur rebus sensibilibus, parum rebus suprasensibilibus. Inde est quod homines (sive individua sive multitudines) interdum superant obstacula

---

[13]Lahousse II p. 194-7; HE V p. 125-130, 182-3, 200-3, 224-230, 261-275.

[14]Ottiger II p. 873-5.

[15]De *Mormonismo* dicit Renan: "Dans cinq cents ans, des docteurs prouveront sa divinité par les merveilles de son établissement" (Les Apôtres p. 378). Exspectemus igitur 500 annos.

maxima ob res sensibiles; sed ubi motiva sunt suprasensibilia, pauca individua ea superant, multitudo aut numquam aut non diu.

Prob.min. a) Propagationem hanc fuisse motum socialem et historicum atque undequaque bonum, patet ex prima parte (Cor. supra p. 458). b) Eius motivum autem non fuisse aliquid sensibile, est nimis evidens; conversionem enim potius sequebantur mala sensibilia et amissio bonorum sensibilium, atque convertendi sibi conscii erant huius corollarii.

Ut vim argumenti effugiant, adversarii congerunt ea quae iuverunt vel iuvare potuerunt hanc propagationem. Possumus distinguere inter meras condiciones et causas.

a. *Condiciones favorabiles* tres adducuntur: a) ***Judaei ubique dispersi.*** Cum enim Judaei in imperio romano libere profiterentur suam religionem, neque pagani distinguerent inter Judaeos et Christianos, Apostoli eorumque successores ubique libere praedicare potuerunt. b) ***Desiderium religionis purioris.*** Cum enim religiones antiquae orientales non satiassent animos, homines promptiores erant investigare novam hanc. Atque religio christiana alliciebat homines propter puritatem, charitatem, fortitudinem Christianorum, et propter aequalitatem promissam omnibus. c) ***Unitas imperii romani.*** Illo tempore enim viguit pax romana, lingua graeca fuit fere universalis, facilis erat communicatio inter omnes partes imperii.[16]

At *in genere*: Haec adiuncta effecerunt quidem ut obstacula quaedam externa minuerentur, sed non ut omnia auferrentur.

In specie: ad a) Judaei ipsi bene distinxerunt, et, uti constat ex Act, fortiter persecuti sunt Christianos ab initio. Etiam pagani mox didicerunt distinguere.—ad b) Religio christiana non tantum afferebat emolumenta quaedam vitae, sed etiam postulabat sacrificia gravia, immo gravissima; neque auferebat omnem distinctionem inter pauperes et divites, inter heros et servos. Puritas, charitas, fortitudo Christianorum autem potius sunt effectus religionis christianae, ac proinde explicanda sunt ex causis suis.—ad c) Communicatio facilis ac frequens inter omnes partes imperii non tantum iuvit Apostolos, sed etiam eorum persecutores; nam etiam odia, calumniae, decreta persecutionis facile spargebantur per totum

---

[16] Olichon p. 58-61.

imperium. Tandem neque Apostoli neque eorum successores manserunt intra fines imperii romani.

b. *Causae* propagationis tres adducuntur: a) *Zelus Apostolorum* et tot missionariorum, qui superaverunt pervicaciam Judaeorum, superstitiones et libidines paganorum, calumnias et sophismata philosophorum, saevitiam persecutorum. b) Principium auctoritatis, praesertim *primatus*. c) *Libri* apologetarum saec. 2 et 3.

At *in genere*: Haec ipsa postulant sibi causam, quae vix dici potest prorsus naturalis.

In specie: ad a) Zelus Apostolorum non potuit auferre obstacula externa et interna; neque zelus solus generatim multum efficit ubi prorsus desunt media naturalia.—ad b) Haec auctoritas erat utique medium unitatis et ordinis interni, sed quatenus agnoscebatur ut a Christo Deo instituta; num naturale erat eam agnoscere ut talem? —ad c) Libri illi non erant adeo diffusi, neque multum legebantur sive a rudibus (qui vix legere poterant) sive a cultis (quos stilus barbarus deterruit). Dein si religio sic facile propagaretur, cur systemata philosophorum (v.g. Platonis) non aeque late ac celeriter diffusa sunt?[17]

Dices 1. Haec pars thesis est tantum probabilis. Nam est difficile dictu "quid natura humana in re morali sine gratia Dei valeat et non valeat" (Lercher I p. 242).

R. *N.ass.* Ad prob. *Dist.* quid valeat, i.e. positive *Tr.* vel *C.* quid non valeat, i.e. negative *N.* vel *subd.* interdum *Tr.* numquam *subd.* si res considerantur in abstracto *Tr.* si considerantur in concreto *N.*[18]

Dices 2. Si haec pars thesis esset vera, media quibus Ecclesia Catholica propaganda erat, prorsus *insufficientia* erant. Atqui consequens est contra sapientiam Christi, fundatoris Ecclesiae.

R. *Dist.M.* naturaliter insufficientia *C.* simul cum auxilio divino, quod Christus etiam promisit suis *N.*

III. Veritas theologica

Probatio haec eadem est ac supra p. 448.

Quaeres: *Quale* erat auxilium divinum?

Resp. (dogm.) Auxilium hoc erat duplicis generis:

a. Gratiae *externae*: Inter has numerandus est a) zelus Apostolorum et tot missionariorum, sine quo religio christiana non esset praedicata ubique. Multum etiam iuverunt b) charismata et

---

[17]Effectus horum librorum potius erat *mediatus;* homines literati sic cognoscere poterant religionem christianam; proxima generatio eam amplexa est.

[18]DA I col. 700.

miracula quibus primi praecones evangelii confirmaverunt suam praedicationem. Agnoscenda tandem est c) singularis Dei providentia, qua condiciones externae (unitas et pax romana, dispersio Judaeorum etc.) ita dispositae erant ut multa obstacula minuerentur.

b. Gratiae *internae*: Praeter gratias has externas, Deus etiam dedit influxum directum in animos hominum. Etenim a) illo tempore haud raro acciderunt conversiones subitaneae; atqui hae arguunt speciale auxilium Dei internum ("miracula gratiae"). b) Neque zelus missionariorum neque vita sancta et fortitudo primorum Christianorum explicari possunt sine speciali gratia interna.

Atque talis gratia interna quasi a priori exspectanda erat ob duo: a) Naturaliter difficile est considerare tot mysteria obscura et obligationes naturaliter ingratas quas continet religio christiana; neque factum revelationis publicae, licet miraculis confirmatum, tanta evidentia gaudet ut intellectus cogatur ad assensum. Ergo requiritur *bona voluntas*. Atqui in innumeris hominibus haec deest nisi ex speciali gratia Dei.—b) Multo difficilior est *exsecutio* eorum quae Ecclesia Catholica docet. Uti enim experientia testatur, multi Christiani ea mente amplectuntur et ore profitentur, sed vita sua infitiantur. Quae difficultas maior erat 3 primis saeculis; tunc enim mores totius societatis mutandi erant in melius, et persecutio semper imminebat. Atqui tales difficultates non superantur sine speciali gratia Dei interna. Atque Lucas in Act probare voluit propagationem religionis christianae, qualis facta est primis decenniis (annis 30-60), deberi speciali auxilio Spiritus s.[19]

IV. Veritas relativa

Probatio eadem est ac supra p. 449.

Dices: Si arguere licet pro Ecclesia Catholica ex eis qui eam amplexi sunt, etiam arguere licet contra eam ex *"lapsis"*. Atqui non admittimus falsitatem Ecclesiae Catholicae propter "lapsos" in persecutionibus.

R. *N.M.* vel *Dist.* si argueremus ex nudo numero conversorum *Tr.* si arguimus ex motu bonitatis heroicae, qui duravit per saecula *N.* Certe "lapsi" illi non possunt dici heroes, neque constituunt motum socialem et historicum.

Schol. *Completio argumenti*

Ecclesia Catholica sibi semper conscia fuit missionis universalis,

---

[19] S. Thomas, Contra Gent. I 6; Lercher I p. 248; Schiffini p. 112.

neque umquam oblita est mandati Christi docendi omnes gentes. Sed cum in quibusdam periodis defuerint media vel zelus vel cognitio geographiae, sunt 3 aliae periodi in quibus apparet mirus influxus divinae providentiae:

a. Saec. 4-6, cum tot populi barbari invaderent in imperium romanum (migration of nations)—ob nullum alium finem (ut videbatur) nisi ut fierent christiani—et cum converterentur nationes maiores Europae.

b. Saec. 16-18, cum America centralis et meridionalis necnon Asia orientalis subierunt influxum religionis christianae.

c. A medio saec. 19 (Gregorius XVI) usque hodie, cum tot milia missionariorum (viri et feminae) laborant ubique terrarum, etiam in regionibus difficillimis ac plerumque cum successu inopinato.[20]

Dices: Hodie, post 19 saecula, tantum quinta pars hominum (400,000,000 ex 2,000,000,000) est catholica. Si Deus specialiter adiuvisset Ecclesiam, iam *totus orbis* deberet esse catholicus.

R. Duo responderi possunt: a) Ratio cur maxima pars hominum nondum sit catholica, est malitia hominum et defectus zeli; Deus autem non tenetur impedire mala atque generatim operatur per creaturas. b) "Miraculum Ecclesiae" non supponit triumphum completum in hac terra, sed consistit in eo quod Ecclesia vivit et crescit in tot obstaculis externis et internis.[21]

---

[20]DA I col. 697, 701-5; IV col. 362-386; Falcon p. 480-2; Lesourd, Hist. etc.; Olichon, Les Missions; Latourette, The Thousand Years of Uncertainty; Thauren, in Theol.-prakt. Qu. 1939 p. 491-9.

[21]EcclR 1936 II p. 513-6; supra p. 410-1.

Thesis 36

"Ecclesia per se ipsa—ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem—magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile" (D 1794).

Cf. BainvelE p. 57-64; Dict. prat. s.v. Christianisme col. 123-131; DieckmannE I p. 527-535; Dorsch I p. 767-774; II p. 471-493; Falcon p. 453-5, 477-487; Goebel p. 415-428; de Groot p. 243-259, 274; Hervé I p. 234-7, 259-262, 361-7; Kösters, The Church p. 21-4; van Laak, Rev. p. 121-131; Lercher I p. 241-8, 256-7, 466-9; Mazzella, Rel. p. 642-4; Müller p. 566-609, 624-631; Muncunill I p. 366-372, 388-390; II p. 213-221; van Noort, Rev. p. 171-183; Ottiger II p. 928-1058; Pesch I n. 418-425; Straub II p. 700-741, 853-6; Suarez, De Fide, Disp. 9 s. 9; Tanquerey I p. 534-550; Wilmers, Lehrb. II p. 582-591; Zapelena p. 166-187, 193-228.

Conc. Vat. hic enumerat 5 facta historica vitae Ecclesiae Catholicae *qua societatis,* atque asserit a) ea esse sibi *propria,* b) ea ostendere *factum revelationis,* pressius "divinae suae legationis", c) hoc argumentum esse et semper fuisse *certum* ("magnum et perpetuum motivum", "testimonium irrefragabile").

Tria notanda ad nostram probationem:

a. Nos non directe probamus divinam legationem Ecclesiae Catholicae, sed eius *veritatem* (cf. supra p. 429, 430). Ex eius veritate autem statim sequitur divina eius legatio, cum haec sit doctrina eius maxime fundamentalis.

b. Concilium non dicit quomodo instituenda sit probatio. Nos arguimus ex eo quod haec facta sunt *miraculum morale* (sociale et historicum).

c. Ex 5 factis allatis iam consideravimus primum (thes. 35). Manent igitur 4, quae proponemus *4 distinctis argumentis.* Uti autem patebit, singula non sunt adaequate inter se distincta (aut a thesibus 33-35).

Thesis est *certa,* i.e. si mere spectatur probatio nostra. In se enim est de fide definita.[1]

---

[1]Etiam singula argumenta videntur esse certa, saltem si adaequate sumuntur.

A. Eximia Sanctitas

Nota (dogm.). Ecclesia Catholica primarie sancta est quatenus a) eius *fundator* est sanctus, b) est *corpus Christi mysticum,* c) eius *finis* est Ecclesia triumphans in caelo. Sed haec nunc omittimus. Primum quidem iam probavimus, sed praesens argumentum volumus esse independens ab illa probatione (cf. supra p. 429); cetera non possunt tractari nisi dogmatice.

1. *Sanctitas* in genere duplex est: a) Sanctitas *personalis* est recta et libera ordinatio hominis ad Deum; is igitur est sanctus qui seipsum et actus suos liberos ordinat ad Deum ut principium et finem ultimum. b) Sanctitas *realis* est id quo aliquid (doctrina, exemplum, medium) confert ad sanctitatem personalem.[2]

2. *Eximia* sanctitas

a. Sanctitas *personalis*

Quattuor distingui possunt *gradus* sanctorum: a) ii qui mere observant praecepta gravia seu vitant peccata gravia; b) ii qui observant etiam praecepta levia, immo quaerunt bona meliora ("consilia"); c) ii qui exercent virtutem in gradu eminenti et heroico; d) ii quorum sanctitas approbatur miraculis.[3]

Nota (dogm.). Licet haec sanctitas dicatur personalis, est etiam *socialis.* Catholici enim colunt sanctitatem qua membra Ecclesiae; unde sanctitas uniuscuiusque fluit ex Ecclesia qua societate ac vicissim in Ecclesiam qua societatem; atque quo maior est sanctitas individuorum, eo maior est hic influxus mutuus.[4]

Non asserimus omnes Catholicos fuisse aut esse sanctos, etiam in gradu primo; dantur enim multi Catholici mali, tepidi etc. Sed asserimus Ecclesiam gaudere sanctitate personali eximia quatenus a) magna multitudo Catholicorum semper assecuta est *primum gradum* sanctitatis, b) relative multi semper coluerunt *vitam meliorem,* c) immo *virtutem heroicam.* Asserimus etiam sanctitatem multorum approbatam esse *miraculis.*

b. Sanctitas *realis*

Non asserimus omnia quae in variis ecclesiis fiant, conducere ad veram sanctitatem. Sed asserimus Ecclesiam Catholicam qua totam gaudere sanctitate reali eximia a) negative, quatenus *nihil malum* est in iis quae Ecclesia definitive proponit ad sanctificationem personalem, b) positive, quatenus media sanctitatis defini-

---

[2]Sanctitas realis igitur est (extrinsece) analoga ad personalem (sicut cibus sanus ad hominem sanum).

[3]Intellegimus has distinctiones iuxta sanam philosophiam moralem.

[4]Gundlach, in StZ Febr. 1937 p. 308-320.

tive proposita ab Ecclesia sunt undequaque bona et per se *ducunt ad sanctitatem* personalem eximiam.

I. Veritas historica

1. *Doctrina moralis*

Ecclesia Catholica semper docuit moraliter bona, vetuit moraliter mala; etiam commendavit meliora, licet difficilia. Si inimici Ecclesiae id negaverunt, vel verum sensum doctrinae detorserunt vel Ecclesiae doctrinam adscripserunt quam non tenet.[5]

Qua de re duo sunt notanda:

a. Quamvis obstacula (externa et interna) saepe magna fuerint contra doctrinam moralem Ecclesiae, et quamvis Ecclesia eam accommodare debuerit variis adiunctis historicis, eam tamen *non mutavit* substantialiter.

b. Ecclesia *non exaggeravit* suas doctrinas morales. Quamvis enim omnes suos filios urgeret ad sanctitatem eximiam ("estote perfecti sicut Pater vester caelestis perfectus est"), immo multum commendaret "consilia" (v.g. virginitatem)—tamen (aliter ac haeretici) non abscidit eos qui contenti erant primo gradu sanctitatis, ne eos quidem qui graviter peccaverant.—Neque Ecclesia repressit laetitiam naturalem (sicut Puritani), sed eam retinuit et sanctificavit.—Neque Ecclesia restrinxit sanctitatem ad unum genus vitae vel actionis (v.g. ad milites, monachos, philanthropos) ita ut tantum aliqui possent esse sancti in gradu eximio.

Dices 1. Pascal (Lettres provinciales) abunde ostendit doctrinam moralem Scholasticorum esse meram casuisticam et scatere absurditatibus.[6]

R. 1. *Tr.* Docrina definitiva Ecclesiae non debet confundi cum *opinionibus* quas Scholastici ediderunt in decursu saeculorum.

R. 2. *N.* vel *Dist.* tentavit id ostendere *Tr.* revera ostendit *N.*[7]

Dices 2. Ecclesia Catholica docet *intolerantiam.*

R. *Dist.* dogmaticam *C.* vitae practicae *N.*

Dices 3. Ecclesia per saecula prohibuit censum (*interest*).

R. *Dist.* ubi nullus aderat titulus, ne extrinsecus quidem, vel ubi census aequivalebat usurae (usury) *C.* aliter *subd.* iudicio definitivo *N.* aliter *Tr.* Doctrina Ecclesiae hac de re considerari debet in concreto, i.e. simul cum usibus et notionibus historicis, quae multum variabantur.[8]

Dices 4. Ecclesia instituit *Inquisitionem.*

---

[5] Ottiger II p. 831-6.

[6] M. Bishop, Pascal p. 211-258.

[7] BN p. 1235-1285.

[8] LThK s.v. Zins; EcclR 1936 II p. 516-525.—Hodiernam disciplinam Ecclesiae habes in CIC can. 1543.

R. Ut aequum iudicium feratur, varia consideranda sunt:

a. Literatura de Inquisitione non caret *exaggerationibus*. Sic saepe exaggeratur numerus eorum qui per Inquisitionem capitis damnati sunt; vel ea quae semel aut iterum contigerunt, instituto qua tali tribuuntur. Servetur veritas et proportio historica.

b. Inquisitio erat institutum pure historicum (non dogmaticum). Unde sumi debet in suis *adiunctis historicis,* ad quae pertinet "psychologia" aetatis in qua floruit. Qui haec nescit vel neglegit, Inquisitionem numquam intelleget.[9]

c. Distinctio facienda est inter Inquisitionem ut *institutum generale* et duas eius formas speciales. a) Inquisitio ut institutum generale viguit saec. 12-15. Atqui illa aetate, omnis fere Europa eiusque civilizatio erat et volebat manere catholica. Unde haeretici non tantum adversabantur auctoritati et unitati Ecclesiae Catholicae, sed etiam civilizationi et unitati Europae. b) A generali instituto secernenda est *Inquisitio Galliae* (inde ab initio saec. 14) et *Inquisitio Hispaniae* (inde a fine saec. 15). Utraque enim nimis mixta erat rebus politicis atque oboediebat principibus potius quam Romano Pontifici. Hinc excessus utriusque Ecclesiae tribui nequeunt.

d. Excusandi non sunt excessus practici Inquisitionis: processus legalis, crudelitas, sententia capitalis. At non tantum processus eius erant *mitiores* quam processus iuridici illius aetatis, sed etiam Romani Pontifices eorum severitatem saepe *mitigaverunt*. Neque enim finis primarius Inquisitionis concipiebatur esse punitio haereticorum, sed eorum emendatio, i.e. reductio ad fidem et unitatem catholicam.[10]

2. *Media sanctitatis*

Haec fere innumera sunt et omnibus accessa. Suis enim sacramentis, ritibus, caeremoniis etc. Ecclesia sanctificat totam vitam humanam; ad eundem finem fert leges sive generales (v.g. audiendi Missam, recipiendi Eucharistiam) sive particulares (v.g. pro clero, pro religiosis). Ecclesia commendat "consilia evangelica," sodalitates religiosas, exercitia spiritualia etc. Tandem Ecclesia omnibus solemniter proponit Sanctos suos ut exemplum vitae vere catholicae, ac praesertim personam et vitam Christi omnibus admirandam et imitandam.

Dices: Multa in his sunt mala vel saltem minus bona: Sacramenta, cum putentur agere ex opere operato, reddunt sanctitatem catholicam mere externam; sacrificium Missae negat sufficientiam meritorum Christi; cultus Mariae animos avertit a Christo etc.

R. *N.* vel *Dist.* si haec et alia intelleguntur et fiunt iuxta mentem Ecclesiae *N.* secus *Tr.*[11]

---

[9] Id quod non est idem ac dicere: Qui intellegit Inquisitionem, omnia excusabit.

[10] CE s.v. Inquisition; LThK s.v. Inquisition; BN p. 1314-9; Ottiger II p. 936-946; MacDaid, Irish EcclR 1937 p. 337-363; Conway, Question Box p. 190-4.

[11] Quoad singula cf. de Groot p. 252-5; BN p. 746-757; Conway, Question Box.

3. *Sanctitas personalis*

a. Primus gradus: Uti constat ex historia, religio christiana effecit magnam *emendationem morum* a) praesertim in primis saeculis, b) quavis aetate, ubicunque sincere in praxim deducta est, c) etiam in ordine sociali, nationali, internationali. Altam hanc moralitatem autem vel conservavit, vel lapsam restauravit.[12]

b. Secundus gradus: Semper erant relative multi in Ecclesia qui ad *meliora* tendebant—sive singillatim in mundo sive in congregationes coniuncti.[13]

c. Tertius gradus: Nimis longus est catalogus Catholicorum qui virtutem exercuerunt in gradu *heroico*.[14]

Atque de his tria notanda sunt: a) Hi sunt *fructus per se* Ecclesiae Catholicae; nam quam intensissime adhibuerunt media ab ea commendata. b) Est maxima *varietas* inter sanctos—quoad indolem nativam, vitam externam, tentationes et obstacula superanda etc. c) In multis sanctitas eximia coniuncta erat cum *sapientia* aeque eximia (v.g. in Doctoribus Ecclesiae).[15]

d. Quartus gradus: In Ecclesia Catholica semper patrata sunt et hodie patrantur *miracula* physica, nunc plura nunc pauciora, quibus Deus evidenter confirmat sanctitatem realem (v.g. locorum) vel personalem.[16]—Porro in Ecclesia Catholica semper dabantur *"mystici"* (v.g. S. Paulus, S. Bernardus, S. Ioannes de Cruce, S. Theresia etc.), quorum sanctitatem heroicam comitabatur "miraculum pure spirituale", scil. contemplatio amorque mysticus.

Dices 1. Dantur hypocritae.

R. *Dist.* ita ut hypocrita numquam discerni possit a vero sancto *N.* aliter *Tr.*[17]

Dices 2. Dantur *mali Catholici.*

R. *Dist.* et hi sunt fructus per se religionis christianae *N.* aliter *Tr.*—Qua de re duo notanda sunt: a) Religio christiana non aufert libertatem psychologicam neque tendentias malas. b) Ecclesia militans non debet confundi cum Ecclesia triumphante; neque enim Ecclesia in hac terra est societas perfectorum (uti docuerant Novatiani et Donatistae).[18]

Dices 3. Quibusdam saltem temporibus, mores *cleri* misere depravati sunt;

---

[12]van Noort, Rev. p. 177-181; Plus, La sainteté cath.

[13]Ottiger II p. 956-962.

[14]Attwater, Dictionary of Saints; Surmont, The Book of Saints; Pesch I n. 424.

[15]Ottiger II p. 970-5; Müller p. 625-9; Steuart, Diversity in Holyness; A. Roche, The Splendors of the Saints.

[16]Cf. thes. 33; Ottiger II p. 975-985; Müller p. 632-656.

[17]Müller p. 626.

[18]Goebel p. 387; BN p. 1287.

sic ineunte saec. 16 clerus ab evangelio deflexerat, et ordines religiosi fundatoribus suis haud digni erant.[19]

R. Tria responderi possunt: a) Haec scandala saepe exaggerantur a non-Catholicis, interdum sunt purae fictiones. b) Iisdem saeculis (v.g. 4 et 16) quibus Ecclesia delabi videbatur, exstitit abundantia magnorum Sanctorum et Doctorum. c) Scandala vera non sunt fructus per se doctrinae catholicae.[20]

Urg. Ut Ecclesia Catholica possit dici sancta ullo vero sensu, sancti esse deberent ii qui *praesunt* in ea. Atqui horum vita est plena scandalorum; Alexander VI aliique Romani Pontifices moribus corrupti erant.[21]

R. Praeter ea quae dicta sunt de malis Catholicis et malo clero, tria responderi possunt: a) Aliud est auctoritas, aliud sanctitas. b) Relative paucissimi Romani Pontifices mali erant; atque nulla est familia regia cuius sanctitas comparari possit cum sanctitate sedis apostolicae. c) Etiam ii Romani Pontifices quorum vita non caruit scandalis, sanctitatem doctrinae servaverunt (non sicut Mahomet vel Joseph Smith).[22]

Urg. Apud historicos in confesso est *saec. 10* fuisse periodum tristissimam; et simonia et nicolaismus floruerunt.

R. a) Historici qui accusaverunt Ecclesiam saec. 10 corruptionis pessimae, nimis generalizaverunt; scandala enim quae tunc fiebant in Italia, non sunt adscribenda toti Ecclesiae. b) Multa scandala inde provenerunt quod principes saeculares se miscuerunt rebus ecclesiasticis. c) Reformatio eodem tempore coepta est (Cluny).[23]

Urg. Magno scandalo erat luxuria, servilitas, nepotismus Rom. Pontificum qui residebant *Avenione* in Gallia (1305-1378).

R. a) Ipsos Rom. Pontifices aut cardinales curiae fuisse deditos luxuriae, nullo modo probatur; scriptores coaevi qui protulerunt tales accusationes (v.g. Petrarcha), ducti sunt malitia vel odio. b) Quamvis illi Rom. Pontifices interdum cederent desideriis regum Galliae, id aliquomodo excusari potest ex adiunctis historicis; iidem in multis se exhibuerunt independentes et superiores. c) Nepotismus in se quidem est abusus. Sed nepotismus illorum Rom. Pontificum aliquomodo excusari potest ex adiunctis historicis.[24]

Dices 4. Pietas catholica est *superstitiosa* (rosarium, aqua benedicta, genuflectiones, reliquiae, indulgentiae etc.).[25]

R. *N.* vel *Dist.* haec sunt superstitiosa si adhibentur iuxta mentem Ecclesiae Catholicae *N.* aliter *Tr.*

Dices 5. Per totum medium aevum, Ecclesia Catholica persecuta est *Judaeos.*[26]

R. *N.* vel *Dist.* ipsa Ecclesia seu ii qui rexerunt Ecclesiam *N.* Catholici aliqui vel multi *Tr.* Innumera sunt decreta quibus Rom. Pontifices protexerunt Judaeos contra vulgus vel principes.[27]

---

[19]Cf. F. W. Farrar p. 308-311.

[20]Falcon p. 468-470; Ottiger II p. 928-930; Thurston, in CE s.v. Celibacy.

[21]W. F. Farrar ib.

[22]Reatz p. 339-342; de Groot p. 257; BN p. 1312-3; StZ Nov. 1936 p. 128-9; Walker p. 40-1; Conway p. 125-6, 163-4, 176-7.

[23]BN p. 1303-4; HE VII p. 465-503.

[24]BN p. 1306-8, 1313.

[25]W. A. Brown p. 128-9.

[26]L. Browne ch. 27-9.

[27]Bonsirven, On the Ruins of the Temple p. 12-15; d'HerbignyE I p. 229-230; Browe, in ZkTh 1938 p. 197-231, 349-384.

II. Veritas philosophica

1. Sanctitas Ecclesiae Catholicae est *incomparabilis*.

a. Quoad *originem*: Sectae christianae habent pro fundatoribus viros minime sanctos: Michaelis Caerularius pro Graecis; Lutherus, Calvinus, Zwingli, Henricus VIII, Elizabeth pro sectis Protestantium; quis hos dicet sanctos, etiam in gradu primo?[28]

b. Quoad *doctrinam moralem*: Omnes sectae christianae agnoscunt (explicite vel implicite) suprematiam status in rebus religiosis. Protestantismus reicit opera bona etc.

Dices: Scientia *religionis comparatae* ostendit doctrinas morales, usus, ritus etc. Ecclesiae Catholicae vel desumpta esse a paganis vel analoga esse rebus paganis.

R. *Dist.* si comparatio instituitur obiter et vage *Tr.* si res utrimque accurate perpenduntur *N.*[29]

c. Quoad *media sanctitatis*: "Nihil apud sectas invenitur quod comparari possit cum *sacerdotio catholico,* cuius membra caelibatu perpetuo Christo Domino eiusque sponsae consecrata sunt; vel cum *ordinibus religiosis,* qui innumeris hominibus asylum praebent ad mandata divina sanctius servanda et ad perfectionem christianam facilius assequendam. Protestantismus nullam creavit institutionem quae notam supernaturalem prae se ferat. Sectae generatim non bene sentiunt de virginitate a Domino adeo commendata, de studio mortificationis et abnegationis, de via crucis dominicae et humilitatis, de iniuria propter Christum libenter ferenda: atque ita ipsum genuinum typum christianae sanctitatis ab oculis removent" (Lercher I p. 468).[30]

d. Quoad *sanctitatem personalem*: a) Nulla secta audet proponere mundo sanctos heroicos a se productos. b) De fundatoribus Protestantismi Erasmus dixit: Nemo eorum "ne claudum equum quidem sanavit unquam"; atque Protestantes putant miracula iam cessasse. c) Nulli sunt veri mystici in sectis Protestantium.

Dices 1. Etiam *aliae religiones* habent suos Sanctos; v.g. monachi Buddhistici vel Russi, ascetae Mahometani (Sufitae). Atque recte dixit Tyrrell: "Are there not saints in every religion, nay in every sect of the Christian religion?" (Tyrrell's Letters, by D. M. Petrie p. 75-6).

R. Ea quae hi 'sancti' agunt, potius extraordinaria sunt quam signa verae

---

[28] BillotE I p. 195-200; Schultes p. 252; Mazzella, Rel. p. 643.—Haec tamen non est stricta comparatio; nihil dicimus de fundatore Ecclesiae Catholicae.

[29] BN p. 371-4, 466-484.

[30] Speciatim quoad ordines religiosos, cf. Gundlach, in StZ Febr. 1937 p. 308-320.

sanctitatis. Sanctitas enim essentialiter consistit in amore Dei et proximi, non in irrationabili castigatione corporis, in suppressione affectuum naturalium etc.[31]

Urg. Dantur *mystici* inter Buddhistas, Neo-Platonicos etc.

R. *Dist.* mystici naturales *Tr.* supernaturales N. Mysticismus stat in cognitione experimentali seu immediata praesentiae et operationis divinae in anima. Nondum constat num detur talis experientia operationis naturalis divinae. Sed mystici christiani sibi conscii fiunt operationis supernaturalis seu gratiae.[32]

Dices 2. Ecclesia *russiaca* multos canonizavit.

R. a) Horum numerus est minimus. b) Processus canonizationis vix attendit ad virtutem heroicam, potius ad mira quaedam (v.g. ad conservationem cadaveris). c) Sanctitas quae adest inter Russos, non fluit ex principiis schismaticis, sed ex iis quae ecclesia russiaca communia habet cum Ecclesia Catholica (vel dogmatice: "quia Spiritus divinus, vi voluntatis salvificae universalis, etiam extra corpus Ecclesiae auxilia gratiae singulis largitur, maxime inculpabiliter errantibus" Lercher I p. 468).[33]

Urg. Inter *Protestantes* multi ducunt vitam vere sanctam.

R. a) Protestantismus caret Sanctis in gradu heroico; atque recte ait Pesch (I n. 431): "Primum sanctum protestanticum mundus adhuc exspectat". b) Nullius Protestantis sanctitas confirmata est miraculis physicis. c) Voluntas Dei salvifica se extendit etiam ad Protestantes (ut supra quoad Russos).

Urg. Inter *Anglicanos* (High Church, Ritualists) dantur multi viri pleni fide et zelo, atque etiam monachi et moniales.

R. Eadem est responsio.[34]

2. Sanctitas Ecclesiae Catholicae est *praeternaturalis*.

a. Sanctitas *doctrinae*

Homini sibi relicto moraliter impossibile est a) invenire ac praesertim b) diu retinere doctrinam moralem undequaque bonam c) sine admixtione erroris vel vitii. Cf. thes. 3.

Atqui Ecclesia Catholica a) non tantum habet doctrinam moralem undequaque bonam, sed b) eam retinuit ac docuit per saecula, neque tamen c) ei umquam admiscuit errorem foedum aut vitium.

Ergo sanctitas haec postulat causam praeternaturalem.

Vel sic: Homini moraliter impossibile est invenire, diu retinere, practice imitari *imaginem Christi* quam Ecclesia Catholica proponit suis membris. Atqui Ecclesia Catholica hanc imaginem habet, diu retinuit, practice imitata est.[35]

---

[31] DA IV col. 1137-8; Müller p. 631; Zapelena p. 216.—Speciatim quoad Sundar-Singh, cf. LThK s.v.

[32] LThK s.v. Mystik.

[33] DA IV col. 1135-6; Straub II p. 738-9; DThC s.v. Canonisation dans l'Eglise russe; BainvelE p. 63.

[34] Schultes p. 254-5; BN p. 746-757; Cath. World 1936 p. 167-177.

[35] Quod argumentum pulchre evolvitur a Kösters, The Church ch. 3.

Nota. Ex iis quae supra p. 58-9 dicta sunt, sequitur acquisitionem huius doctrinae deberi revelationi.[86]

b. Sanctitas *personalis*

Ubi plurimi in determinato coetu (in eoque solo) diu manifestant sanctitatem eximiam, postulandus est influxus causae praeternaturalis.

Atqui plurimi in Ecclesia Catholica (in eaque sola), in omnibus nationibus et saeculis, manifestaverunt et manifestant sanctitatem vere eximiam.

Ergo haec sanctitas debetur influxui causae praeternaturalis.

Prob.M. Sanctitas eximia (secundi et tertii gradus) contraria est tendentiae naturali eligendi faciliora et sensibus iucundiora. Singuli quidem contra hanc tendentiam agere possunt ac saepe agunt—non tantum ex necessitate, sed libere atque interdum etiam in gradu heroico. Idem fortasse fieri potest naturaliter a multis simul. Sed psychologice impossibile est ut a) in determinato coetu eoque solo b) plurimi c) ex omnibus nationibus et saeculis libere et constanter agant contra hanc tendentiam naturalem, praesertim d) in gradu vere heroico. Ergo ubi talia fiunt, postulandus est influxus causae praeternaturalis.[87]

III. Veritas theologica

De hac non sunt multa dicenda. Sanctitas Ecclesiae Catholicae a) e diametro opponitur daemoni, b) approbata est miraculis. Ergo debetur influxui divino.

IV. Veritas relativa

Ecclesia Catholica est vera si Deus speciali auxilio adiuvat eius Sanctos eosque confirmat ut Sanctos miraculis.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Prob.M. Si enim Ecclesia Catholica esset falsa, Deus per talia auxilia et miracula confirmaret errorem. Id quod valet a fortiori quia Ecclesia Catholica se mundo proponit ut unice veram.

Duo notanda:

a. Non videtur repugnare quin vera miracula fiant in homine *malo*

---

[86] Prümm, Christentum als Neuheitserlebnis.

[87] BN p. 668-674.

vel per hominem malum (cf. Mt 7, 22). Nam miraculum per se neque supponit neque reddit thaumaturgum sanctum neque eum servat in sanctitate. Unde Ecclesia Catholica non canonizat homines ob sola miracula ab eis vivis patrata, sed propter vitam (vel mortem) virtutis heroicae et miracula patrata post eius mortem.[38]

b. Sanctitas eximia et miracula physica *se invicem confirmant.* Nam quod obscurum est in sanctitate (scil. veritas philosophica), clarius fit per miracula physica; et quod clarissimum est in sanctitate (scil. veritas theologica), confirmat veritatem theologicam miraculorum physicorum.—Neque adest circulus vitiosus; nam sanctitas et miracula physica sunt causae in diverso genere causalitatis.

Confirmatur:

a. Sola veritas potest esse *causa per se* sanctitatis eximiae, praesertim heroicae; bonum et verum enim convertuntur. Atqui Ecclesia Catholica est causa per se sanctitatis eximiae et heroicae; sanctitas haec enim fluit ex eius doctrina et mediis. Ergo Ecclesia Catholica est vera.

b. Si Ecclesia Catholica esset falsa, sequeretur *skepticismus religiosus.* Atqui skepticismus religiosus est impius et absurdus. Ergo Ecclesia Catholica est vera.

Prob.M. "Si enim illi homines in quibus tanta sanctitas cum tanta sapientia coniuncta erat, et qui nulli labori, nulli conatui pepercerunt atque instanter orarunt ut voluntatem Dei cognoscerent eique placerent, nihilominus circa religionem erraverunt—quis quaeso sibi iam de assecuta vera cognitione religiosa blandiri posset? Profecto nemo, et reliquum iam nihil esset nisi purus putusque skepticismus religiosus" (Müller p. 630).

c. Catholici eo magis *securi* sunt de veritate suae Ecclesiae quo meliorem vitam agunt; e contra, apud non-Catholicos ii praecise *inquieti* sunt de veritate suae religionis qui puriores sunt corde.—Ii qui convertuntur ad Ecclesiam Catholicam, id faciunt quia prius cognoverunt eam esse *unice veram;* ii vero qui amplectuntur aliam religionem, *prius defecerunt* a fide catholica ac dein quaerunt coetum cui se adiungant. Compara Newman et Luther.

[38]Mazzella, Rel. p. 132; Wilmers p. 155; Prat, J.-Chr. I p. 458; Oudenrijn p. 336-7, 346; de Groot p. 171; Knabenbauer, Mt I p. 355; Revue apol. July 1932 p. 119-120.

Cor. Ergo Ecclesia Catholica *eadem* mansit per saecula; nam sanctitas eximia semper in ea aderat.

B. Inexhausta in Omnibus Bonis Foecunditas

Duo notanda:

a. Loquimur de fructibus bonis quos Ecclesia Catholica produxit per saecula et etiam hodie producit. Apologetice autem boni dicuntur fructus qui *congruunt naturae humanae* complete spectatae, i.e. prout homo est animal rationale, creatus a Deo et ordinatus ad Deum tamquam finem suum ultimum.

b. Inexhausta foecunditas dicit Ecclesiam Catholicam hos fructus produxisse *semper et ubique* (nisi impedita) in suo coetu, immo etiam eos qui versantur extra eam, participes fecisse quorundam beneficiorum.

I. Veritas historica

1. Bona *intellectualia*

Non nunc loquimur de doctrina morali, sed de vita intellectuali quae semper floruit in Ecclesia Catholica:

a. Ecclesia Catholica semper dedit certitudinem et quietem mentis, saltem quoad *veritates fundamentales* vitae humanae. Semper ei cordi fuit et est *instructio elementaris* in rebus religiosis. Pueros et puellas docet religionem naturalem, ita ut omnes possint eam cognoscere "expedite, firma certitudine et nullo admixto errore" (D 1786).

b. Cum religio catholica se praebeat ut revelatam, postulat imprimis *Theologiam* fundamentalem, ac praesertim Apologeticam, dein Theologiam positivam et speculativam; scientiae auxiliares quoque excolendae sunt. Atqui Ecclesia Catholica semper et ubique promovit haec studia per omnia genera scholarum, institutionum, publicationum etc.

c. Nihilominus Ecclesia Catholica numquam neglexit studium *philosophiae*, sed eam fecit "ancillam Theologiae".

d. Ecclesia Catholica se etiam praebuit fautricem *scientiarum* et *artium*. Ubique enim instituit scholas scientificas, bibliothecas, collectiones etc. Artes autem tam magnifice fovit et auxit ut ipsi inimici mirentur eius templa, statuas, picturas, cantum etc. Doctrina sua enim sublimi Ecclesia inspiravit artifices, atque cultum suum ita disposuit ut artes omnes servirent laudi Dei.

Dices: Ecclesia *fovit ignorantiam.* Testis est Index, Syllabus, iusiurandum antimodernisticum etc.

R. *N.* His aliisque mediis Ecclesia vult arcere errorem religiosum.

2. Bona *moralia*

Huc pertinent imprimis duo: a) sanctitas eximia; b) magna mutatio morum in melius; haec quidem facta est 3 primis saeculis, sed historia missionum testatur mutationem similem productam esse ubicunque populi acceperunt Ecclesiam (v.g. in reductionibus Paraguay).

In specie: Iuvat hic describere *effectus sociales* Ecclesiae prout apparebant in imperio romano eiusque continuatione in Europa.[39]

a. Societas *domestica*: a) Ecclesia restituit dignitatem matrimonii, quatenus abolevit polygamiam et vagum concubitum, ac firmiter docuit unitatem et indissolubilitatem matrimonii. b) Ecclesia elevavit statum mulieris sive nuptae sive innuptae. c) Ecclesia instauravit procreationem et educationem prolis; conciliavit ius naturale parentum in prolem et necessitatem Ecclesiae ad salutem. Tandem d) Ecclesia iura et officia omnium membrorum familiae amice composuit, cum ea derivaverit ex principiis universalibus.[40]

b. Societas *civilis*: Ei Ecclesia tria principia universalia prostituit: a) esse distinctionem inter spiritualia et temporalia ("reddite Caesari etc."), ita tamen ut spiritualia praestent temporalibus; b) auctoritatem quamlibet subesse ordini morali; c) omnes homines esse "personas" et fratres.[41] Ope horum principiorum, Ecclesia instauravit rectum ordinem inter statum et Ecclesiam, inter principes et subditos, inter heros et servos.

Magis in concreto: Ecclesia a) sustulit despotismum herorum et principum, eis mandando caritatem; servis autem et subditis imposuit oboedientiam, non propter timorem, sed "propter conscientiam" (Rom 13, 5); b) matrimonia inter servos et liberos olim lege prohibita permisit; c) non quidem sustulit discrimen inter divites et pauperes, sed minuit distantiam inter eos; nam divitibus proposuit

---

[39]Similia tamen valent de aliis regionibus; fructus hos bonos enim Ecclesia non tantum ad breve tempus effecit aut in uno angulo terrae, sed eos profert usque ad nostram aetatem.

[40]Koch, in StZ Aug. 1936 p. 457-471; Schröteler, in StZ Febr. 1937 p. 298-307; Ketter, Christ and Womankind.

[41]Dict. prat. II col. 131.

praeceptum dandi eleemosynas et sublevandi pauperes; omnes autem docuit esse membra unius corporis mystici.[42]

Contra inimicos Ecclesiae iam S. Augustinus audacter affirmavit bonos Catholicos esse *cives optimos*: "Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae . . . dent tales provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices . . . quales esse praecipit doctrina christiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicae, immo vero dubitent confiteri magnam, si ei obtemperetur, salutem esse reipublicae" (Ep. 138 ad Marcellinum 2, 15).

c. Societas *internationalis*: Populis omnibus et nationibus Ecclesia incessanter praedicavit principium universale quod enuntiavit S. Paulus: "Non est gentilis et Judaeus . . . barbarus et Scytha . . . sed omnia et in omnibus Christus" (Col 3, 11). Ex hoc principio Ecclesia gradatim abolevit illam paganam rationem sentiendi qua populi alieni habebantur ut barbari, ut "hostes naturales", ut entia inferioris speciei. Ex eodem principio Ecclesia promovit pacem inter populos ("pax Dei"), atque, medio aevo, positive univit maximam partem Europae in regnum temporale, cuius caput visibile fuit quidem imperator Germaniae, sed cuius fundamentum erat unitas fidei catholicae.[43]

d. Nominanda tandem sunt *instituta socialia*—nova, innumera, ex fide catholica concepta et nutrita: a) sacerdotium cum caelibatu, institutiones monachorum, ordines religiosi et missionarii; quae sunt instituta pure religiosa et supernaturalia; b) scholae, hospitalia, orphanotrophia etc. Quae "opera misericordiae" valde differunt a philanthropia hodierna; nam eorum motivum est pure vel primarie religiosum et supernaturale, scil. studium imitandi Christum et desiderium procurandi salutem animarum; dein his operibus Catholici impendunt non tantum bona sua, sed seipsos ac vitam propriam.[44]

II. Veritas philosophica

1. Ecclesia Catholica est *incomparabilis*

Nullus alius coetus religiosus motum socialem tam universalem ac tantae bonitatis suscepit aut susceptum pertulit per saecula.

---

[42]J. Johnson, in Irish EcclR 1937 p. 113-127.

[43]Dict. prat. II col. 100-8; HE VI p. 163-4.

[44]Wilmers p. 648-650; DieckmannE I p. 533-5.—Lege S. Augustinum, De moribus Ecclesiae Catholicae I 30, ubi, alloquens Ecclesiam, quasi in compendium contulit doctrinam eius socialem.

Dices: Etiam *Buddhistae* habent suos monachos, *Lutherani* "diaconissas". *Protestantes* erigunt scholas, hospitia etc., praesertim in suis missionibus.
R. Non negamus bona quae sunt vel fiunt in aliis coetibus religiosis. At a) nullus ex eis suscepit motum socialem tam universalem bonitatis eximiae eumque susceptum pertulit per omnia saecula suae exsistentiae. b) Instituta illa similia sunt catholicis, sed etiam valde dissimilia.

2. Ecclesia Catholica est *praeternaturalis.*

Suscipere motum socialem a) universalem b) bonitatis eximiae c) susceptumque perferre per saecula—excedit vires naturales cuiusvis coetus; est enim contrarium tendentiis pravis individuorum, societatum, populorum. Atqui Ecclesia Catholica talem motum suscepit susceptumque pertulit per omnia saecula suae exsistentiae.

III. Veritas theologica

De hac non sunt multa dicenda. Influxus praeternaturalis enim quem postulat talis motus socialis et historicus, nequit esse a daemone, sed debet esse a Deo.

IV. Veritas relativa

Etiam haec est evidens. Si enim Deus specialiter iuvat Ecclesiam Catholicam ut possit in praxim deducere suam doctrinam, implicite testatur hanc esse veram.

Schol. *Alius modus arguendi*

Supposita veritate historica (supra p. 474-6), etiam sic arguere licet:[45]

Solum verum est *causa per se* boni; bonum et verum enim convertuntur.

Ergo religio quae est causa per se fructuum undequaque bonorum, est vera; et si religio est talis causa praecise quatenus creditur esse revelata, est revelata.

Atqui religio catholica est causa per se fructuum undequaque bonorum, et quidem praecise quatenus creditur esse revelata.

Ergo religio catholica est vera et revelata.

Ad prim. cons. a) Fructus sunt undequaque boni si sunt boni ex obiecto, ex circumstantiis, ex fine operantis. b) Causa per se est ea ex qua aliquid fluit connaturaliter et quasi sponte. Opponitur causae per accidens, ex qua aliquid fluit ob malam applicationem, ob neglectum causae etc.; sic bona opera quae fiunt inter Lutheranos, sequuntur ex neglectu suae religionis, quae docet bona opera esse inutilia.

---

[45] Dorsch I p. 459-463.

Prob.min.

a. Bona moralia enumerata esse vere *fructus* religionis catholicae, patet si comparamus eos cum statu anteriore eiusdem partis mundi (eorundem populorum) vel cum statu coetuum religiosorum aliorum. Haec bona enim desunt antea vel alibi.

b. Eos esse *fructus per se* religionis catholicae, patet ex eo quod logice fluunt ex doctrinis eius. Sic leges quas tulit Constantinus post 319, omnes derivantur ab evangelio.[46]

c. Hos fructus esse *undequaque bonos,* nemo negat; hodie praesertim mundus conatur praestare eadem (v.g. restaurare ordinem in familia, iustitiam inter heros et servos, pacem internationalem) ut omnino congruentia naturae humanae.

d. Hos fructus deberi religioni catholicae praecise quatenus creditur esse *revelata,* patet ex eo quod vires ad haec bona efficienda repetuntur non ex divitiis aliisque mediis naturalibus, sed ex doctrinis et mediis qua revelatis; nisi enim Catholici crederent haec esse divinitus praecepta vel saltem commendata, ea vix magis curarent quam homines generatim curant dicta philosophorum, philanthroporum etc.

C. **Catholica Unitas**

Duo notanda:

a. Unitas de qua loquimur, non est physica, sed *moralis,* et opponitur divisioni morali: apostasiae, haeresi, schismati, excommunicationi. In concreto, sunt multi ligati vinculo morali; in abstracto, est vinculum morale quo multi uniuntur.

b. Unitas haec dicitur *catholica,* non quod omnes homines sint membra Ecclesiae Catholicae, sed quatenus Ecclesia Catholica a) nullam nationem, occupationem etc. per se excludat, b) de facto complectatur multos ex omnibus nationibus, occupationibus etc., c) sibi semper conscia fuerit mandati Christi: "Docete omnes gentes".

I. Veritas historica

Cum Ecclesia Catholica velit esse societas exclusive religiosa, eius unitas triplex esse debet: regiminis, fidei, cultus. Ubi enim deest unitas regiminis, non habetur una societas; et societas religiosa

---

[46]HE III p. 61-2.

consistere nequit ubi alia et alia est fides officialis vel alius et alius cultus officialis. Neque per se requiritur aliud vinculum morale.

Iamvero triplicem hanc unitatem semper viguisse et hodie vigere in Ecclesia Catholica, historia abunde ostendit. Etenim:

a. Idem semper erat et hodie est *regimen supremum,* scil. Romani Pontificis (cf. thes. 30). Singuli quidem episcopi sunt praepositi monarchici suarum dioecesium, sed et episcopi et simplices fideles subsunt uni Romano Pontifici.

Dices: Deerat unitas regiminis tempore *"schismatis occidentalis"* (1378-1415). Tunc enim regnabant 3 papae, quorum unusquisque habebat multos asseclas.

R. *N.* vel *Dist.* deerat unitas iuris *N.* facti *subd.* permanenter *N.* per breve tempus *C.* Schisma occidentale male dicitur schisma. Nam omnibus persuasum erat Ecclesiam totam debere subesse uni capiti; sed dubitabatur tunc quod esset hoc caput, seu quis esset Romanus Pontifex.[47]

Urg. Unitas Ecclesiae Catholicae disrupta est per schisma *Graecorum* saec. 10 et 11, atque iterum per *Reformatores* saec. 16.

R. *N.* vel *Dist.* Graeci et Reformatores secesserunt ab unitate Ecclesiae Catholicae *C.* ipsa Ecclesia Catholica non iam est una in regimine, fide, cultu *N.* Schisma Graecorum fuit verum schisma; nam recusaverunt oboedientiam capiti Ecclesiae. Reformatores saec. 16 autem erant non tantum schismatici, sed etiam haeretici.

b. Eadem est *professio fidei* ante baptismum, quo quis fit membrum Ecclesiae Catholicae. Atque saltem implicite omnes Catholici credunt quidquid ab Ecclesia proponitur credendum. Neque haec fides mutata est in decursu saeculorum nisi quatenus implicita facta sunt explicita.

Dices 1. Saec. 4 et 5 deerat unitas fidei. Nam magna pars Ecclesiae tunc amplexa est *arianismum,* uti patet ex celebri dicto S. Hieronymi coaevi: "Ingemuit totus orbis, et arianum se esse miratus est".

R. *N.* Imprimis dictum illud erat ironicum (ex mente arianorum), et S. Hieronymus mox testatur orbem revera mansisse catholicum. Sed ariani tunc gloriabantur totum orbem esse arianum, quia multi episcopi, fraudibus circumventi, admiserant formulam ambiguam ("Filius Patri similis est per omnia").[48]

Dices 2. Alia est fides rudium, alia *professorum theologiae.*

R. *N.* vel *Dist.* essentialiter alia, i.e. ita ut rudis neget dogma quod professor theologiae credit, vel viceversa *N.* accidentaliter alia, i.e. ita ut theologus plura explicite credat quae rudis credit implicite, vel ut theologus melius intellegat credenda et rationes credendi *Tr.* vel *C.*

Dices 3. Jesuitae et Dominicani (Molinistae et Thomistae, Bannesiani et Suareziani) inter se disputant de rebus fidei. Ergo hodie deest unitas fidei.

---

[47] Zapelena p. 224-6; Lercher I p. 469-470; DA s.v. Schisme d'Occident; LThK s.v. Schisma.

[48] supra p. 318, 403; HE III p. 69-176, 237-276; Zapelena p. 226; Pesch I n. 421; Lercher I p. 470-1.

R. *Dist.ant.* ita ut alterutri negent ullam veritatem catholicam *N.* aliter *Tr.* Praeterea utrique parati sunt se subicere decisioni definitivae magisterii.[49]

c. Idem est *cultus officialis,* scil. sacrificium Missae. Eadem quoque sunt *7 sacramenta* tamquam media ad attingendum finem ultimum Ecclesiae, scil. gloriam Dei et salutem aeternam hominum.

Dices: Alia est sanctitas populi catholici, alia *religiosorum.*

R. *N.* vel *Dist.* essentialiter alia, i.e. ita ut aut populus catholicus aut religiosi negent normam ultimam sanctitatis omnis *N.* accidentaliter alia, i.e. ita ut religiosi se libere obligent ad maiorem sanctitatem et ad determinata media sanctitatis *Tr.* vel *C.* Sanctitas catholica ultimatim consistit in imitatione Christi sub ductu magisterii. Sed huius imitationis possunt esse multi gradus.[50]

d. Unitas catholica, praesertim regiminis et fidei, hodie bene elucet ex *encyclicis* etc., quae eduntur a Romanis Pontificibus et ubique recipiuntur.

Dices: Unitas fidei catholicae fluere debet ex unitate amoris; amor enim est lex suprema (Mt 5, 43; 22, 37), neque est vera unitas sine eo. Atqui in *bello magno* (1914-8) Ecclesia Catholica divisa erat in duo castra.

R. *C.M. Dist.min.* ipsa Ecclesia divisa erat, ita ut non iam esset unitas regiminis, fidei, cultus *N.* aliter *Tr.* Ex neutra parte Catholici negaverunt odium proximi esse prohibitum; at in tanta confusione rerum difficile erat harmonizare varia officia.

II. Veritas philosophica

1. Haec unitas est *incomparabilis*

Nam numquam exstitit neque nunc exsistit alia societas religiosa quae glorietur tali unitate catholica et constanti. Protestantes hodierni quaerunt unitatem fidei et cultus ("Federation of Churches", Lausanne, Stockholm, Oxford, Edinburgh, Madras), sed ad eam non perveniunt, quia respuunt unitatem regiminis. Recte eis applicatur dictum Tertulliani: "Schisma est unitas illis."[51]

Dices 1. Pulchrior est *diversitas* quam monotonia.

R. *Dist.* quoad necessaria et divinitus instituta *N.* quoad accidentalia *Tr.* In Ecclesia Catholica est et semper fuit maxima varietas in accidentalibus; v.g. in festis celebrandis, in modo praedicandi evangelium, in honorandis Sanctis etc. Ecclesia enim se accommodat moribus nationum et populorum.[52]

Dices 2. Datur principium altius quam fides, scil. *amor proximi,* quo uniri possunt religiones omnes omnesque homines.

R. Aliud est amor proximi, aliud amor erroris. Possumus et debemus amare homines omnes, sed non potest amari error.

Dices 3. *Buddhismus* gaudet eadem unitate atque Ecclesia Catholica.

---

[49] CE s.v. Molinism; Goebel p. 416; Przywara, in StZ 1933 p. 26-36.
[50] Rahner, in StZ Jan. 1939 p. 234-251.
[51] J. A. Otto, in StZ, Sept. 1939 p. 374-388.
[52] LThK s. v. Akkommodation; The Month 1937 p. 264-7.

R. *N.* Saltem eius unitas nequit dici catholica; nam Buddhismus vix sparsus est extra orientem.

Urg. Unitas vere catholica exsistit inter *Judaeos* mundi.

R. *N.* a) Non loquimur de religione Judaeorum ante adventum Christi. b) Usque ad saec. 19 religio Judaeorum non ita sparsa est inter nationes ut eas transformaret et se eis accommodaret, sed (sicut Judaei ipsi) restringebatur ad ghettos. c) Cum Judaei relinquerent ghettos, statim ortae sunt factiones, neque iam adest ulla auctoritas suprema.[53]

Dices 4. *Protestantes* habent unitatem fidei quoad fundamentalia.

R. *N.* a) Quis umquam statuit definitive quae sint omnia et sola fundamentalia? b) De facto est confusio maxima inter Protestantes etiam quoad fundamentalia fidei. c) Cum Protestantes extollant 'iudicium privatum', haec confusio adest de iure et per se.[54]

2. Haec unitas est *praeternaturalis.*

Sunt in homine tendentiae naturales ad *autonomiam,* ac proinde ad divisionem societatis cuius est pars. Quae tendentia est vera lex psychologica, atque fluit ex eo quod unusquisque est "persona".

Ergo unitas societatis diu exsistentis quae non subest huic legi, est praeternaturalis.

Atqui unitas Ecclesiae Catholicae non subest huic legi.

Ergo unitas Ecclesiae Catholicae est praeternaturalis.

Ad ant. Qua personae, singuli homines sunt non tantum independentes, sed etiam differunt indole nativa, educatione, circumstantiis externis (loco et tempore) etc. Hinc tanta varietas linguarum, morum, societatum etc. Unde a) difficilis est consensus et cooperatio in rebus etiam *levibus;* sic hodie nationes terrae quaerunt unitatem in rebus politicis, oeconomicis etc. neque succedunt. b) Difficilior est consensus in rebus *religiosis,* quae tangunt intima uniuscuiusque. c) Difficillimus est consensus *diuturnus* et *universalis* in rebus religiosis, cum mutentur "ideae", mores, circumstantiae etc.

Ad min. a) Unitas Ecclesiae Catholicae iam durat per 19 saecula, numquam amissa est aggregatione novorum populorum, hodie se

---

[53] D. Goldstein, olim Judaeus, haec habet: "Looking through the Judaic world, I found it religiously chaotic. No one therein could speak with authority on doctrinal matters, or even assumed so to do for a considerable number of Jews. That is why the genial Rabbi Isaac Landmann, Editor of the 'American Hebrew', could say: There is only one thing two Jews can agree upon, that is how much the third Jew should give for charity" (Autobiography p. 97).

[54] Goebel p. 418-420; Dorsch II p. 563; Walker p. 34-8.—Harnack non tantum admittit dissensum in rebus fidei esse principium protestanticum, sed eum laudat.

extendit ad 400 milliones, qui dissentiunt quoad cetera. b) Haec unitas non est mere externa, sed professio fidei ordinat eorum vitam usque ad particularia, etiam ad actus internos, saepe difficiles et arduos, reprimit tendentias malas et mores pravos. c) Semper aderant et hodie adsunt initia divisionis; v.g. episcopatus monarchicus, lingua, stirpes, nationes.

Dices: Facile retinetur unitas si *eiciuntur* schismatici et haeretici.

R. Cur tamen Ecclesia mansit universalis? Divisiones Protestantium fecerunt eorum ecclesias locales.

III. Veritas theologica

Influxus praeternaturalis cui debetur unitas Ecclesiae Catholicae, non potest provenire a daemone; nam hac unitate promovetur cultus Dei et vera sanctitas hominum. Ergo influxus est divinus.

IV. Veritas relativa

Nisi Ecclesia Catholica esset vera, Deus non posset patrare hoc miraculum sociale et historicum in ea; approbaret enim errorem.

D. Invicta Stabilitas

I. Veritas historica

Luce clarius est Ecclesiam Catholicam iam durasse per multa saecula. Neque latuit in aliquo angulo terrae (sicut v.g. Nestoriani), sed a) mox post suum ortum latissime diffusa est, b) mansit diffusa, c) quam primum propagata est ad terras novas.— Neque Ecclesia Catholica se segregavit a vita communi variarum gentium (sicut v.g. Judaei in suis ghettos), sed se posuit in medio earum vitae; se eis accommodavit quantum licuit, et ubi non licuit, mutavit vitam communem in melius. Non vitavit evolutiones politicas, oeconomicas, sociales, nationales, internationales, scientificas nationum, sed ubique ita vixit ut daret de suo et ab aliis acciperet.

Nihilominus Ecclesia Catholica non amisit suam identitatem substantialem, suam vitalitatem, suum influxum. Hoc dicimus esse miraculum sociale et historicum.

Quod ut pateat, consideranda sunt a) obstacula seu pericula, b) media naturalia ea arcendi, c) effectus.

1. *Obstacula*

a. Obstacula *interna* sunt triplicis generis: a) Periculum perpe-

tuum oritur ex diversitate gentium, nationum, populorum quos Ecclesia sub suum tectum congregat. Nationalismus et aversio mutua populorum impedit ne multae gentes colligantur in unum regnum aut collectae retineantur. Quod impedimentum crescit proportione fere geometrica quo maior est numerus populorum uniendorum et quo maior est eorum diversitas (quoad culturam, mores, indolem nativam etc.). Maximum autem problema oritur ubi tantum partes populorum pertinent ad Ecclesiam, ita ut vita Catholicorum fere tota degatur inter non-Catholicos.—b) In certis periodis apparuerunt alia pericula haud leviora: haereses et schismata, mores corrupti eorum qui debuerunt esse sal terrae, Caesaropapismus medii aevi, Josephinismus saec. 18 etc.—c) Tertium obstaculum est magna mutabilitas condicionum vitae (v.g. moderna media commercii, transportationis, publicationis); aut enim Ecclesia se accommodat novis condicionibus, et ipsa alia fieri videtur—aut retinet formas antiquas in mutatis condicionibus, et fit obsoleta.

b. Pericula *externa.* Ecclesia Catholica semper odio erat mundo. Quod odium erat universale, intensum, practicum, atque ex eo fluxerunt persecutiones perpetuae: Imperatores romani 3 primis saeculis; medio aevo Mahometani, Albigenses, Cathari; post saec. 16 Protestantes, Jansenistae, Gallicani. Saec. 19 ubique sparsus est rationalismus, liberalismus, modernismus; atque hodie contra Ecclesiam pugnant atheismus, nationalismus, saecularismus.—Interitum totius Ecclesiae minatae sunt gentes quae saec. 5-6 inundaverunt Europam et imperium romanum everterunt, quocum Ecclesia Catholica videbatur identica.

c. Utraque pericula, cum interna tum externa, activa erant per *totam historiam* Ecclesiae Catholicae: nunc magis tunc minus, nunc in una regione tunc in alia, nunc unum genus tunc aliud. Nullum saeculum, forte nullum decennium assignari potest quo Ecclesia ubique gavisa sit pace interna et externa.—Nullum est dogma, ritus, institutum, praeceptum vel consilium quod non sit aliquando impugnatum: multa saepe, aliqua semper.[55]

2. *Media*

Ecclesiae Catholicae, iuxta suam doctrinam, non licet vim vi repellere, fraudem fraude vincere, calumnias retorquere calumniis. Neque ei licet mutare sua dogmata, suam constitutionem, suum

---

[55]BN p. 675-692.

cultum, quantumcunque mutantur condiciones rerum. Sed eandem doctrinam praedicare debet semper et ubique, eandem vivere vitam, idem esse corpus Christi mysticum.

Hinc periculis internis et externis nihil habuit opponere nisi professionem validam eiusdem fidei, patientiam inexhaustam, exercitium virtutum omnium.

3. *Effectus*

Uti historia testatur, in his pugnis et procellis Ecclesia non succubuit neque senuit, sed mansit iuvenis et fortior evasit, vitam suam internam et externam confirmavit et auxit.[56]

II. Veritas philosophica

1. Haec stabilitas est *incomparabilis*

Nulla alia religio, ecclesia, secta etc. tam diu permansit inter tot tantaque obstacula, mediis naturaliter tam inadaequatis, effectu tam singulari. Immo aliae religiones, licet vix impugnentur, languescunt et senescunt, atque similes fiunt cadaveribus nondum decompositis.

Atque nota: Nulla alia religio imponit officia tam ardua, neque exhibet tantam unitatem, neque diffunditur inter tot gentes, neque se miscet tot controversiis ingeniorum sicut Ecclesia Catholica.

Dices: *Religio judaica* iam permansit per 4 milia annorum.

R. *N.supp.* Non arguimus ex nuda permanentia Ecclesiae, sed ex adiunctis concretis historicis quae militaverunt contra eius permanentiam.[57]

2. Haec stabilitas est *praeternaturalis.*

a. Omnia *instituta humana* una lege historica reguntur: oriuntur, paulatim crescunt et florent, dein senescunt et languescunt, tandem disparent. Qui processus eo citius finitur, quo magis diffunditur institutum, quo plures et potentiores sunt hostes, quo ineptiora sunt media conservationis seu stabilitatis.

Ergo conservatio seu stabilitas instituti quod non subiacet huic legi, dicenda est praeternaturalis.

Atqui Ecclesia Catholica non subiacet huic legi.

Ergo stabilitas Ecclesiae Catholicae est praeternaturalis.

Ad ant. Haec lex observata est quoad familias, gentes, formas politicas et sociales, religiones, systemata philosophica etc. Eam autem esse veram *legem* (i.e. rem debere ita esse naturaliter), patet

---

[56] Fox, in EcclR 1939 II p. 481-493.

[57] Dorsch I p. 773; van Noort, Rev. p. 176; Muncunill I p. 389.—Praeterea ipsa permanentia Judaismi videtur deberi speciali Dei providentiae. Cf. Cornely, Rom p. 613.

ex necessitate mutationis. Etenim a) instituta non vivunt nisi in personis quibus componuntur; atqui et personae ipsae et earum ideae, desideria etc. perpetuo mutantur; b) instituta debent accommodari novis adiunctis externis, defendi contra inimicos vel novas ideas etc.; c) media conservationis quae olim erant apta, gradatim fiunt inepta.[58]

Prob. min. Ecclesia Catholica a) semper fuit et est latissime diffusa, semper habuit et habet hostes plurimos et potentes, caruit mediis naturaliter aptis ad conservationem. Nihilominus b) Ecclesia floret vita perfecta sine mutatione essentiali, immo c) fortior evasit post tot impugnationes.

Confirmatur: Cur est quod inimici Ecclesiae toties praedixerunt eius interitum imminentem? Quia non viderunt ullum medium naturale quo Ecclesia conservaretur (sicut si viderent domum sine fundamento).

Dices: Causa stabilitatis Ecclesiae est eius *constitutio monarchica.*

R. a) In hac aetate democratiae, monarchia potius iudicatur causa infirmitatis. b) Sola constitutio Ecclesiae, licet admirabilis, non potest esse causa adaequata stabilitatis tam invictae. Aliae monarchiae perierunt; et unde est quod Catholici eam retinerunt per tot saecula?[59]

b. Speciatim in rebus *religiosis* viget lex degenerationis.

Quae degeneratio apparet semper et ubique. a) Apud gentes incultas et barbaras ubique praecedit religio purior et perfectior, sequuntur formae inferiores: animismus, fetishismus etc. b) Cultura hellenistica (graeca et romana) nullum in se continebat remedium quo mala ingravescentia sanari potuerint; immo quo altior erat cultura materialis, eo magis depravabantur mores et religio. c) Religio Judaeorum a Deo revelata erat atque agnita ut revelata; nihilominus populus Israel iterum atque iterum oblitus est foederis veteris, coluit deos alienos, adhibuit formas religiosas sibi interdictas; cecidisset in polytheismum nisi Deus misisset prophetas qui eos revocarent ad verum Deum.

Eadem lex degenerationis etiam observata est in iis qui deficiunt ab Ecclesia Catholica, sive sunt individua sive integrae gentes. Hi enim pedem non sistunt, sed delabuntur in errores semper plures ac graviores. Id quod cernitur in ecclesia graeca et quam maxime apparet in evolutione theologiae protestanticae.[60]

---

[58] Sertillanges p. 217-252.

[59] Dorsch I p. 774; Muncunill I p. 389; supra p. 412.

[60] Documenta historica quae huc pertinent, habes apud Baierl I 1 p. 143-231; DieckmannR p. 224-233; FelderA I p. 49-54; Muncunill I p. 70-4; Newman, Apol. p. 241-5; Prümm I p. 55-70; Duchaussois, Mid Snow and Ice ch. 4;

Hanc degenerationem religiosam esse non tantum factum historicum, sed veram *legem* (historicam), patet ex debilitate nostri intellectus atque ex pravis tendentiis voluntatis et appetitus sensitivi.

Sola Ecclesia non subiacet huic legi. Numquam enim mutavit suam doctrinam aut mitigavit vitam practicam.

Obicit O. Karrer (Religions of Mankind): Si extra Ecclesiam Catholicam vigeret haec lex degenerationis, iam diu evanuisset omnis religio et moralitas.

R. *N.* Obstat a) voluntas Dei salvifica universalis, b) revelatio data eiusque influxus, scil. per Ecclesiam Catholicam.

Veritas *theologica* et *relativa* probatur ut supra p. 482.

Corollaria

Ex thesibus 33-36 probatis sequuntur 3 corollaria: a) Ecclesia Catholica est *divinitus instituta,* et b) semper mansit *essentialiter identica* secum ipsa et cum Ecclesia a Christo instituta; c) magisterium semper vivum Ecclesiae Catholicae est *regula fidei catholicae.* Hae doctrinae enim pertinent ad fundamentalia Ecclesiae Catholicae; ergo si Deus positive approbat Ecclesiam, non potest non approbare has.

Schol. *Evidentia probationis*

Disputant theologi qualis sit probatio qua hucusque ostendimus a) divinitatem Iesu et factum revelationis christianae, b) institutionem divinam Ecclesiae Catholicae, c) institutionem divinam magisterii ut regulae fidei catholicae. Scil. disputant num haec probatio dici possit *evidens* ex mero lumine naturali.

Responsio *affirmativa* videtur esse certa. Difficultates autem quae interdum moventur, solvi possunt ex triplici distinctione evidentiae: a) Sane probatio non est immediate evidens, sed *mediate,* atque nititur multis factis, principiis, ratiociniis. b) Neque evidentia probationis est directe metaphysica, sed *moralis* (historica); potest autem dici reductive metaphysica, quatenus nititur principio metaphysico rationis sufficientis. c) Evidentia non est perfecta, quae cogat mentem et excludat omnem formidinem, sed *imperfecta,* quae tamen excludit omnem formidinem prudentem errandi.

Omnino autem negandum est (contra Rousselot, Tiberghien etc.) requiri *gratiam supernaturalem* ut acquiratur haec evidentia.[61]

Festugière, L'idéal religieux des Grecs.—Speciatim degenerationem theologiae protestanticae in America intra ultimos 50 annos bene describit Carl S. Patton, in Journal of Religion 1936 p. 445-462; infra p. 496.

[61] Pesch VIII n. 410-425; Falcon p. 48-50; Baierl I 2 p. 9-11; DA I col. 249; Ottiger I p. 269; van Hove p. 358-361.

APOLOGETICAE

PARS DECIMA

Apologetica Practica

Uti supra p. 18 dictum est, caute distinguatur Apologetica scientifica a practica. Nisi enim haec distinctio fiat, contra Apologeticam 'traditionalem' obiectiones urgentur quarum suppositum statim negandum erit, scil. eandem esse Apologeticam scientificam et practicam, vel proponuntur methodi novae ("Apologetica nova"), quarum novitas non semper aequat certitudinem.[1]

---

[1]Fenton, in EcclR 1936 I p. 483-491; Fox, ib. 1939 I p. 426-431; Smith, in Clergy Review, July 1939 p. 53-8; Tiberghien, in Revue apol. 1939 p. 2-14; idem, in Nouvelle Revue apol. 1939 p. 21-30; L. Kösters, The Church p. 16-24.

Introductio

1. Apologetica practica breviter definiri potest: Scientia et ars *convertendi non-Catholicos* ad Ecclesiam Catholicam. Prout est *scientia,* statuit principia et methodum operis apostolici; prout est *ars,* bene describitur a Lercher (I p. x) ut "dexteritas in inveniendis rationibus suasivis, accommodatis subiectivae indoli hominum quibus persuadenda est veritas religionis catholicae".

Duo notanda:

a. Uti patet ex definitione, quaestio est tantum de *adultis,* non de infantibus.

b. Interdum in munere Apologeticae practicae etiam haec includuntur: a) instruere Catholicos ut melius cognoscant et ament suam Ecclesiam; b) servare Catholicos a periculis civilizationis hodiernae semi-paganae; c) reducere 'malos' Catholicos ad vitam vere catholicam. Sed sic significatio vocis 'Apologetica' *ultra iustos limites* extenditur.

2. Dantur quidem problemata generalia Apologeticae practicae; v.g. quomodo Graeci schismatici vel sectae Protestantium reuniri possint cum Ecclesia Catholica, quae sit optima methodus lucrifaciendi apud nos nigritas, ruricolas etc. Haec tamen omittimus, et loquimur potius de conversione *individuorum,* praesertim hic in *Statibus Unitis Americae.*

3. Ea quae hac de re dicenda sunt, 5 capitibus proponuntur:

a. Invitatio
b. Argumentatio
c. Instructio
d. Introductio practica
e. Apostolus.

A. Invitatio

Duo principia generalia statui possunt: a) Apostolo Christi indignum est exspectare donec non-Catholici ad eum veniant veramque fidem petant. Christus non dixit Apostolis suis "exspectantes docete", sed "*euntes* docete". Neque Paulus post suam electionem mansit in "domo Judae", sed "continuo in synagogis praedicabat". —b) Medium *quodlibet* honestum quo homines hodie ad varia invitantur et attrahuntur, etiam Apostolo adhibere licet. Quae media sunt directa vel indirecta:

1. *Media directa*

a. Apostolus vel laici distribuant literaturam catholicam (pamphlets, booklets, weeklies) per domos non-Catholicorum.

b. Cursus instructionum annuntietur ex pulpitu, in diariis, per 'radio', per epistolas personales, per laicos in hunc finem organizatos (v.g. Vincentians) etc.

c. Statuto tempore vel data occasione, resolvantur quaestiones de Ecclesia Catholica (Open Forum, Question Box etc.), et curetur ut non-Catholicis innotescat occasio sibi oblata.

d. Exponatur veritas Ecclesiae Catholicae in viis publicis (Catholic Evidence Guild, Open Air Missions, Motor Missions etc.).

e. Sit locus in media urbe ubi quivis legere possit catholica. Etiam ei qui nondum cogitat de amplectenda religione catholica, talis occasio potest esse gratia externa (sicut S. Ignatius non coepit legere vitas Sanctorum ex desiderio vitae melioris, sed ex taedio). Adsint tamen qui ave dicant iis qui quaerant veram Ecclesiam.[1]

2. *Media indirecta*

a. Urgentissima invitatio ad fidem catholicam ac simul instructio omnium intellegentiae accommodata est *vita vere catholica* eorum qui iam sunt membra Ecclesiae. Sicut enim vita semi-pagana multorum Catholicorum scandalo est non-Catholicis, ita practica expressio fidei in vita cotidiana Catholicorum est invitatio et instructio suavis, constans, irresistibilis. Cur est quod religio christiana tam celeriter propagata est primis saeculis? Quia nemo potuit non videre fructus novae religionis. Atque licet ea aetate plura miracula fierent, haec plenam suam vim apologeticam non exercuissent nisi pagani oculis suis vidissent sanctitatem cotidianam Christianorum.

b. Cum mentalitas hodierna recuset syllogismos, miracula, dogmata etc., Providentia divina nobis praebet alia media quibus homines attrahi possint ad audiendum evangelium pacis. "The world has little taste for deep reasoning, and spurns or questions the authority rightly claimed by the Church for her doctrine, but it is still willing to judge Catholicity by its fruits and may be won by the overwhelming testimony of service, unselfishly given in every

---

[1]Rebesher, Convert-Making: EcclR 1929 I p. 344-359, 573-6; ib. 1935 II p. 60-3, 271-9, 337-345; ib. 1937 II p. 164; ib. 1938 I p. 59-62, 578-588; ib. 1939 I p. 132-142; ib. 1940 II p. 77-80; Cath. World 1933 p. 470-3; The Month 1936 p. 549-552.

department of human succor. This is the day of an active apostolate. . . . The apostolate . . . must pass over to the field of action, to our *works of justice and charity,* inspired by the example of the merciful Christ. It seems indeed that we must first serve and then teach, if we would reach the hearts of men" (Swanstrom, in EcclR 1934 II p. 234).[2]

3. *Oratio*

Quae hucusque dicta sunt, pertinent ad ministerium externum. Causa principalis invitationis autem est *gratia divina.* Declarat enim Conc. Trid. exordium iustificationis sumendum esse "a Dei per Christum Iesum praeveniente gratia", et peccatorem disponi "per eius excitantem atque adiuvantem gratiam" (D 797). Peccatores enim "nullis eorum exsistentibus meritis vocantur". Atque Conc. Vat. docet: "Benignissimus Dominus errantes gratia sua excitat atque adiuvat ut ad agnitionem veritatis venire possint" (D 1794).

Sicut igitur Deus aperuit cor Lydiae "intendere his quae dicebantur a Paulo" (Act 16, 14)—ita *oratio Apostoli* movebit Deum ut tangat corda non-quaerentium: "Converte nos, Domine, ad te et convertemur" (Lam 5, 21).

B. Argumentatio

1. *In genere*

1. Finis proximus Apologeticae practicae est idem ac finis ultimus Apologeticae scientificae. Scil. probandum est fidem veram esse *divinam et catholicam,* i.e. omnes debere a) credere ea quae Deus revelavit, b) admittere magisterium Ecclesiae Catholicae tamquam regulam huius fidei.

2. Si homines semper essent logici, argumentatio Apologeticae practicae fere coincideret cum scientifica. Sed res non est ita. Opus est *persuasione* magis quam logica. Apologetica practica quam maxime respicere debet *psychologiam* catechumenorum, i.e. eorum dispositionem nativam, habitus ac praeiudicia, obstacula theoretica et practica etc. Hinc argumentatio varianda est pro eorum aetate, sexu, indole, natione, educatione etc.

---

[2]Similia dicunt: W. H. Russell, ib. 1937 II p. 157; C. Bruehl et R. E. Lucey (episcopus Amarillensis, Texas), in Hom. and Past. Review 1935 p. 787-9; 1936 p. 468-477; J. Dey et C. C. Martindale, in The Month etc.

Quae regula non est nova, sed probata usu diuturno atque fundata in principiis theologiae. Nonne Christus variavit modum vocandi singulos Apostolos? Nonne Ecclesia prudenter accommodat suam praedicationem singulis nationibus et aetatibus? Sicut enim a parte rei non dantur nisi individua, ita etiam gratia, a qua tandem pendet conversio, est *individualis,* i.e. accommodata individuis.

3. Nihilominus homines utiliter dividuntur in *typos.* Licet enim unusquisque sit quasi ens sui generis, tamen est multiplex similitudo. Et nisi fieret aliqua classificatio catechumenorum, fere impossibilis fieret praeparatio ad hoc munus obeundum. Unde iam S. Augustinus divisit catechumenos suae aetatis in 4 classes.[3] Vel argumentatio adaptari potest diversis religionibus seu sectis ad quas pertinent catechumeni.[4]

2. *In specie*

Fides divina, ad quam ducere vult Apologetica practica, est assensus *rationabilis, liber, stricte supernaturalis.* His 3 proprietatibus fidei divinae respondet triplex praeparatio: a) *intellectui* proponenda sunt "motiva credibilitatis", i.e. tales rationes ut prudenter assentire possit; b) *voluntati* proponenda sunt "motiva credenditatis", i.e. talia bona ut intellectui imperare possit assensum; c) *Deum* enixe orare oportet ut det gratiam ad "desiderare et perficere".—Porro ut fides divina sit etiam *catholica,* curandum est ut magisterium Ecclesiae Catholicae admittatur tamquam regula fidei.

Pauca de singulis.

1. *Motiva credibilitatis*

a. Ut non-Catholicis ostendatur actum fidei esse *rationabilem,* adhiberi potest demonstratio Apologeticae scientificae. Quae tam fortis est ut per se gignat certitudinem formalem de praeambulis fidei. Revera sunt qui hac via pervenerunt ad fidem, uti constat ex eorum libris (v.g. Ruville, Stoddard, Delany). Eademque iure praefertur ubi catechumeni sunt viri "educati" (v.g. professores,

[3] De catechizandis rudibus c. 5-9.—Alia est quaestio quomodo *Americani* non-Catholici apte classificentur. J. J. Baierl (I 1 p. 136-140) enumerat 4 typos 'mentalitatis hodiernae'; ad scopum catecheticum E. J. Mannix (The White Harvest p. 115) distinguit 5 typos americanos.

[4] Cuius rei exemplum iam praebet S. Gregorius Nyss. in prologo ad Catecheses'.

ministri protestantes); hi enim minore gradu certitudinis contenti esse non debent.

Tria tamen notanda: a) Haec via hodie quidem spinosa est ob *problemata* quae ubique suscitantur a "criticis altioribus"; sed in concreto multa problemata praeteriri possunt; nam, uti testatur experientia, singuli paucis difficultatibus detinentur.—b) Minus apta probatio haec videtur esse pro iis qui carent sensu historico, vel quibus deest *cognitio historiae* antiquae sat ampla; esset probatio quasi in vacuo.—c) Hodie huc trahendae etiam sunt veritates quae pertinent ad *religionem naturalem* ac proinde ad philosophiam: exsistentia et attributa Dei, lex moralis, anima spiritualis, miracula etc.

b. At Apologetica scientifica non est unica methodus.

Secundum theologos omnes, fides divina non necessario supponit certitudinem formalem de praeambulis fidei. Non quidem sufficit certitudo "practica", qua agimus quasi simus certi, sed sufficit *respectiva,* modo hic et nunc quietet intellectum. Sic pueris sufficit evidens auctoritas parentum.[5]

Hinc non est necessarium (saltem ab initio) ut catechumeno proponantur argumenta scientifica et logice perfecta. Argumenta "imperfecta" (exempla, analogiae, argumenta ad hominem, auctoritas instruentis) saepe maiorem vim exercent in rudes quam docta demonstratio. Immo sicut pagani olim moti sunt ad fidem cum viderent miram constantiam martyrum, ita rudibus saepe sufficit convictio firma instructoris, assertio fortis saepe repetita veritatis etc.[6]

d. Bonum tamen erit si certitudo de praeambulis fidei sit formalis saltem in *fine* instructionum; secus enim aegre resistitur obiectionibus obortis. Hinc perveniendum tandem erit ad argumenta universaliter vera; inter quae eminet probatio ex miraculis.

e. Tria adhuc notanda: a) Ubi agendum est cum Protestantibus qui adhuc utuntur *terminis* catholicis (v.g. Ecclesia, revelatio, gratia, peccatum originale), caute videndum est num etiam notiones sint catholicae.[7] b) A catechumenis ipsis per se non est postulanda scientifica et distincta expositio argumentorum. Scil. non est exspectandum ut ipsi possint ea accurate explicare; sufficit omnino ut

[5] Mazzella, Virt. p. 394-403; Falcon p. 104-9; Billot, Virt. p. 312-4; Pesch VIII n. 297-304; Baierl I 2 p. 8-11; Garrigou-Lagrange p. 278-281.

[6] S. Augustinus, Ad Simplicianum 1, 2; BillotE I p. 46-7.

[7] Martindale, in Clergy Review, Aug. 1936 p. 120-6.

ea capiant *modo sibi accommodato;* plurimi Catholici non habent meliorem cognitionem.—c) Rudes interdum dant rationes vanas vel absurdas suae fidei; sic Huysmans suam conversionem tribuit 3 causis: haereditati, amori artis, taedio vitae. Cave ne eos male intellegas. Rationes ab eis allatae non sunt motiva directa fidei, sed indirecta. Scil. rationibus his ab eorum mente *removentur obiectiones* in se vanae vel absurdae, quae eos detinuissent nisi eiectae essent. Simile simili curatur.

2. *Motiva credenditatis*

a. Motiva credibilitatis ostendunt revelationem esse credibilem seu posse honeste credi. Credenditas plus dicit, scil. *obligationem* credendi atque appellat ad voluntatem.

Quidquid autem dicendum est de aliis temporibus hodie nemo est qui suadeat vim aut dolum. Actus fidei enim debet esse (psychologice) *liber.* Unde legimus in CIC: "Ad amplectendam fidem catholicam nemo invitus cogatur" (can. 1351). Cavendum quoque est ne catechumeni nimis cito ad baptismum impellantur et sic quasi cogantur.[8]

b. Catechumenis igitur proponenda sunt *motiva rationalia.* Talia sunt: a) *negativa,* quibus mere removentur obstacula, praeiudicia etc.; b) *positiva,* inter quae premenda sunt dictamen conscientiae amplectendi veram religionem, mandatum peremptorium Christi et poenae quas minatus est non-credentibus, necessitas Ecclesiae ad salutem etc.

Alia motiva per se non creant obligationem, sed sunt *suasiva*: pax interna Catholicorum, veritas et excellentia religionis catholicae, eius pulchritudo et foecunditas etc. Neque tamen sunt neglegenda.

c. His et similibus motivis intellectus inducitur ad formandum *iudicium practicum*: Bonum est mihi hic et nunc credere, vel debeo credere (iudicium credenditatis). Simul homo movetur ad eliciendam *"piam affectionem"* seu "pium credulitatis affectum": Volo credere. Atque sic homo iam ponitur in actu primo proximo ad eliciendum ipsum actum fidei: Credo.

3. *Oratio*

Conversio est opus Dei, non hominis. Id quod valet non tantum

---

[8]S. Thomas II II qu. 10 a. 8 "Utrum infideles compellendi sint ad fidem"; Suarez, De Fide, Disp. 18 s. 2-4; Guldner, in CE s.v. Conversion; DA I col. 697-9, 702-5; Ottiger II p. 272, 936-946; Pesch I n. 522; d'HerbignyE I p. 224-230.

de ipso actu fidei, quo homo se tandem plene subicit Deo, sed etiam de actibus praecedentibus. Scil.

a. Adultus *se disponere* debet ad iustificationem per actus salutares, quorum 6 enumerantur a Conc. Trid. (D 798).[9]

b. Iuxta theologos, *gratia elevans* necessaria est ad iudicium credenditatis et pium credulitatis affectum.[10]

c. Praeter gratiam elevantem potest etiam requiri gratia quae dicitur *medicinalis* seu sanans.

Potest enim esse ut homo, ob varias rationes, non sit satis aptus ad formandum iudicium credenditatis nisi iuvetur speciali lumine. Etiam pius credulitatis affectus homini animali difficilis videri potest: ob mysteria credenda, ob adhaesionem irrevocabilem, ob malos habitus eradicandos, ob iugum praeceptorum quod fides imponit etc. Unde recte dicit S. Gregorius: "Nisi divinus Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris" (Hom. 40 in Evang.).

Quae gratia medicinalis potest esse *entitative naturalis.* Sic potest Deus per externam providentiam iuvare catechumenos; v.g. dirigendo instructorem ut res aptius proponat, arcendo res vel personas quae possent creare difficultates etc. Vel potest Deus intus illuminare intellectum ad veritatem melius capiendam, impedire ne dubia exsurgant etc. Sed sicut Christus et Apostoli patraverunt miracula, ita hodiernus apostolus indiget assistentia speciali Spiritus s.[11]

d. Ex his omnibus unum evidenter sequitur: Quamvis Apologetica practica sit scientia et ars, non tam fidendum est scientiae instructoris vel eius arti dialecticae aut oratoricae, neque etiam eruditioni aut bonae dispositioni naturali catechumeni, quam *orationi* et *bonae vitae.* Instructor igitur enixe commendet catechumenis humilem orationem et abnegationem sui, ut Deus det eis gratiam suam sive medicinalem sive elevantem. Atque ipse hanc eandem gratiam eis impetret oratione fervida et vitae sanctitate.

4. *Fides catholica*

Maxime necessarium est ostendere catechumenis obligationem se

---

[9] Lange p. 230.

[10] Mazzella, Virt. p. 359-360; Wilmers, Lehrb. I p. 78-80.—Gratiam elevantem requiri ad iudicium credibilitatis, communius negant theologi. Cf. Lange p. 212-220.—"Supposita sufficienti notitia revelationis, posset quidem homo absolute etiam naturalem actum fidei elicere; at hic actus non responderet revelationi, in quantum haec pertinet ad ordinem supernaturalem, et ideo requiritur gratia elevans" (Pesch VIII n. 176).

[11] Suarez, De Fide, Disp. 4 s. 1 n. 6; Pesch VIII n. 172-6; Hervé I p. 91-2.

subiciendi iudicio magisterii authentici Ecclesiae in rebus fidei et morum. Ex voluntate Christi enim non sufficit elicere privatim actum fidei, sed omnes tenentur ingredi Ecclesiam ac profiteri fidem qua membra Ecclesiae Catholicae.

C. Instructio

Pauca dicenda sunt de materia et methodo instructionis, de obiectionibus catechumenorum et de modo eis respondendi.

1. *Materia instructionis*

Non est necesse ut instructio se extendat ad omnes veritates publice revelatas aut etiam ad omnes quae ab Ecclesia proponuntur explicite ut revelatae et credendae. At a) omnino requiritur ut catechumenus *implicite* credat utrasque: Credo quidquid Deus revelavit; credo quidquid Ecclesia proponit credendum. b) Necesse est ut quaedam veritates credantur *explicite* et distincte. Quaenam hae sint, docet Theologia moralis. Sed c) in ordinaria instructione adulti haec erunt explicanda et inculcanda: Oratio Dominica cum salutatione angelica, symbolum apostolicum, decalogus et praecepta Ecclesiae, doctrina catholica sacramentorum et virtutum.[12]

2. *Methodus instructionis*

a. Nimis evidens est linguam, exempla, motiva, totam methodum *accommodandam* esse homini moderno. Sed notandum est etiam homines modernos esse "rudes" (sensu S. Augustini), i.e. eos scire neque theologiam neque philosophiam neque historiam Ecclesiae Catholicae neque eius organizationem. "Usus te plura docebit".

b. *Expositionem* claram potius quam argumenta et controversias commendat Mr. Sheed in EcclR 1934 I p. 45, 51: "Proof has ceased to be the apologist's principal weapon. Prove to a modern crowd that Our Lord instituted confession—they will simply say: 'What if He did'? Prove that He is God—they will say, 'What if He is'? Prove that the Pope is not anti-Christ—they can but yawn and ask, 'Who is then'? Proof is always wasted on a man who is not interested in the question". "The general aim of Evidence Guild apologists is to show what the doctrines of the Church are rather than why they should be believed: the doctrines themselves make a greater appeal to the mind than any line of argumentation on their

---

[12]Quomodo haec reduci possint ad unitatem aliquam, cf. W. H. Russell, in EcclR 1937 II p. 145-158.

behalf. In practice, they do not need to be justified, but to be stated—but to be stated in such a way that the crowd shall see them in their inner content, their implications, their bearing on God's nature and man's nature and the meaning of life".[13]

Ne tamen prorsus neglegantur *argumenta.* Omnes homines gaudent facultate recte cogitandi. Ipsi rudes non tantum callent logicam naturalem, sed etiam sentiunt discrimen inter sophismata et rationes bonas. Atque quo maior est numerus catechumenorum simul instruendorum, eo magis oportet sequi logicam.

c. *Oratio* qua impetratur gratia divina, praemittatur cuilibet instructioni, eam comitetur et sequatur.

3. *Obiectiones*

Hae possunt esse theoreticae vel practicae. Scil. potest esse ut aliquis renuat fieri Catholicus a) vel quia non potest sibi persuadere fidem catholicam esse veram (sive totaliter sive partialiter), b) vel si fieret Catholicus, vitam mutare deberet (v.g. ob malos habitus). Loquimur de obiectionibus prioribus.

Omni saeculo, obiectiones factae sunt contra fidem catholicam: contra singula dogmata vel praecepta, contra vitam Ecclesiae eiusque influxum etc. Protestantes, ex proprio nomine, obicere debent. Singulae obiectiones solvi quidem possunt quantum necesse est, sed semper manebit obiectio principalis: auctoritas magisterii.

Novus autem cumulus obiectionum oritur ex *mentalitate hodierna.* Quae licet una nomine, re multiplex est. Nihilominus eius obiectiones reduci possunt ad pauca capita.

a. *Indifferentismus.* Homini moderno persuasum est se posse aeque bene vivere sive profitetur religionem aliquam sive non; saltem impossibile putatur dicere quae sit religio vera. Hinc instructio religiosa omnis prohibetur in scholis, et denominationes variae contentae sunt unione mere externa (v.g. The Federal Council of the Church of Christ in America).[14]

---

[13]Ei consentit J. Petersen, in Hom. and Past. Rev. Febr. 1934 p. 480-5. Etiam D. Goldstein pervenit ad hanc conclusionem: "The best apology for the truth is its simple presentation".

[14]"The easiest way to characterize our era is to give it the label of indifferentism" (W. H. Russell, in EcclR 1937 II p. 146). "In recent years there has come into existence in the U. S. an apathy toward religion or even a hostility toward the traditional doctrines common to all forms of Christian belief. The decadence is evident in the change of religious interests and attitudes as reflected in books and magazines as well as in the churches and their attendance" (ib. 1934 II p. 482). Cf. Walker p. 1-8.

b. *Autonomia.* Propter modernas notiones libertatis individualis, auctoritas externa a priori reicitur, maxime in rebus religiosis. Hinc ille 'horror dogmatis'; dogma enim in suo conceptu dicit obligationem credendi impositam ab auctoritate externa.[15]

c. *Ignorantia.* Dubium non est quin plurimae falsae notiones de Ecclesia Catholica sparsae sint inter non-Catholicos. Ecclesia timetur et horretur ob suam organizationem, ob primatum et infallibilitatem Romani Pontificis, ob oboedientiam caecam, ob dominium super conscientias etc.[16]

d. *Scientismus.* Esse contradictionem inter scientias hodiernas et fidem catholicam, tenetur quasi axioma. "Modern movements are usually promulgated under the guise of science. Not that the honest scientists are implicated, but the propagandizers know how to pose as scientific. Karl Marx is only one among many who claimed that they had discovered the scientific laws of society. The evolutionary march was assumed to outlaw all ancient truths and practices" (W. H. Russell, EcclR 1937 II p. 145-6).

e. *Phobia miraculorum.* Cum medio aevo homines amarent et quaererent miracula, hodie miracula negleguntur vel ridentur. Atque ipsa possibilitas miraculorum a priori negatur. Quae phobia est fructus deismi et rationalismi.

4. *Responsiones*

Generatim loquendo, praestat dare responsionem indirectam, scil. per claram *expositionem veritatis.* Postquam veritas splendere coepit in sua luce, unum vel alterum verbum sufficit ut expellantur tenebrae obiectionum.[17]

Directa responsio autem potest esse positiva vel negativa. *Positiva* si danda sit, sit omnino valida et vera. *Negativa* iterum duplex esse potest: vel ostenditur absurditas obiectionis, vel impossibilitas probandi falsitatem eorum quae credenda sunt.[18]

---

[15]Ut minuatur vis huius obiectionis, in Gallia orta est nova "Apologetica immanentiae". Scil. revelatio et dogma non proponitur ut aliquid ab extra, sed ut implens desideria naturae humanae. Cum tamen haec methodus vix habeat serios sequaces apud nos, de ea fere nihil diximus.

[16]Considera v.g. obiectiones miras quas collegerunt Conway (Question Box) vel M. Ward (Training Outlines etc.).

[17]"Usually it is better not to offer explanations of objections other than to state that they will be taken care of in the course of instructions. The exposition of a distinct doctrine, apart from the whole system, is usually not satisfactory" (D. J. Sullivan, in Hom. and Past. Rev. Jan. 1936 p. 376).

[18]Haec ultima solutio quoad multa est sola possibilis; v.g. ubi agitur de mysteriis stricte dictis, vel ubi solutio positiva superat captum catechumeni.

Tria notanda:

a. Apologeta catholicus non debet audire dicentes: "Loquimini nobis placentia" (Is 30, 10). Veritas catholica ***non est minuenda aut deprimenda*** ne offendatur mentalitas hodierna. Cum in Conc. Vat. episcopus Rumaniae timeret ne definitio primatus obesset conversioni orthodoxorum, Zinelli respondit: Cum tempus venerit, Deus movebit eorum corda et mentes; interim oremus pro eis et impavide definiamus veritatem.[19]

b. Neque Apologeta approbare debet aut confirmare phobiam illam *miraculorum* qua vexantur non-Catholici. Neque coaevi Christi eius miracula accipere voluerunt; nihilominus Christus non desiit ea patrare et ad ea appellare. Quodsi quis dicat[20] "miracles do not make converts" distinguamus: miracula per se non efficiunt fidem *C.* miracula non sunt motiva credibilitatis "hominum, etiam huius temporis, intellegentiae maxime accommodata" (D 2145) *N.*

Bene autem sciat Apologeta probare (ex lumine rationis) veritatem quadruplicem miraculorum, praesertim eorum quae narrantur in evangeliis.[21]

c. Apologeta non debet a priori negare fuisse aut esse *scandala* in Ecclesia Catholica. Ecclesia est coetus hominum, non angelorum. Eis autem tria responderi possunt in genere: a) multa scandala sunt ficta (v.g. papissa Johanna); b) multa excusari possunt per hominum fragilitatem, temporum condiciones etc.; c) scandalis veris opponantur tot sancti, tot missionarii, tot viri et mulieres et senes et iuvenes qui virtutum exempla praebent etiam heroica.[22]

D. Introductio Practica

Instructionis finis nequaquam est facere catechumenos theologos aut exegetas aut casuistas aut philosophos, sed ***bonos Catholicos.*** Ad id autem non sufficit instructio mere theoretica, sed curandum est ut catechumeni *assuefiant* agere vitam vere catholicam. Unde:

a. Cum vita catholica consistat in ***imitatione Christi,*** catechumeni familiares fiant cum eius vita. Quem ad finem, suaviter inducantur legere ac meditari evangelia, Imitationem Christi, vitas Sanctorum.

b. Catechumeni etiam inducantur in vitam ***cotidianam*** catholicam. "The neophyte is to be instructed and directed in prayer and in the use of devotions; the mind has to be trained to habitual obedience to the Church in matters of religion, and familiarized with those practices that are preeminently Catholic, such as intentions, aspirations, praying for the Holy Souls, visits to the Bl. Sacrament

---

[19] C. Butler II p. 83, 86.

[20] EcclR 1939 I p. 429.

[21] Ob cultum "scientiarum", phobia miraculorum hodie habet pro obiecto miracula physica. Hinc interdum praeferenda sunt miracula ***moralia,*** contra quae minus est praeiudicium.

[22] supra p. 466-9; Gillis, in Cath. World, March 1937 p. 641-650.

and such like. . . . At first all attention should be concentrated on the assisting at Mass well, approaching the Sacraments with due dispositions, performing the duty of daily prayer with exactitude, carefully observing the fasts and abstinences of the Church—in a word, teaching the practice of ordinary Catholic life" (Capel, in Preface to Bagshawe's Threshold etc.).

c. Catechumeni ne relinquantur soli, sed inducantur etiam in vitam *parochialem*. Sic tandem plene incorporantur in corpus Christi mysticum, cuius cellulae quasi sunt parochiae.[23]

E. Apostolus

1. *Persona*

Munus convertendi non-Catholicos ad veram fidem primarie pertinet ad eos qui in Ecclesia constituti sunt *pastores,* i.e. Rom. Pontifex pro mundo universo, et singuli episcopi in suis dioecesibus. His enim tamquam successoribus Apostolorum Christus dedit mandatum: "Docete omnes gentes".[24] Qui tamen hoc munus *delegare* possunt et generatim delegant aliis: parochis, religiosis, missionariis, ut regnum Dei tandem extendatur "ad ultimum terrae".[25]

2. *Dotes Apostoli*

Per se patet non quemlibet theologum aut sacerdotem esse eo ipso aptum subire hoc munus. "Contingit interdum ut quis minus eruditus in philosophia et theologia maiori cum successu disputet cum infidelibus quam vir profunde literatus" (Lercher I p. x). Ad specialem praeparationem Apostoli autem tria requiruntur:

a. *Amor*

Apostolus imprimis flagrare debet amore Christi et Ecclesiae, dein amore animarum pro quibus "Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum". Quem amorem utique non obtinebit nisi frequenter meditetur vitam ac personam Christi, mirabilem splendorem Ecclesiae, miseriam spiritualem eorum qui vivunt extra eam.

---

[23]Multi, ob conversionem suam, relinquuntur ab amicis et cognatis, ita ut sint quasi soli in mundo. Atqui "non est bonum esse hominem solum". Unde neo-conversi mox inducantur in vitam *socialem* parochiae, ita ut se vere sentiant membra societatis novae.

[24]CIC can. 1350.

[25]Die kath. Missionen 1935 p. 233-5; Drought, in Eccl. Rev. 1940 II p. 77-80. —Quoad auctoritatem docendi non-Catholicos, cf. Straub II p. 19, 35; van Laak, Rep. p. 424-6.

Ex hoc amore fluet imprimis *zelus animarum.* Apostolus sibi applicabit id quod Yahwe dixit Isaiae: "Clama; ne cesses"; atque ea quae in aure audierat, praedicabit "super tecta".—Neque Apostolus terrebitur difficultatibus aut parvo successu; non curabit dispositionem audientium, sive sunt frivoli et carnales sive parati accipere verbum vitae. Sed erit sicut Pater caelestis "qui pluit super iustos et iniustos", et sicut Dominus cuius semen partim cecidit secus viam, partim super petram, partim inter spinas. In animis generosis enim fructus erit centuplum.[26]

Ex eodem amore non potest non fluere magna patientia et *mansuetudo,* quae omnino necessariae sunt in hoc munere exercendo. Catechumeni enim miseratione digni sunt, indulgenter habendi, placide curandi. Unde S. Petrus Damianus: "Cum quis de hoc negotio litem movet, admonendus est ut non contumeliae iurgio vel superbiae typho contendentem exasperet, sed eius mentem caritate benevola et patientissima suavitate demulceat. Lapideum cor, quod effusa amaritudine deterius poterat obdurescere, modesta verborum dulcedo ad credendum forsitan valebit emollire" (Opusc. 2).[27]

b. *Oratio*

"Convert-making means leading stray sheep to the fold. It means bringing souls to God. Therefore the starting-point must be the Altar. It must be from the home of God on earth that the grace for the successful performance of the work must come. The average priest willingly admits this fact in theory; perhaps it is not the custom in practical life" (Dowd, in The White Harvest p. 81).

Is igitur qui cupit esse bonus Apostolus, oret atque Deo digne serviat ipse ut Deus det operis incrementum; ad eandemque gratiam impetrandam catechumenos iubeat orare Deoque digne servire.

c. *Studium*

Oportet tandem ut Apostolus bene cognoscat *religionem catholicam*: ipsam doctrinam, varias methodos variaque argumenta quibus non-Catholicis persuadere possit eius veritatem et necessitatem, vim probativam argumentorum cum in se tum in concreto. —Oportet quoque ut sciat a) dispositionem generalem et particularem (mentalitatem, loquelam etc.) eorum quos Christo

[26] W. H. Russell, in EcclR 1937 II p. 147-8; J. A. O'Brien, ib. 1938 II p. 538-546.

[27] Hannan, in EcclR 1936 I p. 501-511.

lucrifacere conatur, b) obstacula (praeiudicia, obiectiones, impedimenta socialia vel oeconomica) quibus praedicatio sua frustrari possit, c) varias methodos quibus obstacula superari possint.[28]

Fontes autem unde hanc cognitionem sibi acquirat, sunt: a) varii tractatus Theologiae, maxime fundamentalis, b) propria experientia, maxime examen conscientiae, c) libri eorum qui suam conversionem descripserunt, atque etiam scripta non-Catholicorum.

3. *Actio catholica*

His ultimis decenniis, Rom. Pontifices non cessant urgere etiam laicos ut agant suam partem in hoc apostolatu. Atque "actionis catholicae" est iuvare eos qui ex officio curant salutem animarum.[29]

Huc pertinere videtur ut etiam laici sint "parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quae in eis est, spe" (supra p. 21). Laici igitur proficiant in cognitione Ecclesiae Catholicae, atque ediscant argumenta quibus eam aliis persuadere possint et respondere obiectionibus vulgaribus.—Idem a fortiori valet de iuvenibus qui incumbunt studiis altioribus. Sic non solum ipsi firmantur contra errores ubique grassantes, sed paratur occasio frequens seminandi bonum semen.

Literatura

1. Libri qui agunt de arte Apologeticae practicae

a. *S. Augustinus,* De catechizandis rudibus; De utilitate credendi.—*Card. Newman,* Grammar of Assent.—*M. Ward,* Catholic Evidence Training Outlines.—*F. Weaver,* Hints for the Instruction of Converts.—*E. J. Mannix,* The American Convert Movement.—*J. A. O'Brien,* The White Harvest.—*D. Goldstein,* Campaigning for Christ; Campaigners for Christ Handbook.—*Atkinson,* Broadcasting Your Talk.—*C. C. Martindale,* Gates of the Church.—*C. F. Rebesher,* Convert-Making.—*A. L. Ostheimer,* Instructions for Non-Catholics before Marriage.—*Bishop Noll,* Father Smith instructs Jackson.

b. Utiliter consuluntur: DA I col. 220-2, 241-4.—*R. H. Benson,* Non-Catholic Denominations.—*J. Bonsirven,* Juifs et Chrétiens.—*Algermissen,* Konfessionskunde.

2. Libri in quibus auctores describunt suam conversionem

a. Symposia: *G. P. Curtis,* Some Roads to Rome in America;

---

[28] M. Ward, Training Outlines p. 28-44; Hogan, Clerical Studies p. 80-137.
[29] Clergy Review 1936 p. 349-355, 451-8; ib. 1939 p. 189-200, 216-225.

Beyond the Road to Rome.—*M. Leahy,* Conversions to the Catholic Church.—*A. Lunn,* Roman Converts.—*H. Belloc,* Why I am and why I am not a Catholic.—*A. S. Driscoll,* Literary Convert Women. —"Through Hundred Gates".—"Through Four Gates".

b. Libri individuales: *S. Augustinus,* Confessiones.—*Card. Newman,* Apologia pro vita sua.—*T. W. Allies,* A Life's Decision. —*Card. Manning,* Why I became a Catholic.—*R. H. Benson,* Confessions of a Convert.—*O. R. Vassall-Phillips,* After 50 Years.—*Joergensen,* Autobiography.—*J. Huntington,* Gropings after Truth. —*Ruville,* Back to Holy Church.—*A. Lunn,* Now I see.—*A. Noyes,* The Unknown God.—*G. K. Chesterton,* Autobiography.—*Sheila Kaye-Smith,* Three Ways Home.—*S. B. James,* The Adventures of a Spiritual Tramp.—*J. Moody,* The Long Road Home.—*E. M. H. McKerlie,* Rome via Whithorn.—*G. A. S. Norman,* Into the Living Waters.

O. Brownson, The Convert.—*Stoddard,* Rebuilding a Lost Faith.—*Kinsman,* Salve Mater.—*Delaney,* Why Rome?—*Verkade,* Yesterdays of an Artist Monk.—*McGillivray,* Through the East to Rome.—*W. E. Orchard,* From Faith to Faith; The Inevitable Cross.—*S. Atkinson,* My Catholic Neighbors.—*Ross S. J. Hoffman,* Restoration.—*H. Sutherland,* My Path to Rome.—*A. J. F. Stanton,* Impressions of a Pilgrim.—*T. S. Gregory,* The Unfinished Universe.—*P. Fry,* The Church Surprising.—*V. Johnson,* One Lord One Faith.—*L. Stancourt,* A Flower for Sign.—*W. H. Friedmann,* The Cross and the Star of David.—*M. P. Hilliard,* The Gracious Years.—*Dorothy Day,* From Union Square to Rome.—*Th. H. Dorsey,* From a Far Country.

3. Libri qui respondent variis obiectionibus

Card. Newman, Difficulties of Anglicans; Present Position of Catholics in England.—*Card. Manning,* Religio viatoris.—*Card. Wiseman,* Lectures on Catholic Doctrine.

R. H. Benson, Paradoxes of Christianity.—*J. B. Bagshawe,* The Threshold of the Catholic Church.—*Humphrey,* The Divine Teacher.—*Wilberforce,* Principles of Church Authority.—*G. K. Chesterton,* The Catholic Church and Conversion.

C. F. Smarius, Points of Controversy.—*Gibbons,* Faith of Our Fathers.—*Windle,* Church and Science.—*Otten,* The Reason Why. —*Scott,* Credentials of Christianity; Religious Certainty.—*G. M. Searle,* Plain Facts for Fair Minds.—*C. J. Eustace,* Romewards.—*Conway,* Question Box.—*J. E. Graham,* The Way of the Skeptic.

Theologiae Fundamentalis

TRACTATUS ALTER

FONTES REVELATIONIS

1. Inde a Melchiore Cano, O. P. (saec. 16), alter tractatus Theologiae fundamentalis saepe inscribitur *"Loci theologici"*. "Locus" (τόπος Aristotelis) enim est id unde argumentum desumitur, seu est id quo aliquid probatur, declaratur, impugnatur. Cum igitur Theologia sit scientia fidei, loci theologici sunt ea quibus a) probatur aliquam propositionem esse revelatam, b) veritates revelatae uniuntur in systema, c) refutantur adversarii.

Melchior Canus ipse enumeravit *10 locos theologicos*: Scripturam, traditiones Christi et Apostolorum, Ecclesiam Catholicam, Concilia oecumenica, Romanum Pontificem, Patres, Theologos, rationem naturalem, philosophos, historiam. Qui quidem faciunt ad aedificationem totius theologiae (positivae, speculativae, scholasticae), sed inter se et in sua applicatione valde differunt.[1]

2. Hodie tractatus alter Theologiae fundamentalis fere restringi solet ad *theologiam positivam* atque respondet uni quaestioni: Unde *magisterium* semper vivum Ecclesiae Catholicae haurit suam cognitionem *revelationis publicae,* seu quomodo magisterium semper vivum scit quid sit publice revelatum ac proinde Catholicis proponendum ad credendum. Magisterii munus praecipuum enim est praedicare (proponere) revelationem publicam.

Verum quidem est Dominum promisisse Apostolis eorumque successoribus Spiritum s. qui suggerat eis "omnia quaecunque dixero vobis" (J 14, 26). Sed tantum abest ut haec assistentia divina superfluam reddat cooperationem humanam, ut eam potius connaturaliter postulet.

Probabimus igitur duo esse fontes revelationis publicae: *S. Scripturam* et *Traditionem,* seu uti loquitur Conc. Trid. "libri scripti et sine scripto traditiones" (D 783), et Conc. Vat. "verbum Dei scriptum vel traditum" (D 1792).

Praeponenda autem est Traditio S. Scripturae. Nam auctoritas dogmatica Traditionis probari potest independenter ab auctoritate dogmatica S. Scripturae, sed non viceversa.

3. His autem praemittenda est veritas catholica quae *supponitur* in toto tractatu, scil. revelationem publicam *cessasse cum Apostolis,*

[1] A. Lang p. 80-9.

ac proinde post Apostolos non fuisse aut exspectandam esse novam revelationem publicam. Si enim daretur revelatio post-apostolica, novus posset esse fons revelationis.

4. Unde hic erit *ordo dicendorum*:

a. Depositum fidei

b. Traditio

c. S. Scriptura

5. *Methodus* iam est *per se dogmatica,* quatenus procedimus sub ductu positivo magisterii (supra p. 19, 20). At ab initio non utemur S. Scriptura et Traditione nisi ut fontibus historicis.

FONTIUM REVELATIONIS

PARS PRIMA

Depositum Fidei

THESIS 37

Revelatio publica clausa est in et cum Apostolis.

Cf. S. Thomas I II qu. 106 a. 4; S. Bellarminus, De Verbo Dei IV; Suarez, De Fide, Disp. 2 s. 6.

Bainvel, Mag. p. 125-9; Beraza, Virt. p. 164-190; Billot, Virt. p. 256-268; DieckmannE II p. 127-151; Dorsch II p. 656-9; DThC s.v. Dogme col. 1599-1602; Franzelin, Trad. p. 263-277; de Groot p. 278-282; Mazzella, Virt. p. 265-9; Ottiger II p. 350-8; Pesch VIII n. 235-240; Wilmers p. 596-608.

1. *Termini*

a. *Revelatio* est locutio Dei attestans seu verbum Dei attestatum. Loquimur tantum de iis rebus quae sunt revelatae *formaliter* (explicite vel implicite), non de virtualiter revelatis aut de rebus conexis cum revelatione.

b. Revelatio *publica* est ea quam Deus intendit pro mundo universo. Non loquimur de revelationibus privatis.

c. *Apostoli* sunt "duodecim" discipuli quibus Christus promisit ac contulit munus regendi et docendi Ecclesiam suam.

2. *Problema*

Revelatio publica quam Christus attulit, tripliciter sumi potest: vel de *tota oeconomia christiana* (fides, cultus, regimen etc.), vel de *re particulari* pertinente ad eam, vel de utriusque *sensu*. Unde tres quaestiones moveri possunt:

a. Sicut oeconomia vetus abolita est per oeconomiam christianam, quaeri potest num etiam haec abolenda sit per *novam*.

b. Sed etsi supponatur oeconomiam christianam duraturam esse usque ad finem mundi, adhuc quaeri potest utrum omnia quae ad eam pertinent, iam sint revelata, an fortasse locus sit *novis* revelationibus particularibus.[1]

c. Tandem quaeri potest utrum oeconomia christiana cum singulis veritatibus revelatis semper intellegenda sit eodem sensu, an fortasse, decursu temporum, *aliter intellegi* possit vel etiam debeat.

---

[1]A posteriori haec quaestio etiam sic poni potest: Ecclesia Catholica interdum definit "nova dogmata"; sic Immaculata Conceptio definita est anno 1854, infallibilitas Rom. Pontificis anno 1870. Unde quaeri potest: Num Ecclesia tunc temporis recepit novas revelationes?

3. Triplici huic quaestioni respondet triplex probatio:

a. Oeconomia christiana *qua totum,* quae revelata est Apostolis, non est abolenda, sed manebit usque ad finem mundi.

b. *Omnia et singula* quae pertinent ad hanc oeconomiam, revelata sunt Apostolis.

c. Retinendus est *sensus* idem quo Apostoli intellexerunt et oeconomiam totam et singulas eius res.

4. Inde patet quid sibi velit *"clausa est in et cum Apostolis"*. Scil. non praecise dicimus solos Apostolos olim accepisse revelationem christianam (multi enim praeter Apostolos audierunt praedicationem Christi, et angelus Gabriel revelavit Mariae conceptum virginalem); sed dicimus totum depositum fidei revelatum esse tempore apostolico atque *acceptum qua revelationem publicam ab Apostolis.*

Tria notanda:

a. Quamquam Apostoli acceperunt maximam partem depositi fidei "ab ipsius Christi ore" (ante eius mortem et post resurrectionem), dubium non est quin Apostoli receperint novas revelationes particulares *post ascensionem Domini* (cf. D 783). Disputant autem theologi utrum omnes receperint die Pentecostes (ita Banez) an gradatim (ita Suarez, Lugo etc.).[2]

b. Omnes quidem Apostoli acceperunt oeconomiam christianam qua totum aliquid; omnes enim eam praedicare debuerunt. Quaeri autem potest num singulae veritates revelatae vel etiam notae fuerint *singulis Apostolis.*[3]

c. Ad thesim parum refert quis fuerit *ultimus* Apostolus, et quando praecise mortuus sit. Generatim tamen dicunt S. Ioannem fuisse ultimum Apostolum et mortuum esse circa 100.

Thesis est *de fide divina et catholica*: D 783, 1800, 1818, 1836, 1860, 2021.[4]

ADVERSARII

1. Contra primam partem

Mohammed (mort. 632) admisit quidem prophetas V. T. missos esse a Deo (Allah) et Iesum Nazarenum fuisse verum prophetam, sed seipsum dixit ultimum et maximum prophetarum, sibique

---

[2] Vacant I p. 377-9.
[3] Qua de re cf. Beraza p. 189-190; DieckmannE II p. 128-9.
[4] Draguet, in BN p. 1169-1170.

firmiter persuasit novam suam religionem esse revelationem divinam.[5]

Post Reformationem saec. 16, multi fundatores sectarum annuntiaverunt specialem illuminationem Spiritus s. et fundationem Ecclesiae *novae ac perfectae*. Ita Anabaptistae, Quakeriani, Swedenborgiani, Irvingiani, Mormones etc.[6]

Saec. 19, *Fichte* et *Schelling* distinxerunt 3 ecclesias christianas: Petrinam (Catholicorum), Paulinam (Protestantium), Iohanneam (adhuc futuram). Eis assensit Döllinger.[7]

Paulum aliter rem conceperunt *modernistae*: D 2060.

2. Contra secundam partem.

Montanistae et *Manichaei* (saec. 2 et 3), *Joachim abbas* (medio aevo) exspectabant novam effusionem Spiritus s. et substantiale augmentum depositi fidei (evangelium aeternum).[8]

3. Contra tertiam partem

Iam *deistae* saec. 18 docuerunt formulas dogmaticas non habere nisi valorem relativum, ac proinde mutari posse ac debere. Speciatim *Lessing* docuit religionem christianam esse perfectibilem.—Saec. 19, *Günther, Frohschammer, evolutionistae* dixerunt dogmata christiana accommodanda esse progressui hodierno, ac proinde aliter nunc intellegenda esse quam olim intellecta sint.—Eadem, saec. 20, erat sententia fundamentalis *modernistarum*.[9]

Duae primae partes probantur

Arg. 1. *Ex iugi magisterio*

a. Magisterium Ecclesiae Catholicae *explicite docet* se non exspectare novam oeconomiam aut revelationem, sed "traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum" sibi esse sancte custodiendum et fideliter exponendum (D 1836). Ibidem Conc. Vat. clare *distinguit* inter revelationem et assistentiam Spiritus s.; illam negat dari post Apostolos; hanc dicit esse perpetuam.[10]

---

[5] HE V 124-7.

[6] Pesch VIII n. 235; Wilmers p. 597-8.

[7] Franzelin, Trad. p. 263.

[8] LThK s.v. Joachim von Fiore; Ehrle, in Kirchenlexikon s.v.

[9] D 1800, 1818, 2062-5; DieckmannE II p. 130-1; Beraza p. 173-9.

[10] Cf. D 783 "per suos Apostolos tamquam fontem omnis veritatis salutaris"; D 1798 "mandatum accepit fidei depositum custodiendi"; D 2021 damnatur sententia modernistarum revelationem (publicam) non esse completam cum Apostolis.

b. Magisterium semper *egit* secundum hanc fidem. Id quod distincte enuntiatur a Conc. Vat.: "Rom. Pontifices . . . ea tenenda definiverunt quae sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea, Deo adiutore, cognoverant" (D 1836). Idem constat ex *constanti praxi* Ecclesiae. Etenim a) antequam magisterium aliquam rem proposuit ut publice revelatam et credendam, id unum inquirebat num res contineretur in fontibus revelationis (explicite vel implicite).[11] E contra, magisterium numquam appellavit ad revelationes post-apostolicas. b) Sicut apostolicitas doctrinae semper habita est ut character essentialis fidei catholicae, ita "novitas" doctrinae ut nota haeresis.[12] c) Si revelationes privatae habeant doctrinam praeter depositum fidei ab Apostolis acceptum, magisterium eam non facit suam.

Dices: Ecclesia interdum *approbavit* revelationes privatas.

R. *Dist.* eas omnibus proposuit ad credendum fide divina et catholica *N.* declaravit nihil in eis esse contra fidem vel mores *Tr.* vel *C.*[13]

Arg. 2. *Ex proprietatibus Ecclesiae*

Si Ecclesia Catholica est de iure divino *universalis, indefectibilis, apostolica*—non est exspectanda nova oeconomia post Apostolos neque nova revelatio.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Prob.M. Nova oeconomia enim quam fingunt adversarii, supponit Ecclesiam Catholicam a) non fuisse intentam a Deo pro omnibus hominibus, et b) posse subire mutationem substantialem. Porro c) nova oeconomia sibi postularet novos praecones.—Idem suo modo valet de revelatione particulari.

Prob.min. Ecclesia Catholica est vera Ecclesia Christi. Atqui Christus efficaciter voluit ut Ecclesia sua esset universalis, indefectibilis, apostolica.[14]

Confirmatur (apologetice)

1. *Ex dictis Christi*

In discursu habito post ultimam coenam, notentur tria dicta Christi: "Ille (Spiritus s.) docebit vos omnia et suggeret (ὑπομνήσει) vobis omnia quaecunque dixero vobis" (J 14, 26); "omnia quae-

---

[11]Cf. D 102, 212, 270-4, 783-4, 1836.
[12]Hinc Protestantes praesertim vocabantur "Novatores".
[13]DThC s.v. Dogme col. 1602.
[14]DieckmannE II p. 132-5.

cunque audivi a Patre meo, nota feci vobis" (J 15, 15); "cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit (ὁδηγήσει) vos omnem veritatem" (J 16, 13).

a. Non est dubium quoad *genuinitatem horum* dictorum.

b. Neque est difficultas specialis quoad eorum *historicitatem.* Dubitatur quidem num prolata sint una occasione, sed id non afficit sensum. Totus discursus autem dirigitur ad Apostolos, qui soli aderant.

c. *Sensus*: In J 15, 15 Christus asserit se Apostolis revelasse omnia quae continebantur in eius munere prophetico; et in J 14, 26 promittit assistentiam Spiritus s. postea dandam ut eadem in memoria retinerent.

Interpretatio haec tamen minus certa redditur ob tria: a) Certum est novas revelationes datas esse Apostolis *post ascensionem Domini;* ergo J 15, 15 non videtur extendi ad omnes et singulas res publice revelatas. b) Non positive excluditur novas revelationes dandas esse *successoribus* Apostolorum. c) Aliqui etiam dubitant utrum vox "docebit" in J 16, 13 includat novas revelationes an idem sonet ac "suggeret" in J 14, 26. Probabilius tamen significat *meliorem intellegentiam* dictorum Christi.[15]

Dices (cum Montanistis): In J 16, 12 Christus implicite promisit novas revelationes dandas in futuro: "Adhuc multa habeo vobis dicere, sed *non potestis portare modo*".

R. Attendatur ad *tempus* quo Christus haec dixit, scil. ante mortem. Christus multa docuit Apostolos post resurrectionem, et Spiritus s. eos alia docuit post ascensionem Domini.

Urg. Christus aeque promisit assistentiam suam (Mt 28, 20) et instructionem per Spiritum s. (J 16, 13) Apostolis et eorum successoribus. Atqui Apostoli poterant accipere novas revelationes. Ergo etiam eorum *successores.*

R. *Dist.M.* assistentiam *C.* instructionem per Spiritum s. *subd.* qua reciperent novas revelationes *N.* qua recte intellegerent revelationes olim datas *C.*

2. *Apostoli* non monuerunt Christianos: "Exspectate novam oeconomiam", sed "exspectate diem iudicii"; atque oeconomiam christianam vocaverunt tempus "novissimum", i.e. ultimum, et "plenitudinem temporis". Ergo supposuerunt novam oeconomiam non esse secuturam.

---

[15]Prat, J.-Chr. II p. 304-5; Lagrange, J p. 423; Joüon, in Rech. de Science rel. 1938 p. 234-5; DieckmannE II p. 134-5; Beraza p. 165-6; Tillmann p. 285-6; Franzelin, Trad. p. 267; Billot, Virt. p. 261.

Dices: Joel 2, 28-32 "Et erit, post haec effundam spiritum meum super omnem carnem, et *prophetabunt filii vestri* etc." Quae prophetia est messianica, eamque citavit Petrus die Pentecostes (Act 2, 16-21). Ergo et Joel et Petrus promiserunt novas revelationes in oeconomia christiana.

R. Uti patet ex discursu Petri, hoc vaticinium impletum est ipso die Pentecostes.

3. Innumeris locis *S. Paulus* monet depositum fidei custodiendum esse, non minuendum vel augendum vel ullo modo mutandum: Rom 15, 12; Gal 1, 8; Col 2, 7; Eph 2, 10; 2, 20; 1 Tim 6, 20; 2 Tim 1, 13-4; 3, 10-4 etc.[16]

Dices: Alibi tamen S. Paulus supponit oeconomiam sui temporis esse perficiendam. Nam in 1 Cor 13, 10 scribit: "Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est". Atqui ex 1 Cor 13, 9 patet oeconomiam christianam esse "ex parte"; nam de Apostolis dicitur "ex parte cognovimus et ex parte prophetamus".

R. *N.supp.* In 1 Cor 13, 10 "perfectum" non est alia oeconomia in hac terra, sed visio beatifica in caelo.[17]

4. Semper erat firma persuasio *Patrum* et unanimis doctrina *Theologorum* neque mutandam esse oeconomiam christianam neque exspectandas novas revelationes.[18]

Nota. Tres ultimae confirmationes fiunt argumenta prorsus *certa* si supponitur auctoritas dogmatica Apostolorum, Patrum, Theologorum; eam autem hic nondum supponimus.—Etiam argumentum ex dictis Christi *certum* fit ex interpretatione Patrum et Theologorum (analogia fidei).

Tertia pars probatur

1. Sensum dogmatum Ecclesiae non esse mutandum, explicite definitum est a *Conc. Vat.* (D 1800, 1818) atque iterum inculcatum a *Pio X* contra modernistas (D 2061-5, 2078-2080, 2094).

2. Sicut quaelibet doctrina, ita revelatio non tam stat in verbis quam in *sensu* verborum. Verba mutari possunt quin doctrina mutetur (v.g. in bona versione); sed si sensus mutatur, doctrina ipsa mutatur.

Atqui revelatio ipsa mutari non potest; secus non iam esset divina.

Ergo sensus verborum quibus exprimitur revelatio christiana (i.e. dogmatum), semper idem manere debet.

Cor. Ergo non tantum Ecclesia et magisterium, sed etiam doctrina Ecclesiae Catholicae debet esse *apostolica*.

---

[16] DieckmannE II p. 135-7.

[17] S. Thomas I II qu. 106 a. 4; Cornely, 1 Cor p. 403-5.

[18] Bainvel, Mag. p. 126; Pesch I n. 436, 463, 524; VIII n. 237; DieckmannE II p. 137-9; Draguet, in BN p. 1172-3.

Schol. 1. *Res fidei et morum*

In documentis magisterii saepe occurrit terminus "res fidei et morum". Generatim loquendo, idem significat ac "depositum fidei", "evangelium", doctrina christiana, revelatio christiana. Duo tamen notentur:

a. *Ad eas pertinent* a) directe: omnia formaliter revelata; b) indirecte: ea quae intime conexa sunt cum his—sive intrinsece (principia vel conclusiones) sive extrinsece ("facta dogmatica").[19]

b. Theologi non consentiunt quae sit *distinctio* inter res fidei et res morum. Alii ponunt distinctionem rationis, scil. quatenus eadem res consideratur sub diverso respectu. Melius alii ponunt distinctionem realem inadaequatam, scil. quatenus quaedam revelata sunt credenda tantum (v.g. quod Spiritus s. procedit a Patre Filioque), quaedam credenda et agenda (v.g. sermo montanus).[20]

Schol. 2. *Progressus dogmaticus*

1. Sicut neque revelatio neque sensus eius mutari possunt, ita neque dogmata; dogma enim est revelatio qua proposita ad credendum a magisterio infallibili. At cum non possit dari revelatio postapostolica, possunt dari *nova dogmata* et *progressus dogmaticus*. Etenim:

a. Novum dogma non supponit novam revelationem, sed est revelatio (saepe formaliter explicita) quae nunc tandem *explicite proponitur* credenda. Neque enim Apostoli ipsi neque eorum successores statim ab initio explicite proposuerunt credenda omnia (etiam explicite) revelata. Omnia autem ab initio continebantur in deposito fidei et credebantur actu fidei generali: Credo *quidquid* Deus revelavit. Novitas igitur refert ad meram propositionem explicitam per magisterium.

b. Neque progressus dogmaticus supponit novas revelationes, sed consistit in hoc quod *implicita fiunt explicita*. Magis in specie: a) Explicite revelata est propositio universalis, complexa, confusa; nova dogmata enuntiant particularia vel elementa, vel enuntiant rem eandem clarius et distinctius. b) Explicite revelata est praxis; novum dogma enuntiat veritatem theoreticam quae ei subest etc.

2. Duo notanda:

a. Neutro processu introduci revelationem vere *novam* (aut

---

[19]Dorsch II p. 273-4; supra p. 427.

[20]Schiffini p. 542; Straub II p. 351; FelderA II p. 236; Billot, Virt. p. 239.

errorem in fide), sequitur ex infallibilitate Ecclesiae et magisterii, atque ultimatim ex assistentia promissa Spiritus s.

b. Processus historicus quo fiunt nova dogmata, dici potest "*evolutio* dogmatica"; sed cum hic terminus hodie obnoxius sit malae interpretationi, theologi suadent ut vitetur.

3. Cur magisterium proponit nova dogmata?

Resp. Ecclesia Catholica cum sua doctrina non debet concipi nimis statice; est enim institutum vivum et dynamicum. Sub suavi ductu Spiritus s. igitur vivit ac reagit ad influxus externos et internos. *Occasiones* autem proponendi nova dogmata hae sunt: impugnationes externae (v.g. rationalistarum), controversiae inter Catholicos ipsos, vita religiosa Ecclesiae (v.g. devotiones) etc.[21]

---

[21]Bainvel, Mag. p. 133-149; Billot, De immutabilitate traditionis; DieckmannE II p. 147-150; Dorsch II p. 659-667; Draguet, in BN p. 1166-1192; Falcon p. 74-5; FelderA II p. 239-241; Franzelin, Trad. p. 278-315; de Groot p. 774-782; LThK s. Dogma; Schultes p. 637-647; Simonin, in Angelicum 1937 p. 126-145; Byrne, in EphL 1937 p. 230-286; Anwander, in Theol. Quartalschrift 1937 p. 78-92.

FONTIUM REVELATIONIS

PARS SECUNDA

Traditio

In usu Ecclesiae, vox 'traditio' varia significare potest et significat. Quae significationes quidem aliquomodo reduci possunt ad unitatem, sed hodie disputatur quae sit praeferenda. Non quod theologi catholici disputent quoad rem, sed quod quaerunt definitionem *meliorem*.

Hinc non incipimus a definitione traditionis, sed prius stabiliemus *rem ipsam* (3 articulis). Dein explicabimus varias *definitiones* et indicabimus eam quae nobis videtur esse *praeferenda*. Tandem cum hic tractatus quam maxime spectet laborem personalem theologi, ultimis 2 articulis pauca addemus de *documentis* et *studio* traditionis.

Unde 6 erunt articuli huius secundae partis:

1. Magisterium Ecclesiae
2. Scriptores ecclesiastici
3. Ecclesia discens
4. Notio traditionis
5. Documenta traditionis
6. Studium traditionis.

ARTICULUS 1

MAGISTERIUM ECCLESIAE

THESIS 38

Praedicatio magisterii Ecclesiae est fons revelationis, et qua talis praestat S. Scripturae ambitu, tempore, securitate, necessitate.

Cf. Bainvel, Mag. p. 34-70; S. Bellarminus, De Verbo Dei IV; DA IV col. 798-801; DieckmannE II p. 174-9; Dorsch II p. 606-625; DThC s.v. Ecriture sainte col. 2095-9; FelderA II p. 312-327; Franzelin, Trad. p. 227-262; Goebel p. 433-7; de Groot p. 748-782; Lercher I p. 545-554; Mazzella, Rel. p. 250-276; Muncunill III p. 109-128; van Noort, Font. p. 92-105; Pesch I n. 560-571; de San p. 52-87; Schiffini p. 539-565; Schultes p. 574-604; Suarez, De Fide, Disp. 5 s. 5-8; Vacant II p. 82-123; Wilmers, Lehrb. I p. 160-187.

1. Quid sit *praedicatio magisterii,* cf. supra p. 414-5.

In thesi 32 egimus de magisterio qua semper vivo. In hac thesi non quidem excludimus magisterium hodiernum, sed loquimur praesertim de magisterio *praeterito,* cuius praedicatio continetur in documentis "historicis"; v.g. in Actis Conciliorum.

2. *Fons revelationis* est id quod continet revelationem (verbum Dei), ita ut revelatio ex eo hauriri possit.

Nota. Termini 'fons revelationis' et 'regula fidei' saepe indiscriminatim adhibentur, etiam a theologis catholicis. Distinctio tamen patet ex natura rei et aperte innuitur in D 1792. Licet enim Conc. Vat. non utatur his terminis, tamen distinguit inter duo fontes revelationis ("*continentur*") et regulam fidei ("*proponuntur*").

3. Quid sit *S. Scriptura,* cf. supra p. 414.

4. *Praestantia*

Praedicationem magisterii asserimus praestare S. Scripturae, a) *ambitu,* non primarie quatenus plura revelata contineat quam S. Scriptura, sed quatenus *necessario* continet totum depositum fidei, b) *tempore,* quatenus exstitit prius quam N.T., c) *securitate,* quatenus nobis dat maiorem certitudinem de facto revelationis, d) *necessitate,* quatenus eius exsistentia magis necessaria est.

Duo notanda:

a. In thesi non negamus, sed implicite supponimus *S. Scripturam* esse fontem revelationis. Id quidem nondum probavimus, sed

iure supponimus quia Protestantes (orthodoxi) idem supponunt.

b. Extollimus *securitatem* et *necessitatem* praedicationis magisterii tamquam fontis revelationis. At non ideo negamus acquiri posse certitudinem formalem de facto revelationis (sive in genere sive pro re particulari) abstrahendo a magisterio; immo haec est methodus propria Apologeticae.—"Ambitu" additur propter Protestantes (cf. Diff.).

Adversarii sunt *Protestantes,* qui tenent S. Scripturam esse *unicum* fontem revelationis. Cf. supra p. 415-9.

Prima pars thesis est *de fide divina;* inter Catholicos non potest esse nisi lis de voce. Secunda pars (quae stat in comparatione) est *certa et communis.*

Prima pars probatur

Si a) Christus iussit magisterium Ecclesiae praedicare revelationem christianam, atque b) ei promisit assistentiam efficacem ac perpetuam in exercitio praedicationis, si tandem c) magisterium de facto praedicavit per saecula et hodie praedicat—praedicatio magisterii est fons revelationis christianae.

Atqui verum est triplex antecedens.

Ergo etiam consequens.

Prob.M. Si enim tria illa vera sunt, documenta magisterii praedicantis necessario *continent* revelationem christianam, ita ut ex eis hauriri possit.[1]

Prob.min. a) et b) patent ex thesibus 27-29; c) constat ex historia; magisterium enim praedicavit et hodie praedicat evangelium ore et scriptis, per se et per alios, explicite, implicite, tacite.

Confirmatur (ad hominem): Singulae "confessiones", "symbola" etc. Protestantium multa continent quae vix leguntur in S. Scriptura; ita praesertim eorum canon S. Scripturae. Ergo Protestantes *practice* admittunt alium fontem revelationis praeter S. Scripturam.

Dices: Deus voluit ut S. Scriptura esset unicus fons revelationis pro *Judaeis.* Ergo idem voluit pro Christianis.

R. 1. *Tr.ant. N.cons.* Deus enim statuere potuit diversam oeconomiam pro diversis temporibus.

R. 2. *N.ant.* a) Diu ante V.T. Judaeis facta est revelatio, scil. in patriarchis; ergo exsistebat fons revelationis. b) Etiam cum V.T. exsistebat, viguit

[1] Si unum ex his tribus deesset, consequentia non esset bona.

magisterium vivum: ordinarium sacerdotum, extraordinarium prophetarum. Ergo ex eorum praedicatione Judaei haurire poterant revelationem.[8]

Schol. Si magisterium Ecclesiae, usum summa sua auctoritate, umquam declaravit aliquam rem esse revelatam, haec res est *certo* revelata et *de fide divina.* Sub his condicionibus enim magisterium est infallibile.[9]—Porro, si magisterium, sub iisdem condicionibus, umquam proposuit aliquam rem ut intime conexam cum revelatione, haec res dicitur *de fide ecclesiastica.*—Tandem si magisterium, sub iisdem condicionibus, umquam reiecit aliquam rem ut immediate vel mediate oppositam revelationi, haec res est *haeretica* vel *error in fide*. Cf. supra p. 32-3.

Secunda pars probatur

a. *Ambitu*: Nam magisterii est praedicare totum depositum fidei ("*omnia* quaecunque mandavi vobis"). Nemo autem umquam probavit N.T. illud continere; neque id historice probabile est, cum libri N.T. sint "occasionales".

Nota. *Conc. Trid.* (D 783) nihil dicit num praedicatio magisterii contineat plures vel alias veritates revelatas quam Scriptura; simpliciter statuit duo fontes "evangelii".

b. *Tempore*: Nam a) magisterium praedicavit statim a die Pentecostes, i.e. diu ante compositionem librorum N.T. b) Magisterium praedicavit generi humano cum maxima eius pars non posset legere. c) Magisterium hodie praedicat pueris antequam possunt legere.

c. *Securitate*: Nam a) magisterium potest probare auctoritatem suam et S. Scripturae, interpretari evangelium, solvere dubia et corrigere errores; S. Scriptura haec non potest. b) Magisterio praedicanti promissa est assistentia Spiritus s.; non ita legenti Scripturam. c) Magisterium praedicat authentice seu auctoritative; atqui homines securius discunt per auctoritatem.

Nota. Postea probabimus criterium inspirationis biblicae esse praedicationem magisterii, atque sine ea non dari veram securitatem de S. Scriptura.

d. *Necessitate*: Nam magisterium semper debuit praedicare evangelium; nemo autem umquam probavit necessitatem vel

---

[8]Pesch I n. 570; DieckmannE I p. 265-8.

[9]Declaratio haec autem fieri potest "sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio" (D 1792).

obligationem conservandi S. Scripturam—nisi quatenus est canonica, i.e. tradita magisterio ad praedicandum.

Confirmatur: *Necessitatem* praedicationis authenticae *S. Paulus* sic probat Romanis: "Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt (potius: quomodo credent in eum de quo non audierunt)? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur?" Hoc dein confirmat ex Isaia 53, 1 (sensu accommodato) ac tandem concludit: "Ergo *fides ex auditu* (i.e. ex praedicatione), auditus autem per verbum Christi (potius: praedicatio per mandatum Dei)".[4]

Dices: Conc. Trid. (D 783) et Vat. (D 1792), ubi enumerant duo fontes revelationis, *prius nominant* Scripturam. Quam praxim sequuntur plurimi theologi. Ergo supponunt Scripturam praestare.

R. *C.ant. Dist.cons.* in se *Tr.* quoad nos *N.*

Cor. Ergo ob varias rationes praedicatio magisterii dici potest fons *primarius* revelationis. Neque reprehendendi sunt qui in probatione theologica *primo loco* ponunt argumentum ex ea.

Obiectiones

Nota. Obiectiones hae respiciunt solam eam partem thesis quae est minoris momenti, scil. *ambitum.* Protestantes enim conantur probare Scripturam de facto et de iure continere *totam* revelationem. Praeter responsa danda, contra eos semper urgeri potest praestantia temporis, securitatis, necessitatis.

A. *Ex ratione theologica*

1. *Deo indignum* erat condere Scripturam quae non contineret totum depositum fidei; esset enim incompleta.

R. *Dist.* esset in se incompleta seu ad finem a Deo intentum (i.e. finem operantis) *N.* aliter *Tr.*

Urg. Scriptura vocatur *Testamentum.* Atqui testamentum continet integram voluntatem testatoris. Ergo a pari, Scriptura continet integrum depositum fidei.

R. *Dist.M.* a Deo vel hagiographo *N.* ab aliis *Tr.* vel *subd.* quasi sit ultima voluntas morientis *N.* quatenus continet foedus inter Deum et hominem *Tr.*[5]

2. Deus curavit ut quaedam veritates revelatae scriberentur, sane eo fine ut melius conservarentur. Atqui *eadem ratio* valet pro toto deposito fidei; huius enim nulla pars perire debet.

R. *Dist.M.* ita ut hic fuerit finis unicus scriptionis *N.* aliter *Tr.* Deo praesto erant alia media conservandi revelationem olim datam; et probavimus Christum de facto instituisse Ecclesiam eiusque magisterium atque

---

[4]Rom 10, 13-7; Cornely, Rom p. 558-566.

[5]Ruffini p. 1-2; Merk p. 16-7.

ei promisisse assistentiam perpetuam Spiritus s. ne ulla pars depositi fidei amitteretur.

Urg. In Scriptura multa leguntur quae non sunt necessaria ad salutem (scil. inspirata per accidens). Atqui mirum esset si Deus curasset ut scriberentur *non-necessaria* et omisisset necessaria.

R. *Tr.M. Dist.min.* id mirum esset si necessaria non possent servari sine scriptione *C.* aliter *N.*

Urg. Si Deus voluisset ut una pars revelationis scriberetur, alia non, assignari deberet *ratio distinctionis*. Atqui talis ratio assignari nequit. Ergo Deus voluit ut tota revelatio scriberetur.

R. *Dist.M.* deberet dari ratio ex parte Dei *C.* nos deberemus eam scire *N.* Potest esse mysterium (saltem late dictum), quod non possumus cognoscere absque speciali revelatione.

3. S. Scriptura saltem continet omnia fundamentalia vel *necessaria ad salutem*—id quod sufficit.

R. a) Scriptura nusquam dicit sufficere fidem in 'fundamentalia'; magisterium explicite docet contrarium (D 1683, 1792); neque Christus dixit "docentes eos fundamentalia", sed "omnia quaecunque mandavi vobis". b) Scriptura fere numquam discernit inter 'fundamentalia' et alia. c) Inter Protestantes non convenit quae sint 'fundamentalia'.[6]

B. *Ex ipsa Scriptura*

Nota. Protestantes has obiectiones proferre non poterant nisi quia neglexerunt contextum (sive proximum sive remotum).[7]

1. Dicit S. Ioannes: "Haec scripta sunt . . . ut credentes vitam habeatis" (J 20, 31); et S. Paulus: "Omnis Scriptura . . . utilis est ad . . . erudiendum in omni iustitia; ut perfectus sit homo, ad omne opus bonum instructus" (2 Tim 3, 16). Ergo S. Scriptura sufficit.

R. *N.supp.* a) S. Ioannes loquitur tantum de suo evangelio; num igitur reliqui libri Scripturae superflui sunt? b) Similiter S. Paulus loquitur de solo V.T. (quod solum tunc exstabat); num ergo N.T. superfluum est?

2. Scriptura est *completa* eique nihil addi debet. Patet a) ex Deut 4, 2 "non addetis ad verbum quod vobis loquor"; b) ex Gal 1, 8 "licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod (παρ' ὃ) evangelizavimus vobis, anathema sit"; c) ex Apoc 22, 18 "si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas etc."

R. *Dist.ass.* homo nihil addere debet *Tr.* Deus nihil addere potest, *peto probationem.*—Quoad singula: ad a) Nonne Deus ipse complevit V.T. per N.T.? ad b) Cf. supra p. 369. Dein unde Protestantes sciunt totam praedicationem Pauli contineri in eius epistolis? ad c) S. Ioannes evidenter prohibet additionem aliena manu factam.

C. *Ex Patribus*

Nota. Protestantes obiciunt multos locos ex operibus Patrum in quibus videtur laudari *sufficientia* Scripturae. Generalis responsio iterum est: Attendatur ad contextum. Scil. a) ubi Patres loquuntur sensu aiente, vel laudant sufficientiam *relativam* (i.e. quoad rem particularem) vel mere loquuntur de *methodo* (i.e. volunt rem probare ex Scriptura).

---

[6]supra p. 481.—Pauci theologi (v.g. S. Bellarminus, Newman) putaverunt omnia ad salutem necessaria contineri in S. Scriptura, sed sententia contraria est communis. Cf. Vacant I p. 376; DThC s.v. Ecriture sainte col. 2097; Hefele-Leclercq, Hist. des Conciles X 1 p. 7-9.

[7]supra p. 416.

b) Ubi vero loquuntur sensu negante, excludere volunt libros *apocryphos* vel traditiones Scripturae *contrarias* vel argumenta *pure philosophica*.

1. S. Irenaeus: "Non per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus quam per eos per quos evangelium pervenit ad nos. Quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, *fundamentum et columnam fidei nostrae* futurum" (Adv. haer. 3, 1; cf. RJ p. 85).

R. a) Quanti S. Irenaeus fecerit praedicationem magisterii, elucet ex innumeris locis;[8] hinc textus citatus non potest habere sensum quem Protestantes ei supponunt. b) Uti patet ex praefatione libri 3, S. Irenaeus vult refutare haereticos ex ipsa Scriptura. Unde laudat sufficientiam *relativam*.

2. Tertullianus: a) "Adoro Scripturae plenitudinem" (Adv. Hermogenem 22).—b) "Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers" (De carne Christi 7).

R. Quanti etiam Tertullianus fecerit praedicationem magisterii, constat ex plurimis locis;[9] hinc textus citati non possunt habere sensum quem Protestantes eis supponunt.—ad a) Tertullianus loquitur de sufficientia *relativa* Scripturae. Nam arguit contra Hermogenem, qui negaverat materiam mundi esse factam; unde statim addit: "quae mihi factorem manifestat et facta". ad b) Tertullianus reicit traditiones *falsas* vel *apocryphas* ("de tuo").

3. S. Athanasius: a) "Hi (i.e. libri sacri) sunt salutis fontes, ut qui sitit, eorum eloquiis impleatur; in his solis pietatis doctrina docetur" (Ep. festalis). b) "Sacrae ac divinae Scripturae ipsae per se satis sunt ad veritatem indicandam" (Or. contra gentes 1).

R. ad a) S. Athanasius excludit libros *apocryphos;* nam agit de canone Scripturae. ad b) S. Athanasius laudat sufficientiam *relativam* Scripturae; nam loquitur de veritatibus particularibus, scil. de monotheismo et de divinitate Christi, ad quas probandas sufficit Scriptura.

4. S. Basilius: "Manifestus a fide lapsus est ac superbiae crimen, si quis aut quidquam eorum quae scripta sunt reprobet, aut aliquid ex iis quae scripta non sunt, introducat" (De Fide 1; cf. RJ p. 361).

R. Uti patet ex contextu, S. Basilius excludit "vocem ac doctrinam a Domini doctrina alienam", i.e. ei *contrariam*.

5. S. Cyrillus Hieros.: "Oportet enim circa divina et sancta fidei mysteria ne minimum quidem absque divinis Scripturis tradi. . . . Neque mihi dicenti simpliciter credas, nisi demonstrationem annuntiatorum ex sacris literis accipias" (Cat. 4, 17).

R. In prima parte citationis, S. Cyrillus laudat sufficientiam *relativam;* nam agit de veritatibus symboli apostolici ac praesertim de Trinitate, quae sane continentur in Scriptura. In altera parte citationis, vult excludere argumenta *pure philosophica* in rebus fidei.

6. Theophilus Alex.: "Daemoniaci spiritus esset sophismata humanarum mentium sequi et aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare divinum" (Ep. pasch. 6).

R. a) Theophilus non est Pater sensu stricto; hinc obiectio per se transmitti potest. b) Sed loco citato Theophilus nihil vult nisi reprobare fictiones Origenis *contrarias* Scripturae.[10]

---

[8] van den Eynde p. 159-187.
[9] van den Eynde p. 196-212.
[10] de San p. 74; Bardenhewer p. 311, 325; CE s.v. Theophilus of Alexandria.

7. S. Chrysostomus: "Si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat" (Hom. in Ps 95, 7).

R. a) Haec homilia non est S. Chrysostomi; hinc obiectio per se transmitti potest. b) Neque tamen auctor (quisquis est) reicit magisterium, sed tantum ea quae "sine testibus solaque animi cogitatione dicuntur".[11]

8. S. Ambrosius: "Quae in Scripturis sacris non reperimus, ea quomodo usurpare possumus?" (De officiis 1, 23).

R. *N.supp.* S. Ambrosius non loquitur de deposito fidei, sed monet clericos ne iocos usurpent "in ecclesiastica regula", cum ioci nulli legantur in Scriptura.[12]

9. S. Augustinus: "Ubi de re obscurissima disputatur non adiuvantibus Scripturarum divinarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana praesumptio, nihil faciens in partem alteram declinando" (De peccatorum meritis et remissione 2, 36).

R. S. Augustinus hic loquitur de quaestione ***particulari,*** scil. de origine animae humanae et de modo quo peccatum originale propagatur; atque dicit nihil certi hac de re constare ex Scriptura.

---

[11] Bardenhewer p. 330; Muncunill III p. 126.
[12] S. Thomas II II qu. 168 a. 2 ad 1.

ARTICULUS 2

SCRIPTORES ECCLESIASTICI

Hoc titulo designari possunt quicunque quolibet saeculo scripserunt de rebus Ecclesiae propriis. A theologis hodiernis autem distinguuntur 4 classes scriptorum ecclesiasticorum: Patres, Theologi, Doctores, scriptores ecclesiastici sensu technico.

A. Patres

1. *Usus tituli historicus*

In antiquitate christiana, vox 'Pater' significabat *episcopum,* quia eius munus est formare ac nutrire vitam supernaturalem fidelium. Post saec. 4, nomen coepit restringi ad eos episcopos qui *eminebant* in expositione vel defensione fidei. Atque inde nomen applicatum est etiam *aliis* viris (etiam laicis), qui similiter excellebant. Tandem ex usu speciali posteriore, Patres dicuntur episcopi qui legitime intersunt *Conciliis* (oecumenicis vel particularibus); v.g. Patres Tridentini, Baltimorenses.[1]

2. *Usus tituli dogmaticus*

Ut aliqui scriptor technice dicatur Pater, *4 dotes* requiruntur:

a. *Antiquitas.* Scil. ut aliquis dicatur "Pater Ecclesiae", florere debuit *primis saeculis,* i.e. cum Ecclesia universalis adhuc esset in sua infantia vel adolescentia. Hinc "aetas Patrum" generatim clauditur a) in occidente per S. Gregorium M. (mortuus 604) vel saltem per S. Isidorum (mortuus 636), b) in oriente per S. Ioannem Damascenum (mortuus 754).

b. *Doctrina.* Scil. ut quis dicatur Pater Ecclesiae, debet a) tenere fidem quam Ecclesia tunc temporis explicite profitebatur ('orthodoxia'), atque b) excellere in ea proponenda ac defendenda.[2]

c. *Sanctitas* vitae ac mortis ab Ecclesia agnita. Nam Pater debet nutrire infantes non tantum doctrina, sed etiam exemplo vitae conformis doctrinae.[3]

d. *Approbatio Ecclesiae.* Scil. Ecclesia debet eum agnoscere ut Patrem. Haec approbatio autem triplex esse potest: generalis, specialis, specialissima. a) Approbatio *generalis* continetur in ipsa

[1]CE s.v. Fathers of the Church; DieckmannE II p. 180-2; du Manoir, in Recherches de science rel. 1935 p. 441-461; LThK s.v. Kirchenväter.—Sensum specialem habet titulus "Patres apostolici"; cf. supra p. 92.

[2]Orthodoxia Patris non tollitur quovis errore in rebus fidei—dummodo adsit mens catholica et mors in Ecclesia.

[3]DieckmannE II p. 184; DThC s.v. Pères col. 1196-7.

collatione tituli. b) Approbatio *specialis* continetur in collatione tituli Doctoris. c) Approbatio *specialissima* est ea qua magisterium facit doctrinam Patris suam (v.g. S. Cyrillus quoad 12 anathematismos D 113-124).

Tria notanda:

a. Neque omnes episcopi antiqui sunt Patres sensu technico (v.g. Eusebius Caes.) neque omnes Patres erant episcopi.[4]

b. Titulum Patris magisterium conferre potest *explicite,* scil. si quis nominatim laudatur ut Pater a Rom. Pontifice vel a Concilio oecumenico (cf. D 128, 164-5, 3027).—Sed titulus etiam conferri potest *implicite;* v.g. a) si alicuius scripta legebantur in sacris conventibus post S. Scripturam (v.g. epistola S. Clementis); b) si quis in martyrologio laudatur ob sanctitatem et doctrinam; c) si quis laudatur ut Pater ab alio Patre insigni (sic S. Augustinus Patribus annumeravit S. Hieronymum).—Immo sufficere potest approbatio *tacita;* v.g. si, magisterio non reclamante, scriptor famae illustris tamquam Pater Ecclesiae celebratur.

c. Catalogum completum Patrum sensu stricto nusquam repperi.[5]

B. Theologi

Sensu technico, Theologi sunt scriptores catholici qui post aetatem Patrum, sub vigilantia magisterii, fidem catholicam modo eximio illustraverunt.

Explicatur:

a. Dicitur *'catholici',* i.e. ii qui usque ad mortem permanserunt in unione cum Ecclesia; hinc excluduntur theologi pagani, haeretici, schismatici.[6]

b. Fides catholica multis modis *illustrari* potest; hinc Theologis annumerantur scriptores omnium disciplinarum theologicarum: apologetae, dogmatici, exegetae, moralistae etc.—Sensu speciali

---

[4]S. Hieronymus fuit simplex sacerdos, S. Ephraem diaconus, S. Justinus et S. Prosper laici.

[5]Mazzella, Rel. p. 326-331; Hervé I p. 601-3; DThC s.v. Pères col. 1195; Kneller, in ZkTh 1916 p. 1-47.

[6]At non excluduntur a) laici aut mulieres (v.g. S. Gertrudis, S. Theresia), neque b) per se ii qui olim alia docuerunt quam Ecclesia postea definivit (v.g. Immaculata Conceptio).

autem Theologi dicuntur veteres *Scholastici,* quorum opera comprehendunt universam philosophiam et theologiam.[7]

c. *Sub vigilantia magisterii,* i.e. ita ut magisterium Ecclesiae de iure et de facto invigilaverit ne docerentur aut scriberentur ea quae non congruant veritati catholicae.

Ob vicissitudines temporum autem haec vigilantia non semper eadem fuit; unde alii aliter computant "aetatem Theologorum". Scil. a) aliqui eam claudunt cum Concilio Tridentino (saec. 16); nam mox postea "plures scholae theologicae, praesertim in publicis academiis, ab influxu et directione pastorum Ecclesiae ex parte saltem se emancipaverunt" (Dorsch III p. 644). Quae opinio minus placet. b) Alii (v.g. Franzelin, Bainvel, Lercher) eam claudunt cum saec. 18; saec. 19 enim fuerunt theologi haud rari (v.g. Hermes, Günther, Döllinger) qui parum curabant doctrinas antea admissas, praesertim in re biblica vel historica.[8]

Duo tamen dici possunt: a) Etiam saec. 19 floruerunt theologi orthodoxi et vere eximii: Perrone, Palmieri, Franzelin, Scheeben, Murray, Newman, Kleutgen, Cornely, Wilmers, Knabenbauer, Vigouroux, Lehmkuhl, Billot etc. b) Fortasse opiniones sic componi possunt: Usque ad saec. 18 *orthodoxia* alicuius theologi eo ipso constabat quod pertinebat ad hanc scholam, academiam, congregationem etc. Non sic hodie; hodie orthodoxia et excellentia uniuscuiusque *singillatim* determinandae sunt ex eius operibus, vita, fama.[9]

C. Doctores

Soli Rom. Pontifices et episcopi monarchici sunt doctores authentici Ecclesiae Catholicae (cf. supra p. 414). Sed *sensu technico,* "Doctores Ecclesiae" vocantur viri quidam orthodoxi (sive Patres sive Theologi, sive episcopi sive non) qui eminebant a) eruditione theologica, b) sanctitate, ac proinde c) hoc titulo ornati sunt ab Ecclesia.

Explicatur:

a. Is solus dicitur "Doctor Ecclesiae" qui *modo eximio* explicat, confirmat, defendit fidem catholicam, eam theoretice dilucidat et practice applicat, praesertim is qui solvit quaestiones difficiles vel saltem solutionis viam indicat—et sic necessitatibus suae aetatis egregie occurrit.

b. Praeter eruditionem eximiam requiritur *sanctitas heroica.*

---

[7]Grabmann, Gesch. p. 1-3.
[8]Grabmann, Gesch. p. 206-218.
[9]Catalogum Theologorum habes apud Hervé I p. 603-6.

Nam, iuxta verba Christi: "Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum" (Mt 5, 19).

c. Cum titulus Doctoris semper collatus sit a Rom. Pontifice vel a Congregatione Rituum, secum fert *approbationem specialem* magisterii.[10]

Catalogus Doctorum Ecclesiae:

Anno 1295 Bonifacius VIII declaravit *4 Patres occidentales* Doctores magnos Ecclesiae: S. Ambrosium, S. Hieronymum, S. Augustinum, S. Gregorium M.—Anno 1568 *4 Patres orientales* recepti sunt qua Doctores magni in breviario Pii V: S. Athanasius, S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nazianzenus.

His gradatim additi sunt alii Patres et Theologi:

a. *Patres*: S. Petrus Chrysologus (1729), S. Leo M. (1754), S. Petrus Damianus (1828), S. Hilarius Pict. (1851), S. Cyrillus Alex. et Hieros. (1882), S. Ioannes Damascenus (1890), S. Beda Ven. (1899), S. Ephraem Syrus (1920).

b. *Theologi*: S. Thomas (1567), S. Bonaventura (1588), S. Anselmus (1720), S. Isidorus Hisp. (1722), S. Bernardus (1830), S. Alphonsus Liguori (1871), S. Franciscus Sal. (1877), S. Petrus Canisius (1925), S. Joannes de Cruce (1926), S. Bellarminus (1931), S. Albertus M. (1932).

Hodie (1940) igitur numerantur 28 Doctores Ecclesiae.[11]

D. "Scriptores ecclesiastici"

Sensu technico, sic vocantur scriptores quidam primorum saeculorum, qui erant quidem valde eruditi in rebus ecclesiasticis, sed a) vel aliquando lapsi sunt in apertam haeresim, vel b) sunt suspectae haeresis, vel c) non sunt indubiae sanctitatis. Quia igitur eis deest orthodoxia vel sanctitas, tales scriptores carent approbatione Ecclesiae; neque vocari possunt Patres Ecclesiae nisi sensu latiore, scil. propter solam antiquitatem.

Inter "scriptores ecclesiasticos" numerantur: a) Tatianus Syrus; b) ex Graecis: Clemens Alex., Origenes, Eusebius Caes.; c) ex Latinis: Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Rufinus etc.[12]

---

[10]Cum hoc titulo ne confundantur tituli non-officiales; v.g. cum S. Albertus M. vocatur "doctor universalis", S. Bonaventura "doctor seraphicus" etc. Cf. CE s.v. Doctor; LThK s.v. Doctor theologiae.

[11]Father Paul, The Doctors of the Church; Ehrle, in Stimmen 1879 p. 485-498; Kneller l.c.

[12]Quoad eorum errores, cf. Bardenhewer p. 57, 128, 151-2, 179, 202, 204, 245-6, 451, 454.

Quae hucusque dicta sunt de 4 classibus horum scriptorum, fere ad historiam pertinent. Oportet nunc probare eorum auctoritatem dogmaticam, atque primarie investigare quid valeant *qua testes revelationis*. Quaerimus enim num ex eorum operibus constare possit hanc vel illam rem esse revelatam.

Loquemur primo de auctoritate dogmatica Patrum, dein Theologorum, tandem S. Thomae, "Doctoris communis".

I. AUCTORITAS PATRUM

Thesis 39

Firmus consensus Patrum, etiam unius aetatis, est fons certus revelationis.

Cf. Bainvel, Mag. p. 71-82; DieckmannE II p. 185-190; Dorsch II p. 630-644; DThC s.v. Pères de l'Eglise; FelderA II p. 330-5; Franzelin, Trad. p. 159-201; Goebel p. 439-442; de Groot p. 782-802; van Laak, Rep. p. 565-595; Lercher I p. 554-567; Mazzella, Rel. p. 572-594; Rivière, in Dict. prat. s.v. Docteurs; de San p. 139-203; Schultes p. 659-679; Tanquerey I p. 742-8; Wirceburgenses I p. 391-426.

Non directe agitur de veritate doctrinae, sed quaeritur num et quomodo, ex Patrum testimonio, constare possit *factum revelationis,* seu num et sub quibus condicionibus ex Patrum testimonio certi fieri possimus aliquam rem esse publice revelatam. Et cum aetate Patrum revelatio publica iam esset clausa, non quaerimus num Patres receperint novas revelationes, sed num sint *testes certi* revelationis antea datae, i.e. depositi fidei.

1. *"Patres"* sunt ii scriptores antiqui qui hoc titulo insigniti sunt ab Ecclesia (non mere ab historicis). Unde excluduntur ii qui technice vocantur "scriptores ecclesiastici", sed non excluduntur Patres qui non pertinebant ad magisterium.

2. *Tres condiciones*

Ut ex testimonio Patrum habeatur argumentum certum revelationis, tres condiciones impleri debent:

a. Debet adesse *consensus,* i.e. Patres omnes, saltem unius aetatis, testari debent rem esse publice revelatam. Qui consensus a) debet esse utique realis, neque sufficit apparens (v.g. meris vocibus); b) potest esse physicus (mathematicus), sed sufficit moralis.

b. Consensus debet esse *firmus,* i.e. Patres non debent proponere suam sententiam dubie vel haesitanter, non ut magis vel minus probabilem, sed ut prorsus certam.

Quomodo id fiat, non est statuendum a priori. Interdum Patres firmam suam convictionem explicite declarant; interdum eorum mens erui debet ex modo loquendi; v.g. si utuntur verbis quae

aequivalent professioni fidei, si inculcant strictam obligationem credendi, si oppositam doctrinam vocant haereticam etc.[1]

c. Res ipsa pertinere debet *ad fidem et mores,* et quidem ad formaliter revelata. Unde thesis praecipue valet de *interpretatione Scripturae,* cui Patres quam maxime operam dederunt.

Tria adhuc notanda:

a. Aliqui distinguunt inter Patres ut testes et ut doctores. Quam distinctionem, cum diversimode intellegatur, omittimus. Sed Patres ut doctores videntur potius referre ad res conexas cum revelatione.[2]

b. Nihil dicimus de auctoritate Patrum in rebus *profanis* (historicis, philosophicis, scientificis etc.).

c. Non distinguimus inter formaliter explicite et *implicite* revelata, prout "formaliter implicite" est "aliis verbis" (expositio, interpretatio, explicatio, declaratio). Scil. Patres possunt testari vel ipsa verba revelationis vel eius sensum. At in thesi non loquimur de "virtualiter revelatis" aut de rebus cum revelatione conexis.

Non dicimus consensum Patrum esse unicum fontem revelationis; non negamus aliquid posse esse revelatum aut nos certos fieri posse de hoc etsi desit consensus firmus Patrum, immo etsi adsit positivus dissensus Patrum. Aliis verbis, thesis intellegenda est *sensu aiente.*

Thesis est saltem *theologice certa,* uti patebit ex argumento. Cf. EB n. 96; D 2147 ("fidem Patrum firmissime retineo").

Adversarii

1. Exceptis Anglicanis, *Protestantes* Patribus nullam aliam auctoritatem concedunt quam humanam. Scil. ad summum admittunt eos esse bonos testes historicos vel peritos in sua arte (exegesi), quorum tamen auctoritas tota dimetienda sit ex eorum dotibus personalibus (sicut cuiusvis testis).[3]

---

[1]Neque tamen necesse est ut Patres omnes ita loquantur; sufficit si aliqui ita loquuntur, et alii proponunt eandem sententiam, neque apparet ulla controversia.

[2]Pesch I n. 579; Franzelin, Trad. p. 174-5; Schultes p. 664; Bainvel, Mag. p. 68.

[3]De facto, Protestantes Patribus ne humanam quidem suam auctoritatem relinquunt. Nam carent norma obiectiva qua recte aestiment eorum scientiam et veracitatem.

In specie:

a. *Lutherus* vel extollit vel deprimit Patres, prout putat eos consentire cum sua doctrina vel non.[4]

b. *Dallaeus* (Daillé), theologus reformatus, anno 1656 edidit librum "De usu Patrum in decidendis controversiis", in quo strenue impugnavit auctoritatem Patrum.

c. Quid de Patribus senserint Milton, Grotius, Chillingworth, Conyers Middleton, cf. W. F. Farrar p. 163-4; L. Stephen I p. 265.

d. Cadoux (p. 473-5) queritur 3 condiciones appositas testimonio Patrum esse merum *effugium* Catholicorum, quibus non liceat ex Patribus conficere argumentum contra praedicationem magisterii.

2. Etiam viri quidam catholici (v.g. Günther) olim sinistre iudicabant de Patribus, saltem aliquibus. Cf. D 1657.

Thesis probatur

Si, sub 3 condicionibus, Patres errassent, magisterium ipsum errare et fideles in errorem ducere posset.

Atqui consequens est falsum quoad res fidei et morum.

Ergo etiam antecedens.

Prob.M. Qui approbat eum qui docet errorem, ipse errat; et si est magister authenticus, positive in errorem ducit eos qui eum audire eique per se assentire debent. Atqui magisterium Ecclesiae, magister authenticus in rebus fidei et morum, saepe *approbavit Patres.* Idque

a. *Explicite*: a) Magisterium omnibus dedit titulum "Patris Ecclesiae"; b) modo speciali approbavit eos quos insignivit titulo "Doctoris"; c) aliquos ita approbavit ut eorum doctrinam faceret suam.

b. *Implicite*: a) Plurimi Patres pertinebant ad ipsum *magisterium* (v.g. S. Augustinus, S. Ambrosius); immo aliqui erant Romani Pontifices (v.g. S. Leo M., S. Gregorius M.); alii scripserunt iussu magisterii (v.g. S. Hieronymus). b) Romani Pontifices et Concilia semper *docebant* (definiebant dogmata et reprobabant haereses) iuxta doctrinam Patrum.[5] c) Omnes Patres a

---

[4] W. F. Farrar p. 325-7, 471; Grisar, Luther I p. 138, 320; II p. 120-1; IV p. 409-410; VI p. 336.

[5] Lege v.g. singulos canones Conc. Lateranensis (anno 649). Cf. D 254-274, 303, 320, 336, 783 ("orthodoxorum Patrum exempla secuti").

magisterio agniti sunt ut *Sancti;* hinc magisterium implicite approbavit doctrinam secundum quam Patres ordinaverant suam vitam; atqui Patres eam ordinabant secundum ea quae iudicaverunt esse revelata.

Quoad Patres *unius aetatis*: Si Patres omnes unius aetatis, sub 3 condicionibus, errassent: a) magisterium ipsum errasset; nam qualibet aetate plurimi Patres pertinebant ad magisterium; b), saltem magisterium non potuisset tacere; secus enim consensisset errori et Ecclesiam universam duxisset in errorem.

Nota. Nostram probationem esse bonam, i.e. auctoritatem dogmaticam Patrum niti *approbatione magisterii,* confirmatur ex S. Thoma, qui ait: "Ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet" (II II qu. 10 a. 12).—Ergo auctoritas Patrum non est directe probanda a) ex speciali institutione Christi, aut b) ex Patrum ingenio, eloquentia etc. (uti facit McClorey, in EcclR 1929 I p. 594), aut c) ex speciali auxilio Spiritus s. Patribus dato. At ex approbatione magisterii indirecte constat divina assistentia eis data (supra p. 428).

Confirmatur (cf. EB n. 96):

a. Firmus consensus Patrum explicari non potest nisi supponatur factum revelationis. Nisi enim revelata essent ea quae Patres uno ore dicunt esse revelata, ipsi ea finxissent; atqui consequens est absurdum; nam cum Patres differrent indole nativa, lingua, natione, aetate etc., *diversa finxissent* (uti videre est in haereticis).

b. Idem argumentum valet pro Patribus *unius aetatis.*

Corollaria

1. Ergo si Patres, firmo consensu, aliquam rem proponunt ut revelatam ideoque credendam, haec res est *de fide divina* ("ex iugi magisterio").

Si igitur theologus, incumbens studio Patrum, certus fiat id verum esse de aliqua doctrina, potest elicere *actum fidei divinae,* immo per se debet. Quia tamen certitudo vix erit plena, raro tenetur.

2. Ergo auctoritas Patrum in rebus fidei et morum non est mere humana seu historica (uti volunt Protestantes), sed *participat* de auctoritate magisterii; hinc dicitur *"dogmatica"*. Atque elementum dogmaticum *primarium* tituli Patris Ecclesiae est approbatio magisterii (non antiquitas). Excellentia doctrinae et sanctitas autem sunt eius fundamentum reale; propter has dotes eximias enim magisterium eos approbavit.

3. Ergo patet cur auctoritas dogmatica Patrum se non extendat ultra *res fidei et morum.* Nam neque auctoritas dogmatica magisterii ultra has se extendit.

4. Ergo (contra Cadoux) patet cur Patres consentientes non possint *contradicere* magisterio. Cum enim magisterium debeat docere totum depositum fidei, errasset si eos contradicentes approbasset.

5. Ergo consensus firmus Patrum unius aetatis non potest contradicere consensui firmo Patrum alterius aetatis; secus enim magisterium approbasset doctrinas *contradictorias*.[6]

Obiectiones

1. Patres erant *homines*. Atqui homines, etiam in firmo consensu, errare possunt. Ita Lutherus.

R. *Dist.M.* cum speciali approbatione magisterii *C.* aliter *Tr.*

Urg. De facto, multi errores leguntur in operibus Patrum.

R. *Dist.* quoad res profanas *Tr.* quoad res fidei et morum *subd.* ita ut Patres omnes, etiam unius aetatis, consenserint in eodem errore *N.* aliter *Tr.*

Urg. Patres omnes tenuerunt *systema ptolemaicum.*

R. *Tr.* Est enim res pure scientifica.

Urg. Patres ipsi tamen iudicaverunt esse rem fidei.

R. *N.* vel *Dist.* ita ut umquam adfuerit firmus consensus de hoc *N.* aliter *Tr.*

Urg. Errores in his rebus saltem ostendunt Patres interdum iudicasse ex *praecipitantia.* Atqui praecipitantia est causa generalis erroris. Ergo Patres etiam errare poterant in rebus fidei.

R. *Tr.M. Tr.min. Dist.cons.* errare poterant *Tr.* erraverunt *subd.* in consensu firmo *N.* aliter *Tr.* Patres consentientes autem de facto non erravisse in rebus fidei, constat ex approbatione subsequenti magisterii.

Urg. De facto, Patres erraverunt in rebus *fidei.*

R. *Dist.* omnes, etiam unius aetatis *N.* aliter *Tr.*

Urg. *Chiliasmus* est error in fide. Atqui Patres saec. 2 et 3 eum docuerunt.

R. 1. *Dist.M.* chiliasmus judaicus (quem docuit Cerinthus) *C.* omnis forma chiliasmi *N.*

R. 2. *Tr.M. Dist.min.* ita ut umquam fuerit consensus firmus hac in re *N.* aliter *Tr.*[7]

2. *Congeries probabilitatum* non gignit certitudinem. Atqui testimonia singulorum Patrum non gignunt nisi probabilitatem.

R. *Dist.M.* mera congeries sine novo motivo *C.* cum novo motivo certo *N.* Novum motivum est approbatio magisterii.

Urg. Patres saepe inter se *dissentiunt* quoad res fidei. Atqui ex testibus dissentientibus nequit trahi argumentum certum. "Ii qui animum a catholica ecclesia aversum fovent et totam methodum fidei demonstrandae subvertere satagunt, patrum dissensus continuo iactare solent; de qua re conferas

---

[6]Nihil obstat quin sit *consensus implicitus* in una aetate, dein *dissensus* (etiam realis et explicitus), tandem consensus explicitus in aetate subsequente; talis de facto erat historia canonis.—Nequit autem esse prius consensus firmus explicitus ac dein dissensus; in tali casu enim scriptores posteriores dissentientes caruissent *orthodoxia,* neque approbati essent ut Patres.

[7]CE s.v. Millennium; DThC s.v. Millénarisme; LThK s.v. Chiliasmus; HE II p. 61-2; Allo, Apocal. p. 292-302.

historiam arianorum, nestorianorum, eutychianorum, iconomachorum, protestantium, iansenistarum etc." (Dorsch II p. 643).

R. 1. *Dist.M.* quoad omnes res fidei *N.* quoad aliquas *Tr.*

R. 2. *Tr.M. Dist.min.* quoad ea in quibus firmiter consentiunt *N.* quoad alia *Tr.*

Urg. De facto, non exstat firmus consensus Patrum de ulla revelatione particulari. Ergo thesis est inutilis.

R. *N.ant.* Nonne Patres omnes testati sunt divinitatem Patris et Filii et Spiritus s.? Nonne Catholici facile refutaverunt quosdam errores Protestantium ex consensu Patrum? Et cur multi Protestantes tam vehementer invehuntur in Patres nisi quia sentiunt se eorum testimonio refutari?

Urg. Saltem distinctio facienda est inter Patres antiquiores (v.g. saec. 2 vel 3) et posteriores (v.g. saec. 5 vel 6). Nam quo magis traditio recedit ab origine sua, *eo minus* fide digna est.

R. *Dist.* dogmatice *N.* historice *Tr.*

3. *S. Thomas* haec habet de auctoritate Patrum· "Utitur (theologus) auctoritatibus doctorum Ecclesiae quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter tantummodo" (I qu. 1 a. 8 ad 2). Atque citat *S. Augustinum,* qui ait: "Alios (i.e. praeter scriptores sacros) lego ita ut, quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione quod a vero non abhorreant, persuadere potuerunt". Ergo neque nos debemus Patres tanti facere.

R. *N.supp.* S. Thomas et S. Augustinus ibi loquuntur de revelationibus privatis vel de auctoritate privata singulorum Patrum.[8]

4. Probamus auctoritatem Patrum ex auctoritate magisterii; sed auctoritatem magisterii probamus ex auctoritate Patrum. Atqui hic est *circulus vitiosus.*

R. *C.prim.part.M. Dist. alteram partem*: in probatione dogmatica *Tr.* vel *C.* in probatione apologetica *subd.* Patres inducuntur ut testes dogmatici *N.* ut testes pure historici *C.* Hinc in probatione apologetica, eo maior est auctoritas Patrum quo antiquiores sunt.

Schol. *Res cum revelatione conexae*

In thesi egimus de rebus formaliter revelatis. Quid autem de rebus *conexis* cum revelatione, i.e. in quibus tamquam principiis (intrinsecis vel extrinsecis) nititur revelatio, vel quae tamquam conclusiones fluunt ex revelatione? Et quid de rebus *profanis,* quae interdum leguntur in operibus Patrum?

Qua in re distinctio fit prout Patres agunt doctores publicos vel privatos.

1. Patres ut doctores *publici*:

a. Patres gaudent peculiari auctoritate dogmatica ubi agitur de rebus quae *intime* conexae sunt cum revelatione, scil. ita ut revelatio ipsa logice vel historice periret sine eis. Fundamentum huius auctoritatis est eadem approbatio magisterii de qua in thesi;

---

[8] Muncunill III p. 2; Franzelin, Trad. p. 173; EphL 1937 p. 629.

magisterium enim authentice docet non tantum ipsum depositum fidei, sed etiam res intime cum eo conexas.

Ergo a) si Patres firmiter consentiunt de tali propositione, haec propositio est *"theologice certa"* ex ipso consensu; et si b) Patres, firmo consensu, reiciunt aliquam doctrinam ut oppositam revelationi, talis doctrina est *"erronea"* vel *"haeresi proxima"* ex ipso consensu.

b. Patres etiam gaudent auctoritate dogmatica ubi agitur de rebus non quidem intime, at *aliquomodo* conexis cum revelatione (v.g. de genuinitate stricta evangeliorum). Patrum peritia et prudentia quoad has res enim saltem in genere approbata est a magisterio.[9]

Ergo a) si Patres firmiter proponunt talem rem ut veram, eorum doctrina est *"certa et communis"*; et si b) Patres, firmo consensu, reiciunt aliquam doctrinam ut oppositam revelationi, talis doctrina est *"temeraria"*.

2. Patres ut doctores *privati*:

Patres dicuntur agere doctores privatos in duobus casibus: a) ubi est quaestio de rebus *profanis;* b) ubi agitur quidem de revelatione, sed *deest firmitas* in eorum sententia.

Ut doctores privati, Patres, etiam plures simul, non gaudent auctoritate speciali aut infallibilitate maiore quam ceteri homines. Atque Patres ipsi diserte negaverunt firmum assensum praestandum esse privatis suis opinionibus.[10]

At si Patres, etiam unius aetatis, firmo consensu proponunt rem ut revelatam vel cum revelatione conexam, res non est mere profana, licet nobis forsitan aliter videatur.

---

[9] Vacant II p. 117-123.
[10] de San p. 141-4; Franzelin, Trad. p. 163.

II. AUCTORITAS THEOLOGORUM

THESIS 40

Etiam consensus firmus et constans Theologorum est fons certus revelationis.

1. Qui sint *Theologi*, cf. supra p. 524.

In thesi loquimur praesertim de iis qui coluerunt theologiam positivam (cf. supra p. 4-5). Qui olim vocati sunt doctores "biblici" (quia revelationem primarie eruebant ex Scriptura) vel "sententiarii" (quia colligebant sententias Scripturae et Patrum) vel (saec. 17) "dogmatici" (quia stabiliebant dogmata credenda).

2. *Condiciones* sub quibus asserimus ex Theologis trahi posse argumentum certum de facto revelationis, sunt eaedem tres ac quoad Patres (cf. supra p. 528-9). Unum tamen notandum: Consensus debet esse *stricte unanimis*, i.e. fere physicus. Non sufficit consensus unius aetatis aut scholae, sed requiritur ut Theologi omnes omnium aetatum et scholarum consentiant. Id quod generatim exprimitur dicendo consensum Theologorum (aliter ac Patrum) debere esse non tantum firmum, sed etiam *constantem*.[1]

Thesis est saltem *certa et communis* (Lercher, Hervé: theologice certa).

THESIS PROBATUR

Si, sub 3 condicionibus, Theologi errassent, magisterium ipsum errare et fideles positive in errorem ducere posset.

Atqui consequens est falsum quoad res fidei et morum.

Ergo etiam antecedens.

Prob.M. eodem modo ac supra p. 530.

1. Approbatio *explicita*: a) Saeculis praeteritis, magisterium saepe approbavit Theologos saltem *modo generali*, eosque defendit contra convicia.[2] b) *Pius IX* explicite docuit consensum Theologorum esse sequendum, cum exprimat praedicationem ordinarii

---

[1]Curandum tamen non est si unus vel alter auctor obscuri nominis vel notae singularitatis, absque efficacibus rationibus et responsis, extra chorum canat.

[2]D 609, 1576, 1579, 1652, 1657, 2048, 2061.

et universalis magisterii.[3] c) Paucos Theologos, scil. *Doctores*, magisterium approbavit modo speciali; inter quos eminet *S. Thomas*.

2. Approbatio *implicita*: a) Magisterium saepe definiebat dogmata et damnabat haereses secundum doctrinam Theologorum; atque generatim non aliam doctrinam proponit fidelibus nisi quam ut communem docent Theologi. b) Eos qui responsum particulare quaerunt a magisterio, magisterium saepe refert ad "Theologos probatos". c) Uti recte advertit Card. Franzelin (p. 207), Theologorum doctrina communis nihil aliud est nisi "compendium ac summa doctrinae Patrum et praedicationis ecclesiasticae".

3. Tripliciter tamen approbatio Theologorum *deficit* ab approbatione Patrum: a) Fere omnes Patres pertinebant ad ipsum magisterium; pauci Theologi qui pertinebant ad magisterium (v.g. S. Bonaventura, S. Albertus M., S. Bellarminus, Benedictus XIV) generatim sua scripta theologica composuerunt ante susceptum episcopatum. b) Magisterium approbavit singulos Patres; approbatio Theologorum, Doctoribus exceptis, est valde generalis et potius confertur scholis quam individuis Theologis. c) Omnes Patres sunt sancti; sed non omnes Theologi.

Qui triplex defectus approbationis *compensatur* per constantiam consensus. Quod ut pateat, considera tria:

a. Ex scholis Theologorum *prodiit ipsum magisterium;* atqui si Theologi omnes per 10 saecula docuissent errorem in fide, morali necessitate secutus esset error in ipso magisterio.

Dices: *Assistentia Spiritus s.* talem errorem arcuisset.

R. *C.* Sed Deus generatim operatur per causas secundas (supra p. 428)

b. A saec. 12 ad 18, scholae theologicae erant *sub vigilantia magisterii,* non tantum de iure, sed etiam de facto. Ergo si omnes Theologi toto hoc tempore firmiter docuissent errorem in fide, magisterium officio suo gravissime defuisset tacendo. Uti enim habet decretum Gratianum: "Error cui non resistitur, approbatur".[4]

c. Recte arguit Pesch (I n. 598): *"A priori* improbabile est tot viros sanctissimos, ingenio praestantissimos, qui reiectis curis saecularibus studio theologiae se dederunt, adhibitis omnibus adiumentis naturalibus et supernaturalibus, hos, inquam, viros omnes in errores theologicos incidisse et hos errores per tot saecula pro

[3] D 1680, 1683.

[4] EB n. 517.

doctrina revelata proposuisse. Si hoc admitti posset, non solum desperandum esset de aptitudine intellectus humani ad inveniendum verum, sed etiam de ipsa providentia divina."

Ergo constantia consensus Theologorum satis compensat pro minore gradu approbationis.

Cor. 1. Ergo si Theologi omnes firmiter et constanter aliquam rem docent ut revelatam, haec res est *de fide divina* ("ex iugi magisterio").

Cor. 2. Ergo, sicut approbatio magisterii est elementum *praecipuum* quo constituitur auctoritas dogmatica Patrum, ita etiam Theologorum. Sed cum fundamentum reale approbationis Patrum sit excellentia doctrinae et sanctitas heroica, fundamentum approbationis Theologorum est potius eorum *coniunctio actualis* cum magisterio.

Obiectiones

1. Theologi sunt *homines,* ac proinde fallibiles.

R. *Dist.* sunt homines cum speciali relatione ad magisterium *C.* sine tali relatione *N.*

Urg. De facto, Theologi in multis *erraverunt.* Ergo specialis relatio ad magisterium eis nihil profuit.

R. *Dist.ant.* in rebus profanis *Tr.* vel *C.* in rebus quae pertinent ad depositum fidei *subd.* quando aderat consensus firmus et constans *N.* aliter *Tr.*

Urg. Usque ad Galileo, Theologi omnes firmiter tenuerunt *systema ptolemaicum.* Atqui hoc nunc dicitur esse falsum.

R. *Tr.* Est enim res pure scientifica.

Urg. Theologi saec. 17 iudicaverunt illud esse *rem fidei;* nam putaverunt systema copernicanum contradicere Scripturae.

R. *N.supp.* Theologi unius aetatis non sufficiunt ut factum revelationis certo constet.[5]

Urg. *Sacramenta* sunt res fidei. Atqui Theologi medii aevi erraverunt circa ea; sic docuerunt ordines minores esse sacramentum, episcopatum non esse sacramentum etc.

R. *N.supp.* ob eandem rationem.[6]

2. Theologi non iam poterant esse boni testes revelationis; nam *nimis distabant* a tempore quo data est revelatio christiana, scil. plus 1000 annis. Id quod a fortiori valet de Theologis hodiernis.

R. *Dist.* testes dogmatici *N.* historici seu apologetici *subd.* immediati *C.* mediati *N.*

3. G. Tyrrell: Quis nos docuit Theologos errare non posse nisi Theologi ipsi? "There is nothing to be afraid of unless we are foolish enough to take theology and theologians at their own preposterous valuation" (Letters, ed. Petre p. 93; cf. p. 10, 32).

R. Uti constat ex probatione thesis, auctoritas dogmatica Theologorum derivatur ex approbatione explicita et implicita magisterii.

---

[5] E. R. Hull, Galileo and his Condemnation (1913).
[6] Dorsch II p. 649.

Schol. *Res cum revelatione conexae*

Eadem quae supra p. 533-4 dicta sunt, etiam hic applicanda sunt. Scil. si Theologi, firmo et constanti consensu, docent rem aliquam ut *intime ac necessario* conexam cum revelatione, talis doctrina est *"theologice certa"* ex ipso consensu. Et si Theologi, firmo ac constanti consensu, docent rem aliquam, non quidem ut revelatam, sed ut *aliquomodo* conexam cum revelatis et ut veram, talis doctrina est *"certa et communis"*.

Qua de re tria sunt notanda:

a. Potest esse ut in utrisque rebus *maior* sit consensus Theologorum quam Patrum. Sic Theologi consentiunt animam Christi in hac vita habuisse visionem beatificam, angelos esse puros spiritus etc.; Patres autem non consenserunt.[7]

b. Ex his etiam patet quae sit auctoritas dogmatica Theologiae *speculativae* et *scholasticae*.

c. Etiam *philosophia scholastica* gaudet auctoritate quadam dogmatica. Eius principia et methodus enim habent nexum (saepe intimum) cum revelatione; unde veteres Scholastici simul tractaverunt theologiam et philosophiam. Magisterium autem philosophiam scholasticam saepe approbavit eamque praescribit pro seminariis.

---

[7]Inde etiam est quod haeretici saec. 16 speciali odio prosequebantur Theologos, praesertim Scholasticos, quia hi saepe clarius exponerent eorum errores quam Patres.

III. AUCTORITAS S. THOMAE

Cf. Bainvel, Mag. p. 92-4; CE s.v. Thomas Aquinas; DA s.v. Thomisme; DieckmannE II p. 192-200; Dorsch II p. 650-2; Ehrle, Die Scholastik etc.; Grabmann, Gesch. p. 75-84; de Groot p. 813-820; d'Herbigny, Théol. du révélé p. 314-327; Lercher I p. 570-2; Muncunill III p. 186-191; Pesch I n. 601; Schultes p. 693-704; Tanquerey I p. 751-2.

Inter Theologos primum locum tenet S. Thomas. Breviter videamus approbationem omnino specialem ei collatam, excellentiam doctrinae, auctoritatem philosophicam.

1. *Approbatio magisterii*

a. Saeculis *praeteritis*: a) Rom. Pontifices numquam cessaverunt instanter commendare eius doctrinam; ita Ioannes XXII, Urbanus V, Pius V, qui ei anno 1567 decrevit titulum Doctoris Ecclesiae. b) Singularibus laudibus eum extulerunt Concilia oecumenica: Lugdun. II, Viennense, Florentinum, Tridentinum. c) Ordines religiosi (Jesuitae, Dominicani, Augustiniani etc.) multaeque universitates catholicae eum elegerunt in magistrum suum, atque eius Summam Theologicam suffecerunt ut "librum textus" in scholis suis, loco "Sententiarum" Petri Lombardi.[1]

b. *Temporibus nostris*:

Omnium saeculorum laudes quasi in unum collegit *Leo XIII*, praesertim in encyclica 'Aeterni Patris' (1879), ubi S. Thomam vocat "principem et magistrum" omnium Scholasticorum, "catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus"; atque episcopos mundi enixe hortatur ut "auream S. Thomae sapientiam" restituant et quam latissime propagent.

Pius X multis commendavit et inculcavit studium S. Thomae: 'Pascendi' (1907), 'Sacrorum Antistitum' (1910), 'Doctoris Angelici' (1914).

Benedictus XV confirmavit decretum Pii X quo Summa S. Thomae declaratur 'liber textus' pro scholis Italiae et insularum adiacentium ('Sacrae Theologiae' 1914).—Sub eodem Pontifice editus est (1918) Codex iuris canonici, quo pro seminariis statuitur: "Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici

---

[1] Ehrle p. 27; Grabmann p. 82, 146.

Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant" (can. 1366, 2).

Tandem *Pius XI* ('Studiorum ducem' 1923) S. Thomam declaravit "communem seu universalem Ecclesiae doctorem", quia Ecclesia eius doctrinam suam fecerit.

Uti patet ex his testimoniis, approbatio S. Thomae est prorsus *sui generis* et iure dicitur *specialissima*. Magna igitur est eius auctoritas dogmatica, atque doctrina eius sequenda saltem in genere. Immo qui (in rebus nondum definitis aut aliunde certis) mentem S. Thomae clare expressam suam fecerit et ita eum simpliciter habuerit ut ducem ac magistrum, certus est se sequi doctrinam tutam et communissime acceptam.[2]

2. *Excellentia doctrinae*

Fundamentum reale approbationis magisterii fuit eius *sanctitas,* ac praesertim eximia eius *sapientia.* Quanta haec fuerit, exponere iuvat verbis Leonis XIII: "Inter scholasticos Doctores, omnium princeps et magister eminet S. Thomas. Qui, uti Caietanus advertit, veteres 'doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est'. Illorum doctrinas, velut dispersa cuiusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit et magnis incrementis ita adauxit ut catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur. Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives—soli comparatus orbem terrarum calore virtutum et doctrinae splendore implevit" ('Aeterni Patris').[3]

3. *Auctoritas philosophica*

Secundum CIC (can. 1366), etiam philosophiae studia pertractanda sunt "ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam, principia". Qua de re duo notanda:

a. Quamvis magisterium Ecclesiae non curet res mere philosophicas, tamen eius munus est depositum fidei custodire, explicare,

---

[2]Quomodo *Societas Iesu* hanc normam applicuerit et applicet in concreto, cf. Inanen, in ZkTh 1916 p. 201-237; DieckmannE II p. 193, 196-200; Epitome n. 315-8.

[3]Ehrle p. 9-16, 27-8.

defendere. Iamvero, ut testatur experientia saeculorum, ad id peculiariter apta sunt principia et methodus S. Thomae.[4]

b. Recte monet Card. Ehrle (p. 55-74) : "Principia" S. Thomae secundum quae magisterium vult ut peragantur studia philosophiae, non sunt principia propria "Thomismi", sed ea principia communia Scholasticorum quae habent valorem apologeticum (uti hodie dicimus) ; quae principia optime proposita sunt in operibus S. Thomae.

---

[4]de Groot p. 853-9.

ARTICULUS 3

ECCLESIA DISCENS

Quae sequuntur, intellegi possunt vel de tota Ecclesia Catholica (incluso magisterio) vel de "simplicibus fidelibus", quatenus considerantur quasi separatim a magisterio. Loquimur de his potius.

1. *Consensus fidelium*

1. *Assertum*: In rebus fidei et morum, etiam fidelium consensus firmus, constans, clarus est fons certus revelationis.[1]

2. *Explicatur*: Ut argumentum hoc sit certum, postulamus 4 *condiciones*: a) Debet adesse verus consensus inter *omnes* partes Ecclesiae, non tantum unius vel alterius regionis, dioecesis etc. b) Hic consensus debet esse *firmus,* uti dictum est de consensu Patrum et Theologorum. c) Consensus debet esse *constans,* i.e. iam durare per saecula. d) Consensus debet esse *clarus,* i.e. quatenus est explicitus vel evidenter subest alicui praxi catholicae.

3. Assertum *probatur*

a. Ecclesia infallibilis est non tantum in docendo (active), sed etiam in discendo (passive) seu credendo. Immo Christus instituit magisterium infallibile non propter seipsum, sed ut Ecclesia tota esset infallibilis in credendo. Ergo si tota Ecclesia discens teneret aliquid ut revelatum quod non est revelatum, ipse *finis magisterii* frustraretur.

b. *Unitas fidei,* quae et quatenus habetur ex praedicatione magisterii, deficere nequit. Atqui deficeret si consensus fidelium tenere posset aliquid ut revelatum quod revelatum non est.

c. Ante definitionem Immaculatae Conceptionis, Pius IX etiam exquisivit sensum fidelium hac de re in variis partibus terrae.

d. Testimonia Patrum et Theologorum habes apud van Laak, Rep. p. 557-560; Lercher I p. 573; Franzelin, Trad. p. 112; Tanquerey I p. 753.

Schol. Consensus simplicium fidelium non est fons primarius revelationis aut unicus aut semper aptus.

---

[1]Bainvel, Mag. p. 94-9; Dorsch II p. 652-5; Franzelin, Trad. p. 103-114; Humphrey p. 143-155; van Laak, Rep. p. 554-565; Suarez, De Fide, Disp. 5 s. 6; Tanquerey I p. 752-4.

Dices: Ait *S. Hilarius* (Contra Auxentium): "Sanctiores sunt aures plebis quam corda sacerdotum". Ergo in rebus fidei simplices fideles audiendi sunt potius quam episcopi.

R. *N.supp.* S. Hilarius enim comparat episcopos arianos cum plebe quae retinuerat fidem Nicaenam.[2]

2. *Canon S. Vincentii Lirinensis*

In suis 'Commonitoriis', S. Vincentius (mort. ca. 450) statuit hanc regulam generalem qua, oborta controversia, discerni possit vera fides: "Magnopere curandum est ut id teneamus *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus* creditum est. Hoc enim est vere proprieque catholicum".

De hoc canone multum disputatum est in controversia inter Jurieu et Bossuet[3] et tempore 'Oxford Movement'.[4] Post 1870 'Veteres Catholici' eum fecerunt supremam regulam suae fidei.[5]

Unde quaeritur qui sit *valor dogmaticus* huius canonis?

Omnino distinguendum est: a) Canon valet sensu aiente, i.e. quatenus idem dicit ac *consensus fidelium* firmus, constans, clarus. b) Canon etiam valet sensu negante, si intellegitur de fide explicita *et* implicita; hoc sensu enim includit totum depositum fidei, quod semper credebatur in Ecclesia. c) Canon non valet sensu negante, si intellegitur de fide *explicita;* non enim omnia quae continentur in deposito fidei explicite credebantur ab initio a tota Ecclesia, neque id solum catholicum est quod semper et ubique credebatur explicite.[6]

3. *Argumentum ex praescriptione*

1. *'Praescriptio'* est terminus legalis, ac significat titulum iuris qui fundatur in diuturna possessione. Sic si quis diu domum pacifice occupat ut suam, ipsa non-interrupta possessio habetur pro titulo iustae possessionis; atque etsi desint documenta legalia, talis possessor disturbari nequit (cf. squatter's rights).

2. Argumentum theologicum quod dicitur "ex praescriptione", agit de *origine apostolica* doctrinae, usus, praxis etc. Eius prin-

---

[2]supra p. 479; Franzelin, Trad. p. 112-4.

[3]CE s.v. Fundamental Articles.

[4]Newman, Apol. p. 108; Cadoux p. 509.

[5]Algermissen p. 266.

[6]Bainvel, Mag. p. 65; Bardenhewer p. 521; Franzelin, Trad. p. 289-294; Mazzella, Virt. p. 283-6; de San p. 175-181; HE IV p. 400-2.—Alia est quaestio quomodo S. Vincentius ipse intellexerit suum canonem. Qua de re disputant periti. Cf. EphL 1936 p. 545-550.

cipium sic enuntiavit S. Augustinus: "Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur" (De Bapt. IV 24). Tertullianus, auctor argumenti, autem principium sic enuntiavit: "Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum", i.e. ab Apostolis.[7]

3. Ut hoc argumentum gignat certitudinem, duo probanda sunt: a) Ipsum *principium* sic probatur: Si haec res non esset originis apostolicae, introducta esset postea—idque vel per conspirationem universalem vel per incuriam pastorum; atqui utrumque excluditur; nam magisterium gravissime defuisset suo muneri, neque adesset unitas in tota Ecclesia. b) Ex *documentis historicis* haec constare debent: Hoc vel illo saeculo (v.g. saec. 3 vel 4 vel 5) haec res erat *ut apostolica* in vita publica totius Ecclesiae.[8]

4. Ergo in argumento theologico, vox 'praescriptio' tantum *analoge* sumitur ad praescriptionem legalem. Argumentum convenit cum processu legali quatenus desunt documenta anteriora; differt ab eo quatenus vult praecise probare originem apostolicam seu iustam possessionem ab initio, cum praescriptio legalis conferat tantum ius praesens.

---

[7]Tertullianus etiam alio principio utitur: "Quod prius est, verum est". Inde probat haereticos suae aetatis docere nova et non-apostolica, cum non possint probare eorum originem apostolicam. Cf. van den Eynde p. 198-203.

[8]Pesch I n. 411; Lercher I p. 564; de San p. 404; Bardenhewer p. 184; Humphrey p. 120; d'Alès, Théol. de Tertullien p. 260-1.

ARTICULUS 4

NOTIO TRADITIONIS

1. Sensu *ordinario,* vox 'traditio' sumitur obiective vel active. Obiective seu passive sumpta, traditio est *res* transmissa de uno ad alios, praesertim posteros. Active sumpta, traditio est *actus* (vel series actuum) vel *medium* quo res transmittitur. Sic pater moriens tradit liberis bona sua (obiectum) eo quod subscribit (actus) testamento (medium); magister tradit scientiam discipulis; historicus scribens librum tradit facta posteris.

Uti patet, traditio activa nequit esse sine obiectiva, neque obiectiva sine activa. Unde etiam loquuntur de traditione adaequata seu complexiva, quae omnia elementa complectitur.

2. Ex claris verbis Christi (Mt 28, 18-20) constat debere esse traditionem in *Ecclesia.* Et quidem a) *res* primarie transmittenda in Ecclesia semper erat et erit totum depositum fidei ("omnia quaecunque mandavi vobis"); b) *medium* primarium transmissionis est successio apostolica a Christo instituta; c) modus seu *actus* transmissionis est praedicatio ("docete").

3. Haec quidem sunt certa. Disputant autem hodie theologi quodnam ex his elementis, in definienda traditione sacra, ponendum sit *in recto,* scil. utrum res an medium an actus.

Praeferenda videtur definitio qua medium ac modus traditionis ponitur in recto, res tradenda in obliquo. Unde primo agemus de traditione activa, dein de definitione qua res ponitur in recto.

I. *Traditio active sumpta*

1. Secundum nos, traditio sacra est medium ac modus quo, secundum voluntatem Christi, depositum fidei transmittendum est in Ecclesia usque ad finem mundi. Medium in concreto est magisterium semper vivum Ecclesiae Catholicae, modus est praedicatio. Unde nobis

Traditio est praedicatio magisterii.

2. Haec definitio est a priori *possibilis.* Nam a) vox 'traditio' etiam sumitur sensu activo; b) Christus solemniter mandavit id praecise quod respondet eius sensui activo; c) magisterium sibi semper conscium erat huius mandati.

3. *Praeferendam* esse hanc definitionem, fuse ostendit A. Deneffe, S.J., in "Der Traditionsbegriff" (1931). Etenim a) si Traditio sic definitur, clare apparet eam esse fontem revelationis, immo, ex voluntate Christi, *fontem primarium.* b) Aliae definitiones Traditionis sunt ambiguae et *logice difficiles.* Sic si (uti fit in catechismis) Scriptura et Traditio dicuntur esse fontes revelationis, ubi, neglecta nostra definitione, manet magisterium? Saltem clare explicandum esset quae sit relatio Traditionis aliter intellectae ad magisterium; secus ansa praebetur dubii vel erroris. c) Contra Protestantes, qui reiciunt Traditionem, imprimis ostendendum est depositum fidei etiam *aliter* transmitti posse ac debere quam per S. Scripturam. Num etiam aliud sic transmittatur (i.e. quod non contineatur in Scriptura), est minoris momenti in Theologia fundamentali.[1]

4. Merito igitur haec definitio hodie fit *communior.* Eam approbant: Bainvel (Mag. p. 35 et in CE s.v. Tradition and Magisterium); Conway, Question Box; DieckmannE II p. 29-30; Dorsch II p. 579; FelderA II p. 313; Goebel p. 433; Franzelin, Trad. p. 20-2; Lercher I p. 546; van Noort, Font. p. 97; Pesch I n. 564; Pohle, in Kirchenlexikon s.v. Tradition; Walker p. 37.

5. *Obiectiones*

a. Si Traditio sic definitur, excluduntur Patres, Theologi, simplices fideles tamquam fontes revelationis.

R. *N.* Horum testimonia *implicite* continentur in praedicatione magisterii, quatenus ex eorum fide elucet praedicatio magisterii.

b. Obicit de San (p. 99): Si Traditio sic definitur, non iam sunt duo fontes revelationis *adaequate distincti.*

R. *C.* Sed cur debent esse adaequate distincti?

Urg. Distinctio adaequata docetur (explicite vel implicite) a *Conc. Trid.* (D 783 "et", "necnon").

R. *Dist.* insinuatur *Tr.* docetur *N.* Num particulae "et" vel "necnon" necessario indicant distinctionem adaequatam?

Urg. Pars una revelationis transmittitur per Scripturam, pars alia per Traditionem. Ergo est distinctio adaequata.

R. *Dist.prim.partem ant.* dependenter a magisterio *C.* independenter *N.* vel *subd.* ita ut tota Scriptura credi possit independenter a magisterio *Tr.* debeat *N.* vel *iterum subd.* per accidens *Tr.* per se *N.* Iamvero totum depositum fidei, ad quod pertinet Scriptura, credi debet (saltem implicite), et quidem per se.[2]

---

[1]Cur tamen ii qui primi responderunt Protestantibus, potius loquerentur de traditionibus *obiectivis,* cf. Bainvel, Mag. p. 35.

[2]Quod responsum melius intellegetur post thesim de criterio inspirationis biblicae. Cf. infra p. 711.

Urg. In nostra definitione a) non iam est distinctio inter regulam fidei et fontem revelationis, b) revera non est nisi *unus* fons revelationis, scil. praedicatio magisterii.

R. ad a) *Dist.* distinctio adaequata *C.* inadaequata *N.* Regula fidei enim est praedicatio magisterii semper vivi, fons revelationis autem est praedicatio magisterii cuiuslibet aetatis.—ad b) *Dist.* ultimatim *C.* proxime *N.* Scriptura qua fons revelationis ultimatim pendet a magisterio; nihil autem obstat quin ab invicem distinguantur.

II. *Traditio obiective sumpta*

Nota. Cum Traditio sumi possit etiam sensu obiectivo et cum hic sensus diu praevaluerit, oportet theologum scire eius definitionem accuratam et divisiones.

1. Definitio

1. Sensu obiectivo, traditio sacra est *id quod,* ex voluntate Christi, tradendum est per praedicationem magisterii. Hoc autem est totum et solum depositum fidei.[3]

2. In decursu saeculorum, haec definitio tripliciter modificata est:

a. Traditio saepe concipiebatur ut *adaequate distincta* a Scriptura, ita ut comprehenderet tantum ea quae non leguntur in Scriptura. Qua notio subintellegitur in Conc. Trid. ("sine scripto traditionibus" D 783) et Vat. ("in verbo Dei tradito" D 1792), atque sat communis erat inter theologos.[4]

Nota. Contra has traditiones Protestantes adduxerunt duo textus Scripturae: a) "Irritum fecistis mandatum Dei propter *traditionem vestram*" (Mt 15, 6); b) "redempti estis de vana vestra conversatione *paternae traditionis*" (1 Petr 1, 18).[5]—Sed facilis erat Catholicis responsio ex contextu locorum. Etenim ad a) Christus locutus est de traditionibus Judaeorum contrariis mandato Dei. ad b) Petrus videtur esse locutus de iisdem, vel de caeremoniis mosaicis (quae iam evaserant vanae), vel de Mishna.

b. Praeter depositum fidei, in Ecclesia Catholica transmitti poterant et de facto transmittebantur *multa alia,* quae olim pertinebant vel adhuc pertinent ad vitam concretam Ecclesiae; v.g. festa, ieiunia, sacramentalia quaedam, canones et leges etc. Etiam haec dici possunt et dicta sunt "traditiones".

---

[3]Hoc solo sensu loqui quis potest de "traditionibus" (in *plurali*), scil. de singulis veritatibus quae continentur in deposito fidei. E contra, magisterium eiusque praedicatio est aliquid unum et continuum

[4]Non dicimus hunc usum vocis 'traditio' esse malum; sed systematice et theologice praeferenda videtur nostra definitio.

[5]Schaff, Creeds of Christendom I p. 205.

Nota. Aliqui Patres Conc. Trid. initio non clare distinxerunt inter haec (secundaria et accidentalia) et ea quae necessario transmittenda sunt ex mandato Christi.[9]

c. Vox 'traditio' interdum identificabatur cum *"doctrina Patrum"*, quatenus revelationes quae non continentur in Scriptura, omnes vel fere omnes leguntur in operibus Patrum. Ita praesertim ubi theologi afferebant "argumentum *ex Traditione*".

2. Divisiones

1. Traditio scripta et oralis

Traditio *scripta* est vel tota Scriptura vel aliquid quod continetur in ea; traditio *oralis* autem est ea pars depositi fidei quae non continetur in Scriptura.

Haec divisio desumitur ex relatione depositi fidei, quod est obiectum primarium et essentiale traditionis sacrae, ad Scripturam. Cum enim Scriptura sit pars huius obiecti ac proinde transmittenda cum eo, etiam Scriptura vocari potest 'tradita' et 'traditio' (infra p. 668).

Nota. Terminus 'traditio oralis' saepe male intellegitur. Sic scribit McClorey (in EcclR 1929 I p. 593): "Tradition is the spoken word of Christ and the Apostles, never committed to writing by them". Sed alia est definitio nominalis, alia saepe *technica*. Traditiones hae dicuntur 'orales', non quia Christus eas oraliter docuit Apostolos, neque quia fideles eas accipiunt ex ore magisterii (sive Apostolorum sive eorum successorum), neque quia numquam scriptis consignatae sunt—sed unice quia *non continentur in Scriptura.*

In abstracto quidem haec divisio erat facilis et adaequata. In concreto autem minus facilis erat *applicatio*. Multis enim modis aliquid dici potest *contineri vel non contineri* in libro, qualis est Scriptura: formaliter (explicite et implicite), virtualiter, partialiter, indeterminate etc. Hinc aliqui theologi (v.g. Wirceburgenses), respicientes res iam definitas a magisterio, distinxerunt triplicem traditionem oralem:

a. Traditio *inhaesiva* dicitur res definita quae etiam *formaliter* (explicite vel implicite) continetur in S. Scriptura; v. g. resurrectio Christi.

b. Traditio *declarativa* dicitur res definita quae tantum *virtualiter* (partialiter, indeterminate, obscure, confuse) continetur in S. Scriptura: v.g. baptismus infantium, transubstantiatio, perpetua virginitas B.V.M.

---

[9] R. Hull, in EcclR 1929 II p. 478-482.

Huc aliqui trahunt definitiones quibus magisterium *authentice declarat* verum sensum S. Scripturae—sive hic sensus inveniri potest sine tali declaratione sive non, i.e. sive locus S. Scripturae est in se clarus sive non.[7]

c. Traditio *constitutiva* seu 'mere oralis' est res definita quae *nullo modo* continetur in S. Scriptura; v.g. canon completus S. Scripturae, numerus sacramentorum etc.

Nota. Licet haec traditio dicatur 'mere' oralis, tamen huic termino technico eadem applicanda sunt quae supra p. 548 dicta sunt de 'traditione orali'.

2. Traditio divina et humana

a. Traditio *divina* est originis divinae, et nihil aliud est quam depositum fidei vel pars eius. Etiam dicitur *dogmatica,* quia credenda est (saltem implicite).

Traditiones divinae subdividuntur: Traditio dicitur *Dominica,* si res revelata est a Christo in hac terra degente (v.g. primatus, sacramenta). Traditio dicitur *divino-apostolica,* si res revelata est a Spiritu s. post Ascensionem (v.g. canon N.T.).

b. Traditiones *humanae* sunt originis humanae et versantur extra depositum fidei.

Etiam hae subdividuntur: Traditio dicitur *apostolica* vel *apostolico-ecclesiastica,* si res instituta est ab Apostolis vi muneris sui pastoralis (v.g. ieiunium quadragesimale, ut videtur). Traditio dicitur *ecclesiastica,* si res instituta est post Apostolos a pastoribus Ecclesiae (v.g. festa Sanctorum).

Nota. Licet hi termini saepe occurrant in libris theologicis, eorum significatio non semper eadem est. Ratio est quia res transmissae in Ecclesia, sive pertinent ad depositum fidei sive non, habent varias relationes. Sic traditio Dominica etiam vocari potest apostolica, quia tradita est Apostolis, vel ecclesiastica, quia tradita est Ecclesiae etc.[8]

3. Conc. Trid. (D 783) suscipit traditiones "tum ad *fidem* tum ad *mores* pertinentes". Uti patet ex contextu, Conc. tantum loquitur de iis quae pertinent ad depositum fidei. Quaenam autem sit distinctio inter eas, cf. supra p. 10, 513.

---

[7]Franzelin, Trad. p. 221; de San p. 44-5.
[8]Humphrey p. 115-123.

ARTICULUS 5

DOCUMENTA TRADITIONIS

Traditio sacra est praedicatio magisterii (supra p. 545). Documenta huius Traditionis igitur sunt ea quae continent seu manifestant praedicationem magisterii. Etiam dicuntur 'organa', 'testimonia', 'testes'.

Quae documenta habent duplicem indolem: critico-historicam et dogmaticam. a) Qua documenta *critico-historica,* imprimis subiacent examini critico, i.e. stabilienda est eorum genuinitas, integritas, verus sensus; atque generatim hoc examen finitum esse supponitur antequam disputari possit de eorum indole dogmatica. b) Qua documenta *dogmatica* manifestant praedicationem magisterii. Atque quaedam ex eis sunt directe doctrinalia, cum ex aliis doctrina magisterii inferri debeat.[1]

Cum praedicatio magisterii possit esse explicita vel implicita, eius documenta commode in 4 classes distribuuntur: a) documenta ipsius magisterii (Rom. Pontificum vel episcoporum), b) opera Patrum, c) opera Theologorum, d) documenta Ecclesiae discentis.

A. *Documenta Magisterii*

Uti constat ex historia, magisterium Ecclesiae Catholicae, memor mandati Christi, non cessavit praedicare evangelium per 19 saecula. Licet autem multa documenta huius praedicationis (praesertim ex primis saeculis) perierint, tamen multa adhuc exstant. Eorumque numerus hodie augetur novis literis, encyclicis etc.

Omnia quidem quorum genuinitas constat, sunt *authentica* seu auctoritativa, saltem pro aliqua parte Ecclesiae, sed non omnia sunt *infallibilia* aut irreformabilia; non omnia enim edita sunt summa auctoritate magisterii.

Classes documentorum

1. *Magisterium solemne: Definitiones* et *decreta dogmatica* Rom. Pontificum vel Conciliorum oecumenicorum. Haec sunt directe

---

[1] *Supremus interpres* et iudex horum documentorum (sub utroque respectu) est magisterium semper vivens (supra p. 425).

doctrinalia et infallibilia. Eorum collectionem sat amplam habes apud Denzinger.[2]

2. *Symbolum fidei* est brevis summa articulorum fidei quae omnibus proponitur ut revelata et credenda. *Professio fidei* est fusior declaratio aliquorum articulorum fidei contra errores obortos.

Etiam haec sunt directe doctrinalia et infallibilia. Disputatur autem utrum pertineant ad magisterium solemne an ordinarium. Etiam horum collectionem sat amplam habes apud Denzinger.

Praecipua symbola fidei, quae accipiuntur etiam a Graecis et a Protestantibus orthodoxis, sunt tria: symbolum Apostolicum, Nicaeno-Constantinopolitanum, Athanasianum ("Quicunque").[3]

Praecipuae professiones fidei sunt: professio Tridentina a Pio IV praescripta (1563), professio Graecis imposita a Gregorio XIII (1575), professio orientalibus (Maronitis) praescripta ab Urbano VIII (1742).[4]

Huc pertinet *iusiurandum antimodernisticum* (D 2145-7).

3. *Magisterium ordinarium* exercetur a Rom. Pontifice (sive per se sive per congregationes romanas) et ab episcopis dispersis per orbem (sive per se sive per alios). Quod magisterium dicitur *universale* si Rom. Pontifex fungitur munere providentiae universalis quoad fidem Ecclesiae, vel si episcopi Rom. Pontifici coniuncti idem docent collegialiter.[5]

Huius magisterii varia sunt documenta—partim doctrinalia partim potius practica—partim infallibilia partim mere authentica:

a. *Encyclicae,* allocutiones, epistolae Rom. Pontificum, "Syllabus" Pii IX etc.[6]

b. *Censurae* vel decisiones doctrinales, decisiones Commissionis biblicae. Etiam harum multas habes apud Denzinger.[7]

c. *Catechismi* sive universales (Tridentinus, Gasparri) sive particulares (v.g. Baltimorensis).

---

[2]Ex 25 sessionibus Conc. Trid. sunt dogmaticae sessiones 4-7, 13-14, 21-25; ex 4 Conc. Vat. sessiones 3-4.

[3]D 1-11, 86, 39-40; Tanquerey I p. 732-5; Beraza p. 159-164; Prümm I p. 42-4; EcclR 1935 I p. 184-9; Bardenhewer p. 255.

[4]D 994-5, 1083-4, 1459-1460.

[5]Bainvel, Mag. p. 103-116; Tanquerey I p. 736-7; Vacant II p. 89-123.

[6]Bainvel p. 106-7; Straub II p. 396-402; Muncunill II p. 607-613; Hervé I p. 542-4.

[7]Bainvel p. 108-112; de Groot p. 640-3; Lercher I p. 519-526; Muncunill II p. 438-452; Franzelin, Trad. p. 152-8.

d. *Libri liturgici*: Missalia, evangeliaria, sacramentaria, breviaria, martyrologia, ritualia, pontificalia, caeremonialia etc.

Haec quidem non sunt directe doctrinalia, sed ex eis *inferri* potest praedicatio magisterii. Nam liturgia practice exprimit id quod magisterium docet; atque notum est principium statutum a S. Coelestino: "Legem credendi lex statuit supplicandi" (D 139).[8]

e. *Decreta disciplinaria*: Ius canonicum, libri poenitentiales, leges ecclesiasticae, Index etc.

Neque haec sunt directe doctrinalia, sed cum eorum finis sit conformare vitam Catholicorum praedicationi magisterii, haec ex eis *inferri* potest.[9]

B. *Opera Patrum*

1. Examen *critico-historicum*: Etiam quoad opera Patrum imprimis inquirendum est num sint *genuina* et *integra*, et qui sit verus eorum sensus.

Qua de re duo sunt notanda:

a. Quantus progressus factus sit his ultimis decenniis in *critica textuali* operum Patrum, cf. de Ghellinck, in CE s.v. Pétau; Gregorianum 1933 p. 185-218, 356-400.

b. Plurima opera Patrum (sensu lato) graecorum et latinorum prostant in editione *Migne*.[10] Hodie autem vulgantur 3 aliae editiones magis scientificae: a) Corpus scriptorum eccl. *latinorum* (University of Vienna—since 1867); b) Antiquiores *graeci* scriptores christiani 3 priorum saeculorum (University of Berlin—since 1897); c) Corpus scriptorum *orientalium* (Paris—since 1903). Quae editiones sunt adhuc incompletae.—Partes selectas ex his habes apud R. de Journel, Ench. patristicum; C. Kirch, Ench. fontium historiae eccl.—Quoad editiones vulgares et versiones, cf. Civiltà Catt. Oct. 1, 1938 p. 46-57.

2. Examen *dogmaticum*: Videndum quis scripserit (num fuerit Pater sensu stricto, Doctor), quid scripserit (v.g. tractatum dogmaticum), quando et sub quibus circumstantiis scripserit.

---

[8] D 2200; DieckmannE II p. 166-171; Tanquerey I p. 737-8; EcclR 1935 II p. 396-9; Clergy Review 1935 p. 1-8.

[9] Enchiridion clericorum; DieckmannE II p. 163-6; Straub II p. 337-9; Muncunill II p. 431-4.

[10] Dict. prat. s.v. Migne; W. Jacob, in ZNW 1939 p. 191-6.

Regulae minus generales ad eruendum valorem dogmaticum vix dari possunt.[11]

C. *Opera Theologorum*

1. Examen *critico-historicum* quoad haec minoris est laboris; multi enim Theologi scripserunt post inventam artem imprimendi libros. Opera Theologorum medii aevi autem numquam collecta sunt in unum corpus, sed exstant *dispersa* in innumeris editionibus vel adhuc latent inedita in magnis bibliothecis Europae.[12]

2. Examen *dogmaticum*: Cum Theologi generatim locuti sint technice et rigorose, eorum interpretatio facilior est. Nihilominus notandum est sensum terminorum, etiam technicorum, non semper eundem mansisse per saecula.

D. *Documenta Ecclesiae discentis*

1. Difficilis iam est *inventio* horum documentorum. Sensus fidelium enim diversimode se manifestat: libris, precibus, devotionibus, imaginibus, inscriptionibus, monumentis etc. Neque exstat collectio scientifica, quamvis celebre sit opus adhuc incompletum Bollandistarum "Acta Sanctorum" (coeptum anno 1643).[13]

2. Difficilior est examen *critico-historicum,* ac praesertim *dogmaticum*. Dogmatice prae ceteris valent testimonia Sanctorum, quia fluunt ex "sapientia", dono Spiritus s., et sententiae martyrum coram iudice prolatae, de quibus Christus dixit: "Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis" (Mt 10, 20).[14]

---

[11] Pesch I n. 503; van Laak, Rep. p. 578; Muncunill II p. 180; de Groot p. 800.

[12] Grabmann, Gesch. der kath. Theologie; de Ghellinck, Littérature latine au moyen âge (1939).

[13] de Groot p. 883-894; Marucchi, Manual of Christian Archeology.

[14] S. Thomas I qu. 1 a. 6 ad 3; Hurter, S. Patrum opuscula vol. 13; Prado p. 236; Perrone III 2 sectio post. II 3; Porporato, in VD 1935 p. 302-311.

ARTICULUS 6

STUDIUM TRADITIONIS

Quaeritur tandem quae sit utilitas vel etiam necessitas legendi documenta Traditionis quae enumeravimus in art. 5. Cui quaestioni breviter respondemus, distinguentes 3 classes membrorum Ecclesiae: magisterium, simplices fideles, theologi.

A. *Magisterium*

1. Tamquam principium retinendum est: Magisterium haurit totum depositum fidei *ex seipso;* ipsi enim traditum est. Atque ne erret aut obliviscatur, ei promissa est assistentia perpetua Spiritus s.

Ergo neque documenta Traditionis neque eorum studium sunt magisterio absolute necessaria. Et licet omnia haec documenta perirent, ne minima quidem pars depositi fidei periret.

2. At promissio assistentiae divinae non excludit, sed supponit usum mediorum naturalium seu ordinariorum si quae adsunt. Ubi enim adsunt talia media, Deus per se non intervenit directe.

Ergo magisterio utilia et *moraliter necessaria* sunt documenta Traditionis eorumque studium indefessum.[1]

B. *Simplices Fideles*

Valde quidem *commendandum* est ut simplices fideles legant opera Patrum, supposita aliqua praeparatione intellectuali ac spirituali. Nulla tamen est necessitas. Potius simplices fideles facilius ac certius cognoscunt fidem catholicam ex praedicatione magisterii nunc vivi: ex encyclicis, ex literis pastoralibus, ex catechismis, ex concionibus, ex libris piis. Haec enim non tantum magis tangunt quaestiones hodiernas, sed etiam proponunt fidem catholicam mentalitati hodiernae magis accommodatam.

C. *Theologi*

Cognitio documentorum Traditionis eorumque studium improbum theologis non tantum utile, sed omnino *necessarium* est. Nam basis theologiae stricte dictae est cognitio revelationis; atqui

---

[1] de San p. 132-9; Muncunill III p. 129; Franzelin, Trad. p. 165-6; C. Butler II p. 137-140.

talis cognitio acquiri nequit sine amplissima cognitione non tantum S. Scripturae, sed etiam documentorum Traditionis, fontis primarii revelationis.

Hinc iure monet Epitome S.J.: "Nostri SS. Patribus et catholicae traditionis documentis praecipuam operam dent" (n. 319, 4).[2]

Pauca tamen dicenda sunt quoad *usum dogmaticum* singularum classium documentorum.

1. Usus documentorum magisterii

a. Cum haec documenta orta sint in adiunctis concretis *historicis,* in eorum recta interpretatione considerandi sunt errores specifici quibus opponuntur, sensus verborum tunc usitatus etc. Neque sunt determinatae phrases, locutiones etc. quibus exprimi debeat praedicatio magisterii. Id quod valet etiam de definitionibus solemnibus, in quibus sufficit quaelibet formula formaliter vel aequivalenter exprimens intentionem definiendi.

b. Caute distinguantur ea quae *clare intenduntur,* ab iis quae vix aut non involvuntur; v.g. argumenta, res ad fidem et mores non spectantes etc. Neque omnia quae leguntur in his documentis, sunt revelata; etiam ea quae cum revelatione conexa sunt, in eis continentur.

c. Si documentum magisterii est *mere authenticum,* non habetur certum argumentum revelationis. Argumentum tamen est per se probabile, atque certum fieri potest modo indirecto vel cumulativo.

2. Usus Patrum

1. *Interpretatio Patrum*

Ex probata thesi 39 sequitur admitti non posse eam interpretationem qua Patres *omnes,* etiam unius aetatis, errasse dicantur in rebus fidei et morum. Quoad *singulos* Patres autem hae regulae statui possunt:

a. Non est admittendus error in iis rebus quae vel statim ab initio vel saltem illa aetate *explicite* propositae erant a magisterio ut revelatae et credendae; talis error enim fuisset haeresis, neque magisterium scriptorem approbasset ut Patrem.

b. In iis rebus quae illa aetate nondum erant explicite propositae,

---

[2]Lercher I p. 555; Schultes p. 727-732; Cayré, Patrologie I p. 9-11; Dict. prat. V col. 369-370.

facilius concedi potest hunc vel illum Patrem errasse; talis error enim non fuisset haeresis, neque magisterium ita approbavit singulos Patres ut tueretur singula eorum asserta, etiam in rebus fidei.[3]

c. Generatim loquendo, *"Patres benigne interpretandi sunt"*. Scil. si commode fieri potest, dicta eorum difficilia ita interpretanda sunt ut non dissentiant ab unanimi doctrina Patrum. Errant autem qui omnia dicta Patrum per fas et nefas salvare conantur; id enim agentes, laedunt iura veritatis et honorem theologiae.

d. Ob approbationem saltem generalem magisterii, Patres cum *reverentia* tractandi sunt etiam ubi errasse inveniuntur.

2. *Consensus moralis*

Plurima et amplissima sunt opera Patrum. Quaeres quomodo umquam constare possit consensus moralis Patrum quin legantur eorum omnium opera omnia? Tria responderi possunt:

a. Adesse consensum moralem, recte infertur si omnes Patres *occidentales* consentiunt. Etenim a) in occidente habetur Romanus Pontifex; ergo si totus occidens errasset, ipse Romanus Pontifex errasset. b) Aetate Patrum, eadem erat fides occidentis et orientis; ergo ex fide Patrum occidentalium iure infertur fides Patrum orientalium, ac proinde totius Ecclesiae. (Haec altera ratio aeque valet pro Patribus orientalibus).[4]

b. Adesse consensum moralem, recte infertur si consentiunt a) *plures* Patres qui b) sunt *insignes* et c) pertinent ad *diversas* nationes, aetates etc.; v.g 8 Doctores magni.

Etiam hanc regulam esse bonam, confirmatur ex modo agendi Conciliorum. Sic in Concilio Ephesino (431), S. Cyrillus non adduxit contra Nestorium Patres omnes praecedentes, sed 12 insignes.[5]

c. Sufficere potest *unus* Pater, qui scil. gaudet approbatione *specialissima,* quae tamen debet esse historice certa. Sic S. Athanasius facit rem certam contra Arianos, S. Augustinus contra Pelagium etc.[6]

---

[3]Hinc patet v.g. D 1320.

[4]Mazzella, Rel. p. 291-3.

[5]de San p. 158-166; Mazzella, Rel. p. 293-4; Muncunill III p. 179; DThC s.v. Pères de l'Eglise col. 1193.

[6]Pesch I n. 581; Mazzella, Rel. p. 295-6; Franzelin, Trad. p. 168-172.—Speciatim quoad auctoritatem dogmaticam S. Augustini, cf. Schultes p. 674-7; Lange p. 67-70.

3. *Patres in dissensu*

Interdum Patres inter se dissentiunt, etiam quoad res fidei. Pauca de hoc casu.

a. Imprimis videndum est utrum dissensus fuerit realis an forte tantum apparens; cum enim voces non semper habuerint eandem significationem, consensus realis latere potest sub dissensu verbali.—Neque silentium aequivalet dissensui. Potius ubi agitur de re fundamentali, silentium aequivalet consensui; cum enim fere omnes Patres pertinerent ad magisterium, vix tacuissent errorem in re tali.

b. Ubi autem constat dissensum fuisse realem, tria notanda sunt: a) Dissensus talis non est mirandus; cum enim non omnia dogmata ab initio essent in fide explicita Ecclesiae, aliqua negari poterant absque haeresi (v.g. canonicitas aliquorum librorum S. Scripturae, validitas baptismi ab haereticis collati). b) Si post controversias aliquando ortus est firmus consensus, habetur argumentum certum ex Patribus; nam consensus Patrum cuiuslibet aetatis ad hoc sufficit. c) Quodsi numquam ortus est consensus firmus de aliqua doctrina ut revelata, argumentum ex Patribus non est certum.

c. De facto, pauci sunt Patres qui realiter dissenserunt in rebus fidei, et singulorum dissensus saepe explicari potest ex adiunctis historicis.

4. *Ad argumentum "ex Patribus"*

Hoc argumentum dogmaticum non caret difficultate. Nam adesse 3 condiciones (sine quibus argumentum non est certum), raro constat nisi longo labore, ex multis textibus, per varia ratiocinia. Id quod notandum est praesertim in rebus in quibus aliquando deerat consensus aut aderat positivus dissensus, et in quaestionibus novis. Qua de re plura notentur:

a. Consensus moralis Patrum non est praesumendus, sed *probandus*. Iure queritur P. Durand: "Argumentum ex traditione suam dignitatem amisit quia theologi et exegetae inde a saec. 16 leviter scribebant 'Omnes Patres consentiunt'—quos non legerant".[7]

b. Argumentum ipsum non tam consistit in accumulatione

[7] DA I col. 1839; DThC VII col. 2325, 2330; Goossens, in BN p. 1145; Brodrick, Canisius p. 498.

textuum, quam in pandendo *progressu historico* dogmatis.[8]

c. Practice tamen distinguere oportet: Ubi quaestio specialis de fundo tractatur, vel ubi controversia vere nova oritur, 3 condiciones adesse, stricte probandum est. Ubi autem agitur de thesibus consuetis theologiae (praesertim in compendiis), sufficit citare textus claros paucorum Patrum, scil. ut illustrationes potius quam demonstrationes—*dummodo aliunde constet consensus* (v.g. in operibus maioribus vel specialibus).

d. Generatim loquendo, testimonium *singulorum* Patrum ("extra consensum", uti dicitur) in rebus fidei et morum praebet argumentum vere probabile. Quae probabilitas crescit a) cum excellentia approbationis magisterii, b) cum numero Patrum consentientium.[9]

3. Usus "scriptorum ecclesiasticorum"

Licet hi non sint adepti approbationem magisterii, nihil obstat quin sint et habeantur a) boni *testes historici* fidei suae aetatis vel aetatum praecedentium, b) *doctores privati* eximii, scil. quatenus res fidei modo insigni explicant, confirmant, vindicant, vel etiam in systema redigunt. Unde videmus Rom. Pontifices haud raro laudare locos desumptos ex eorum scriptis; id quod valet praesertim de operibus Tertulliani et Origenis.

Ad eorum rectum usum dogmaticum tria considerare oportet: a) qui fuerit *error* particularis scriptoris; b) *quando* in eum lapsus sit; c) in quibus *scriptis* eum manifestaverit. Sic Tertullianus lapsus est in montanismum ca. 202, et inter opera eius suspecta numerantur 'De ieiunio', 'De anima', 'De pallio'.

4. Usus theologorum

Mutatis mutandis, similia valent quoad eorum usum ac quoad opera Patrum. Tria tamen notentur:

a. Ex probata thesi 40 sequitur admitti non posse eam interpretationem qua Theologi *omnes* errasse dicantur in rebus fidei et morum. Facilius autem concedi potest hunc vel illum, immo totam aetatem, errasse.

---

[8]Schultes p. 729; J. A. Flynn, in Nat. Cath. Education Ass. Bulletin 1938 p. 593-603.

[9]Pesch I n. 590; Humphrey p. 155-162; DieckmannE II p. 186; FelderA II p. 335-8.

b. Adesse consensum requisitum ad certitudinem, interdum iam constare potest ex paucis Theologis *eximiis,* qui scil. in hac materia sunt *duces.* Sic si Petrus Lombardus, S. Thomas, Scotus, Suarez, Billuart etc. firmiter proponunt aliquam rem ut revelatam, rationabiliter dubitari nequit quin eorum disciduli seu 'scholae' idem sentiant.[10]

c. Ubi Theologi inter se *dissentiunt,* non habetur argumentum certum revelationis ex eorum auctoritate dogmatica. Atque historice constat opiniones quasdam fuisse olim communes vel fere communes per sat longum tempus, sed dein reiectas esse ut improbabiles vel etiam falsas; v.g. quod J 6 non agat de Eucharistia; similiter Theologi disputant de multiplicitate sensus "literalis" in Scriptura.[11]

5. Usus S. Thomae

Quam singularis prorsus sit approbatio qua magisterium semper affecit opera S. Thomae, ac proinde quanta sit eius auctoritas dogmatica, supra p. 539-541 diximus. Unde fit ut etiam *singulae* doctrinae quas S. Thomas a) clare expressit, b) data opera tractavit, c) firmiter retinuit—tantam habeant probabilitatem extrinsecam ut prudenter teneantur—nisi obstet gravis ratio iuxta consensum Theologorum.

Plura tamen notanda sunt:

a. Ne duo confundantur: id quod ipse S. Thomas dixit—et id quod commentatores eum faciunt dicere. *"S. Thomas optimus sui interpres".* Constat etiam S. Thomam suam opinionem interdum mutavisse.[12]

b. Approbatio magisterii maxime refert ad Theologiam *positivam* et *scholasticam.* Theologiam fundamentalem eiusque scientias auxiliares S. Thomas vix tetigit.[13]

c. Magisterium nusquam approbavit *singulas* doctrinas S. Thomae. Obiciunt quidem aliqui Clementem VIII dixisse S. Thomam "sine ullo errore scripsisse", et Joannem XXII ei tribuisse "scientiam infusam". At haec rhetorice dicta sunt. Sane S.

---

[10]Loquimur autem de scholis *probatis,* quales sunt: Thomistae, Scotistae (Franciscani), Augustiniani, Suareziani. Non sunt scholae probatae: Nominalistae saec. 14, Jansenistae, Gallicani, Febroniani, Josephiniani saec. 18-19.

[11]Lange p. 216.

[12]Lottin, in Rech. de Théol. July 1939 p. 270-286.

[13]FelderA II p. 342-3; Dict. prat. VI col. 665-7.

Thomas negavit Immaculatam Conceptionem, et quoad scientiam experimentalem Christi bis dicit "quamvis aliter alibi scripserim" (III qu. 12 a. 2; III qu. 9 a. 4).

Hinc singulae eius doctrinae non sunt habendae pro dogmatis fidei, neque iam ideo certae sunt quia a S. Thoma docentur. Neque controversiae theologicae dirimi possunt ex sola auctoritate S. Thomae.

Paucissimae tamen et omnibus notae sunt doctrinae S. Thomae quas vel non iam licet tenere (v.g. de solemnitate votorum) vel quas Theologi communiter reliquerunt.[14]

e. Ob eminentem auctoritatem S. Thomae, ceteri magni Scholastici non sunt contemnendi aut neglegendi. De *S. Bonaventura* dixit Pius X: "Bonaventuram, utpote non suo dumtaxat saeculo, sed omni posteritati datum divinitus, egregie prodesse etiam huic aetati arbitramur . . . eo magis quod is princeps scholasticorum alter exstitit cum Aquinate" (Ep. 'Doctoris seraphici').[15]

Atque generale hoc principium datum est a *Pio XI*: "Neque in iis rebus de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videtur" (D 2192).[16]

f. Quoad *philosophiam* S. Thomae duo ne neglegantur: a) 24 theses, quae anno 1914 declaratae sunt 'tutae' a Benedicto XV, non ideo sunt certae aut omnibus tenendae. b) Hodie a multis Scholasticis deseruntur hae doctrinae S. Thomae: est distinctio realis inter esse et exsistere entis creati; principium individuationis est materia signata quantitate; intellectus agens est realiter distinctus ab intellectu possibili; anima humana est forma unica corporis humani etc.[17]

---

[14]DieckmannE II p. 195-6; Muncunill III p. 190.

[15]Monet Epitome S.J. (n. 316, 3): "Magni faciant atque diligenter consulant probatos illos et eximios *Societatis Doctores* quorum laus est in Ecclesia".

[16]Grabmann, Geschichte der Theol.; Card. Ehrle, Die Scholastik etc.; DieckmannE II p. 194-200; Przywara, in StZ 1933 p. 26-36.

[17]Pesch I n. 601; DieckmannE II p. 198; Donat, Log. (ed. 5) p. 32; Naber, Theoria cogn. p. 44-6; Descoqs, Theol. nat. I p. 20.

FONTIUM REVELATIONIS

PARS TERTIA

Sacra Scriptura

INTRODUCTIO

1. Uti diximus supra p. 3, in Theologia fundamentali etiam ostendendum est "verbum Dei scriptum" seu S. Scripturam esse fontem revelationis. Id enim edicitur in D 1792.

2. *S. Scriptura* est collectio librorum qui ut "sacri et canonici" recensentur a Conc. Trid. (D 784). Duo autem notanda:

a. Definitio haec est mere *initialis* (nominalis), sed usualis in Ecclesia Catholica.

b. Est distinctio inter librum 'sacrum' et 'canonicum'. Liber est *sacer* seu *inspiratus* quatenus habet Deum auctorem principalem. Liber est *canonicus* a) in actu primo, quatenus Deus eum inspiravit eo fine (operantis) ut traderetur synagogae vel Ecclesiae ut inspiratus (cf. D 1787 "ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt"), b) in actu secundo, quatenus a synagoga vel Ecclesia agnoscitur et fidelibus proponitur ut talis.

Sed etiam hae definitiones mere sumuntur nunc ut usuales in Ecclesia Catholica.

3. De S. Scriptura imprimis 3 quaestiones moventur: a) Qui libri ad eam pertineant—quae est quaestio de *canone;* b) quo sensu Scriptura dicenda sit inspirata—quae est quaestio de *inspiratione;* c) quomodo libri S. Scripturae discernantur ut sacri et canonici—quae est quaestio de *criterio inspirationis biblicae.*

Ulterius autem theologum scire oportet a) quae sint normae servandae in interpretatione S. Scripturae—quas normas tradit *Hermeneutica,* et b) qualis sit conformitas textus hodierni S. Scripturae cum autographis—quae est quaestio de *authentia* S. Scripturae.

Addemus caput magis practicum: De *studio* S. Scripturae.

Unde materiam huius partis sic distribuemus:

1. Canon S. Scripturae
2. Inspiratio S. Scripturae
3. Criterium inspirationis biblicae
4. Hermeneutica biblica
5. Authentia S. Scripturae
6. Studium S. Scripturae.

Quoad *methodum*:

a. Ex *Traditione* variisque eius partibus iam arguimus tamquam ex fonte dogmatico plene probato (utique sub magisterio hodie vivo tamquam regula fidei ultima).

b. Ex *S. Scriptura* ab initio non arguemus nisi tamquam ex fonte historico, prout id probavimus thesibus 6-11; secus enim incurreremus saltem speciem circuli vitiosi. Nihilominus cum eaedem quaestiones interdum tractandae sint dogmatice, etiam indicabimus vim argumentorum (apologeticam et dogmaticam) ex ipsa S. Scriptura.

CAPUT PRIMUM

CANON S. SCRIPTURAE

Non tantum inter Judaeos, sed etiam inter Christianos, aliqui ex libris qui recensentur in D 784, semper et ubique reputabantur pertinere ad S. Scripturam. Post Sixtum Senensem, O.P. (mort. 1569) hi libri vocantur *"protocanonici"*.

Praeter hos autem dantur duae aliae classes librorum:

a. Libri *"deuterocanonici"* sunt ii qui olim ab aliquibus (Judaeis vel Christianis) negabantur pertinere ad S.Scripturam, qui tamen includuntur in D 784. Hi sunt: a) *Libri V.T.*: Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, 1 et 2 Machabaeorum (mnemo "Sebtimm"); eis addi debent hae partes librorum protocanonicorum: Esther 10, 4 usque ad finem (additamenta graeca), et Daniel 3, 24-90 et cap. 13-14.—b) *Libri N.T.*: Epistola S. Pauli ad Hebraeos, Ep. Jacobi, 2 Petri, 2 et 3 Joannis, Ep. Judae, Apocalypsis; quibus addi debent hae partes librorum protocanonicorum: Mc 16, 9-20; L 22, 43-44; J 8, 2-12.[1]

b. Libri *apocryphi* sunt ii qui olim ab aliquibus putabantur pertinere ad S. Scripturam, sed non continentur in D 784. Tales sunt: Liber Henoch, 3 et 4 Esdrae, Epistola Barnabae, Pastor Hermae etc.[2]

Adhibuimus terminos qui hodie in usu sunt apud Catholicos. Sed *terminologia* hac in re numquam erat neque est uniformis apud omnes. Sic Patres generatim vocant 'apocryphos' eos libros dubios qui sunt non tantum pseudonymi, sed haeretici (cf. D 96). Protestantes hodierni vocant 'apocryphos' eos libros quos nos vocamus deuterocanonicos, praesertim V.T.; libros quos nos vocamus apocryphos ipsi vocant 'pseudepigrapha'.[3]

---

[1]Immerito his interdum aliae partes adduntur: Mt 16, 2-3; J 5, 3-4; 1 Cor 15, 51; 1 J 5, 7. Cf. Prado I p. 94; Vacant I p. 401; infra p. 708.

[2]Omittimus plurima illa apocrypha quae *praetendebant* (praesertim per pseudonymum) esse canonica, sed vix ut talia ab ullo agnita sunt; v.g. Evangelium Petri. Horum longum catalogum habes apud Merk p. 71-89. Cf. Höpfl, Introd. p. 77-137; Frey, in IB p. 158-209.

[3]Merk p. 71-2; Holzmeister, Introd. p. 191-5; Standard Dict. s.vv. Apocrypha, Pseudepigrapha; Hastings, Dict. of the Bible, s.v. Apocrypha.

In hoc capite primo breviter texemus *historiam canonis* utriusque Testamenti usque ad Conc. Trid., dein probabimus *Conc. Trid.* recte statuisse canonem in D 784.

Unde duo erunt articuli:

1. Historia canonis
2. Canon Tridentinus.

ARTICULUS 1

HISTORIA CANONIS

Cf. CE s.v. Canon of the Holy Scripture; DA s.v. Canon Catholique; DThC s.v. Canon des livres saints; Gächter p. 23-39; Hastings' Dictionary of the Bible s.vv. Canon of the O.T.; Canon of the N.T.; Höpfl I p. 18-77; Lagrange, Histoire ancienne du Canon du N.T.; Merk p. 29-70; Prado p. 56-96; Rosadini I p. 5-35; Ruwet, in IB p. 97-157; Schöpfer p. 703-714; Zarb, Historia Canonis.

Pure *historice* nunc investigamus quid Judaei vel Christiani cogitaverint de canone S. Scripturae, seu quosnam libros iudicaverint pertinere ad eam. Dein explicabimus sensum decreti Tridentini.

I. *Historia Canonis V.T.*

A. Apud Judaeos

1. Ante Christum duplex exstabat canon S. Scripturae apud Judaeos: a) Canon *palaestinensis* continebat solos libros protocanonicos V.T., qui numerabantur 22 vel 24 vel 27 prout diversimode dividebantur. Certum est hos libros exstitisse ut collectionem iam saec. 2 ante Christum.[1]—b) Canon *alexandrinus* continebat libros V.T. et protocanonicos et deuterocanonicos, et quidem permixtos. Haec collectio plenior exstabat saltem anno 100 A. C.

Quae fuerit *relatio* inter hos duos canones, non constat. Res sane non debet ita concipi quasi Judaei alexandrini statuerint suum canonem contra palaestinensem. Neque enim intellegitur quo iure id facere potuerint, cum in rebus religiosis penderent a Jerusalem; atque aliunde constat Judaeos omnes olim magni habuisse etiam libros deuterocanonicos V.T.

Magis accurate loqui non licet.[2]

2. Circa 100 post Christum, *synodus Iamniae* videtur quasi definivisse canonem V.T., sed ita ut *excluderet* libros deuterocanonicos. Cur et quo iure id fecerit, nescitur.[3]

---

[1] Hic canon saepe vocatur *'esdrinus'*, quia Esdra scriba (ca. 450 A. C.) putabatur fuisse eius auctor. Id tamen falsum est. Cf. Zarb p. 9-11; Höpfl I p. 32-40.

[2] Zarb p. 69-71; Schöpfer p. 707.

[3] Hodiernae "Bibliae hebraicae" non continent nisi libros canonis palaestinensis; LXX autem continet omnes eosque permixtos.

B. Apud Christianos

1. *Christus et Apostoli*

Certum est eos habuisse V.T. in genere ut divinum. Nam saepe ad illud appellaverunt tamquam praeditum auctoritate divina. Quodsi distincte quaeratur de duplici canone, duo dicenda sunt:

a. Dubium non est quin Christus et Apostoli habuerint libros *protocanonicos* V.T. pro sacris; hos enim pertinere ad S. Scripturam, tunc erat persuasio communis Judaeorum.

b. Christum et Apostolos etiam libros *deuterocanonicos* V.T. habuisse pro sacris, probabiliter infertur ex tribus: a) Ubi Apostoli citant V.T., citatio generatim fit secundum LXX, etiam ubi haec versio differt a textu hebraico; atqui LXX continebat etiam libros deuterocanonicos. b) Apostoli videntur saltem alludere ad aliquos libros deuterocanonicos V.T. tamquam sacros, scil. ad Judith, Sap, Eccli, 2 Mach. c) Ecclesia primitiva certo admisit libros deuterocanonicos V.T. ut sacros (cf. statim); atqui id vix fecit nisi docta ab Apostolis.[4]

2. *Primis 3 saeculis*

Toto hoc tempore, *omnes* libros V.T. receptos esse ut sacros ab Ecclesia universa, certum est (et ab ipsis Protestantibus conceditur). Etiam libri deuterocanonici V.T. citabantur iisdem formulis solemnibus ac protocanonici ("Scriptura dicit", "scriptum est" etc.), defendebantur ut sacri contra dubitantes, publice legebantur ut Scriptura.[5]

3. *Saeculis 4-5*

In hac periodo aliqui coeperunt *dubitare*. Atque dubia prima orta sunt in oriente, ubi S. Athanasius, S. Cyrillus Hieros., S. Gregorius Naz. etc. posuerunt libros *deuterocanonicos V.T.* quasi medios inter protocanonicos et 'apocryphos'. In occidente eorum dubia adoptavit Rufinus (et fortasse S. Hilarius). *Practice* tamen iidem Patres omnibus libris V.T. utebantur tamquam Scriptura.[6]

S. Hieronymus theoretice et practice anceps haesit: a) Theoretice: Inde ab anno 390 voluit ut libri deuterocanonici V.T.

---

[4]Merk p. 36; Prado p. 65; de San p. 406-410, 492-4.

[5]Quoad Melitonem et Origenem, cf. infra p. 578.

[6]Theodorus Mopsuestensis, quem Nestoriani habent pro exegeta eximio, negavit canonicitatem multorum librorum V.T. Cf. Höpfl, Insp. p. 240.

excluderentur a S. Scriptura.[7] Mitius tamen iudicavit in Praefatione ad libros Salomonis, et in aliis praefationibus dicit se locutum esse ex mente Judaeorum. b) Practice: Usque ad 390 omnibus libris V.T. usus est tamquam Scriptura; postea interdum anceps haesit, interdum etiam libros deuterocanonicos citavit ut Scripturam.

Non obstantibus his dubiis aliquorum magnorum Patrum, etiam in hac aetate libri deuterocanonici V.T. *ubique* reputabantur pertinere ad Scripturam, atque continentur in *codicibus* et *versionibus* tunc confectis.

4. *Documenta magisterii*

Ex hac periodo exstant plura documenta in quibus magisterium docuit canonem *integrum V.T.* Dubium quidem est num concilium aliquod Laodicense (saec. 4) ediderit canonem. Sed alia documenta sunt certa:

a. *S. Augustinus* omnes libros V.T. enumerat in "De doctrina christiana" (II 8, 13).

b. Idem dicendum de decretis *trium synodorum africanarum*: Hipponensis (393), Carthaginensis III (397) et IV (419).

c. Integrum quoque canonem V.T. tradit Epistola *Innocentii I* ad Exsuperium (405).

d. *"Decretum de recipiendis"* constat 6 documentis, e quibus tertium continet integrum canonem S. Scripturae. Inter peritos quidem non constat de genuinitate decreti, ac praesertim tertiae partis, quae tribuitur Damaso (366-384) vel Gelasio I (492-6) vel Hormisdae (514-523). At nemo dubitat quin decretum sit *antiquissimum* et gaudeat magna auctoritate cum historica tum dogmatica.[8]

5. *Saeculis 6-15*

Per totam hanc periodum, integer canon V.T. *ubique* agnitus est in Ecclesia (orientali et occidentali). Id quod constat ex documentis magisterii, ex testimoniis scriptorum coaevorum, ex codicibus et versionibus V.T. tunc confectis. Vix est unus vel alius auctor (v.g. Iunilius Africanus, Alcuinus, S. Ioannes Damascenus) qui verbis aliquomodo deficiat ab hoc consensu fere physice universali.

---

[7]Cf. "Prologum galeatum", praefationes ad varios libros V.T., Epistolam ad Laetam.

[8]D 84, 92, 96, 162, 173; Bea p. 135; Rosadini I p. 27-8; II p. 258; Höpfl I p. 52-4; HE IV p. 340; LThK s.v. Gelasius I; Suppl. s.v. Gélase.

Etiam haeretici qui his saeculis ab Ecclesia secesserunt, totum V.T. secum tulerunt.

At saec. 12 et 13, *Praefationes S. Hieronymi* aliquam incertitudinem creaverunt in occidente. Cum enim praefixae essent fere omnibus editionibus latinis Scripturae, legentes eas coeperunt habere ut eius partem. Hinc pauci theologi (Hugo a S. Victore, Joannes Sarisb., Nicolaus Lyranus), moti auctoritate S. Hieronymi, dubios habuerunt libros deuterocanonicos V.T. Etiam Alphonsus Tostatus (mort. 1435), "stupor mundi, qui discutit scibile omne", vacillavit.

6. *Concilium Florentinum* (1441)

Hoc Concilium integrum canonem Scripturae apposuit suo Decreto pro Jacobitis (D 706).

Cum autem decretum non esset definitio, postea iterum *dubia* apparuerunt. S. Antoninus (mort. 1459) libris deuterocanonicis V.T. non maiorem auctoritatem concessit quam dictis virorum sanctorum; et Card. Caietanus (mort. 1534) putavit decreta Conciliorum et Rom. Pontificum de canone explicanda esse iuxta Praefationes S. Hieronymi. In ipso Conç. Trid. quidam episcopi favebant opinioni S. Hieronymi.[9]

II. *Historia Canonis N.T.*

1. *Saeculis 2-3*

Breviter videamus quid singulae ecclesiae huius periodi senserint de libris deuterocanonicis et apocryphis N.T.

a. Ecclesia *romana.* Exstant 3 testimonia ex hac periodo: a) Fragmentum muratorianum, quod enumerat omnes libros N.T. ut sacros, praeter Hebr et Apoc. Non est clarum cur etiam omittantur Jac, 1 et 2 Petr, cum certum sit 1 Petr ubique fuisse receptum. b) "Pastor Hermae" allegat omnes libros N.T. praeter 2 Petr. c) Hippolytus Rom. numquam alludit ad 1 J, neque habet Hebr ut paulinam.

b. Ecclesia *graeca.* Apologetae graeci eorumque aequales, licet de canone N.T. non egerint ex professo, saepe usi sunt libris deuterocanonicis, ita ut ex eorum scriptis colligi possit fere integer canon N.T. Sed ca. 140 Marcion statuit suum canonem, in quo continebantur tantum L et 10 (vel 13) epistolae S. Pauli.

---

[9]Merk p. 45-52; Zarb p. 232-6; Prado p. 71-2; Hefele-Leclercq X i p. 16-7.

c. Ecclesia *Aegypti.* Origenes, collatis traditionibus variarum ecclesiarum, testatur ubique agnosci omnes libros N.T. praeter 2 Petr, 2 et 3 J, Apoc; ipse etiam hos iudicavit pertinere ad Scripturam. Cum eo consensit Clemens Alex., qui tamen addidit libros apocryphos, scil. Epistolam Barnabae, Pastorem Hermae, epistolam S. Clementis Rom.

d. Ecclesia *Africae.* Ex operibus Tertulliani et S. Cypriani constat omnes libros N.T. agnitos esse ut Scripturam. Tamen Tertullianus testatur Hebr a multis abiudicari S. Paulo.

e. Ecclesia *Galliae.* Exstant duo testimonia: opera S. Irenaei et epistola ecclesiae Viennensis et Lugdunensis. Ex his patet omnes libros N.T. agnitos esse ut sacros; sed S. Irenaeus videtur habuisse etiam Pastorem Hermae ut Scripturam.

2. *Saeculis 3-4*

a. In *occidente.* Usque ad medium saec. 4, dissensus erat quoad Hebr, 2 Petr, Jac, Jud, 2 et 3 J. Sed S. Hieronymus et Augustinus, quamvis bene nossent haec dubia, eos agnoverunt ut Scripturam.

b. In *oriente.* Eusebius Caes. (Hist. eccl. III 25) distinxit 3 classes librorum N.T.: a) ὁμολογούμενοι qui ubique agnoscebantur ut Scriptura, scil. 4 evangelia, Actus, Epistolae Pauli, 1 Petr, 1 J; b) ἀντιλογούμενοι qui non ubique agnoscebantur ut Scriptura, licet ipse eos receperit, scil. Jac, Jud, 2 Petr, 2 et 3 J; c) νόθοι quos ipse iudicavit non pertinere ad N.T., scil. Acta Pauli, Pastor Hermae, Epistola Barnabae, Didache.

Speciatim quoad *Apocalypsim*: Eam pertinere ad Scripturam, a multis negabatur in oriente. Eusebius decernere noluit utrum numeranda esset in prima an tertia sua classe. Dubitatur etiam quid de ea senserint S. Cyrillus Hieros., S. Gregorius Naz., S. Chrysostomus.[10]

Anno 367 *S. Athanasius* (in ep. festali) tradidit canonem integrum N.T., neque ullum alium librum inclusit. Exinde dubia paulatim decreverunt, donec saec. 6 fere evanescerent.

3. *Saeculis 5-16*

Post decreta magisterii (supra p. 567), quae etiam agebant de canone N.T., integer canon receptus est ut Scriptura in occidente et oriente. Solus Card. Caietanus dubitavit de canonicitate aliquorum librorum N.T.[11]

---

[10]Zarb p. 432, 439, 444; Ruwet, in IB p. 147-9; Allo, L'Apocalypse p. ccxii-v.
[11]Zarb p. 473-480.

III. *Canon Tridentinus*

Concilium Tridentinum in sessione 4 enumeravit omnes libros protocanonicos et deuterocanonicos utriusque **Testamenti**, atque definivit sacros et canonicos esse "libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata Latina editione habentur".[12]

Quoad hoc decretum solemne plura sunt dicenda:

1. Sicut generatim, ita vox 'liber' hic primarie refert ad *autographa*, secundarie ad copias (copy) et versiones, dummodo hae sint autographis conformes.[13]—Amplitudo autem hic est aliquid prorsus accidentale. Aliqui ex "libris" enumeratis in decreto sunt sat longi; v.g. Genesis; alii autem sunt brevissimi; v.g. in V.T. prophetiae Joel, Abdiae, Malachiae; in N.T. Philm, 2 et 3 J.

2. Licet non explicite nominentur in decreto, ***includuntur*** a) Lamentationes Jeremiae (quae supponebantur esse unum cum Jer), et b) Epistola Jeremiae (seu Baruch 6).[14]

3. Concilium insinuavit quidem, sed ***non definivit*** a) genuinitatem sive librorum sive partium (v.g. "5 Moysis"), b) titulos singulorum librorum (v.g. "ad Ephesios"), c) indolem literariam (v.g. utrum 1 J sit homilia an epistola), d) ordinem chronologicum librorum (v.g. 4 evangeliorum).[15]

4. Disputant theologi quid sint *"partes"* ("cum omnibus suis partibus"). Aliqui putaverunt eas esse solas partes deuterocanonicas evangeliorum, vel solas partes deuterocanonicas V.T. (ita Vercellone), vel solos "textus dogmaticos" (ita Franzelin).

Sed quamvis occasio ponendi hanc vocem in decreto fuerit controversia de partibus deuterocanonicis, tamen vox interpretanda esse videtur iuxta sensum ordinarium. Quidquid ergo *ordinarie* diceretur "pars libri", includitur; quidquid ordinarie non sic vocaretur, decreto non exprimitur. Videtur autem "pars libri" esse aliquid alicuius momenti in contextu, i.e. ex mente scriptoris.

In concreto autem assignare limites exactos inter "partes" et "non-partes" libri, fere impossibile est. Tria dici possunt: a) "partes" in sensu decreti sunt certo partes longiores (caput,

---

[12] D 784; Zarb p. 252-263, 489-494.

[13] Bea p. 83-4; Tromp p. 109.

[14] Merk p. 567-8.

[15] D 2129; Zarb p. 493; Bea p. 9; Rosadini II p. 80; III p. 74-5; DA IV col. 1974.

paragraphus, sectio, pericope etc.) et ea quae faciunt ad scopum libri; b) potest esse ut una sententia (v.g. J 20, 31) vel phrasis, immo unum verbum sit "pars"; c) sed per se non sunt "partes" singulae voces aut phrases; immo licet dubitare num singulae sententiae (v.g. 'obiter dicta') dicendae sint "partes".

Attendatur ad a) traditionalem exegesim, b) ordinarium modum loquendi hominum, c) prudentem aestimationem theologorum.[16]

5. Disputant theologi etiam quid sibi velit incisum *"prout etc."*

Imprimis hoc inciso Concilium non videtur voluisse directe declarare Vulgatam latinam sacram et canonicam, neque excludere alias copias vel versiones S. Scripturae aut etiam alios libros (apocryphos), sed tantum praebere *criterium concretum* quo quis facile dignoscere possit de quibus libris vel partibus librorum agatur.

Disputant autem a) num criterium sit unum an duplex, et b) si sint duo criteria, num alterutrum sufficiat.

Ad primum dicendum: criterium videtur esse *duplex* (contra Straub II p. 227-8); nisi enim esset duplex, adesset tautologia. Unde ut liber (vel pars) pertineat ad Scripturam, debuit a) contineri in Vulgata latina et b) esse receptus in Ecclesia qua Scriptura.

Ad secundum dicendum: Non sufficit alterutrum criterium (contra Franzelin), sed *utrumque* adesse debet ut liber (vel pars) dicatur pertinere ad Scripturam. Id sequitur ex ordinaria significatione vocis "et", atque iam consentiunt theologi.

6. Inde sequuntur duo corollaria:

a. *Partes deuterocanonicae* utriusque Testamenti sunt canonicae. Nam a) omnes sunt alicuius momenti in contextu, et b) utrumque criterium eis applicari potest.

b. Licet in Vulgata latina contineantur, *non* sunt canonica: a) Prologus ad Eccli; b) praefatiuncula ad Lamentationes; c) 3 et 4 Esdrae; d) Oratio Manasse. Haec enim non enumerantur in decreto Tridentino, et deest alterum criterium, scil. non legebantur in Ecclesia ut Scriptura; adduntur S. Scripturae permittente Ecclesia. Neque est ulla disputatio hac de re.

---

[16] Merk p. 420; Ruwet, in IB p. 155; Bea p. 73; DA IV col. 1972-3; DThC II col. 1602; Vacant I p. 409-423; Pesch, Insp. p. 268-9; Vaccari, in Gregorianum 1935 p. 295; Goebel p. 455, 457; Fonck, Kampf etc. p. 41-50.

Ob easdem rationes *non* sunt canonici a) tituli librorum (v.g. Sanctum Iesu Christi Evangelium sec. Matthaeum), neque b) notae personales S. Hieronymi (*7* in Esther, 3 in Daniel).[17]

[17]A fortiori non sunt canonici *tituli sectionum* qui adduntur in hodiernis editionibus S. Scripturae (v.g. in Hetzenauer, Merk).—Neque est canonica epistola "Ad Laodicenses", quam habet Nestle p. xviii (cf. Gächter p. 31).

ARTICULUS 2

CANON TRIDENTINUS

THESIS 41

Concilium Tridentinum recte definivit canonem S. Scripturae.

Cf. Bainvel, Script. p. 171-7; Franzelin, Trad. p. 400-511; de Groot p. 670-683; Hurter I p. 186-194; Mazzella, Virt. p. 485-494; Merk p. 24-8; Muncunill III p. 75-86; van Noort, Font. p. 8-17; de San p. 403-506; Schiffini p. 729-741; Schultes p. 540-2.

1. *Concilium Tridentinum* est concilium oecumenicum habitum in urbe Tridento annis 1545-1563.[1] Eius decisiones approbatae sunt anno 1564 a Pio IV in bulla "Benedictus Deus"; habetur etiam "professio fidei Tridentina" praescripta ab eodem Pio IV (D 994-1000).

2. *Canon S. Scripturae* est collectio (vel catalogus) librorum qui pertinent ad S. Scripturam. Quaenam sit indoles interna horum librorum et collectionis qua talis, postea dicetur.

3. *Definire* (sensu ecclesiastico, non logico) est solemniter ac summa auctoritate proponere rem tamquam omnibus Catholicis tenendam (supra p. 403). Solum magisterium *supremum* habet ius definiendi.

4. *Recte*

a. Conc. Trid. *de facto* definivisse canonem, evidens est ex verbis decreti; nam anathema dicitur iis qui libros enumeratos non susceperint ut sacros et canonicos. In thesi autem quaerimus num id recte fecerit.

Quae quaestio tripliciter sumi potest: a) num Conc. Trid. habuerit *auctoritatem* definiendi canonem; neque enim quodvis concilium gaudet auctoritate definiendi, neque Ecclesia definire potest quodlibet; b) num Concilium usum sit bonis *argumentis;* licet enim definitio, si fuerit recta, valeret quaecunque fuerint argumenta, tamen examinari potest valor eorum logicus; c) num decretum Tridentinum conciliari possit cum *historia canonis;* multa enim facta ei adversari videntur (v.g. dubia magnorum Patrum).

---

[1]CE s.v. Trent, Council of; Hefele-Leclercq, Hist. des Conciles, tomi 9-10.

Primis duabus quaestionibus respondebimus in probatione, tertiae in solutione obiectionum.

b. Sumimus thesim *sensu aiente.* Asserimus omnes libros enumeratos in decreto Tridentino pertinere ad S. Scripturam; non autem dicimus num canon Tridentinus debeat etiam sumi exclusive (infra p. 668-9).

Thesis, quae asserit factum dogmaticum, est *de fide (ecclesiastica)* vel saltem *theologice certa.*

ADVERSARII

1. Ii qui negant aliquos libros enumeratos in decreto Trid. pertinere ad S. Scripturam:

a. *Marcion* (saec. 2) reiecit totum V.T. Eum secutus est Harnack.

b. *Lutherus* omnes libros deuterocanonicos V.T. in appendicem relegavit (sub titulo 'Apocrypha'), quamvis non negaret eos esse utiles legentibus. Ex N.T. autem reiecit 3 epistolas (Hebr, Jac, Jud) et Apoc.[2]—Eundem canonem sequuntur Lutherani.

c. *Calviniani* (Presbyteriani, Anglicani) simpliciter omittunt libros deuterocanonicos V.T. (ita praesertim "The British and Foreign Bible Society"); retinent autem libros deuterocanonicos N.T.[3]

d. Inde a saec. 18 *Russi schismatici* libros deuterocanonicos V.T. habent ut minoris valoris dogmatici (nescitur ob quam rationem); tamen libros retinent in sua Scriptura, et quidem permixtos cum protocanonicis.[4]

2. Lutherus, male intellecta actione Concilii, putavit illud *fecisse* libros istos inspiratos (i.e. quasi antea non fuerint inspirati). Similiter arguit Briggs: "A council cannot make that to be of Scripture which is not by nature of Scripture" (Study of Holy Scripture p. 142).[5]

3. Alii Protestantes negaverunt *auctoritatem* Concilii. Sic dicit B. F. Westcott (The Bible in the Church p. 257): "This fatal decree . . . was ratified by 53 prelates, among whom there was not one scholar distinguished for historical learning, not one who

---

[2]W. F. Farrar p. 335-6.

[3]Quoad sectas minores cf. Simms, The Bible from the Beginning p. 293.

[4]Simms ib. p. 132-6; Algermissen p. 321.

[5]Fairbairn, The Place of Christ etc. p. 506-8; Schaff, Theol. Propaedeutic p. 169.

was fitted by special study to deal with a subject in which the truth could only be determined by a careful examination of the records of antiquity".[6]—Similiter Cadoux (p. 298) queritur de *methodo* Concilii, qua putat everti omnem criticam investigationem ("repudiation of all higher-critical methods").

Thesis probatur

Nota. Agimus revera de canonicitate *in actu secundo.* Eam autem non probamus ex canonicitate in actu primo, sed argumento quasi extrinseco, scil. ex auctoritate magisterii Ecclesiae.

Arg. 1. Decretum Tridentinum (D 784) valet, si a) canon S. Scripturae est *res fidei* vel saltem conexa cum fide, et si b) Conc. Trid. habuit *auctoritatem* definiendi.

Atqui verum est utrumque antecedens.

Ergo etiam consequens.

Prob.min. ad a) Id a nullo negatur, et asseritur in D 783 ("veritatem et disciplinam", i.e. *revelatam;* "Deus auctor" "sacrorum librorum").—ad b) Conc. Trid. fuisse *oecumenicum,* constat ex D 783 (ab initio) et ex eo quod iam per 4 saecula admittitur ab universa Ecclesia Catholica (docente et discente). Tandem Pius IV *approbavit* decretum.

Obicit Briggs (l.c. p. 146): "The Council of Trent was not a truly oecumenical Council. It represents only a portion of the Christian Church, and therefore its definitions are the definitions of the Roman Catholic party in the Church. They do not represent the Greek, Oriental and Protestant communions."

R. *N.supp.* Sola Ecclesia Catholica est vera Ecclesia Christi.

Obiciunt Protestantes: Canonicitas est factum *supernaturale.* Atqui nullum concilium tale factum statuere potest.

R. 1. *Dist.M.* canonicitas in actu primo *Tr.* in actu secundo *N.*

R. 2. *Tr.M. Dist.min.* statuere i.e. efficere *Tr.* declarare et proponere fidelibus *N.*[7]

Arg. 2. Conc. Trid. recte definivit canonem S. Scripturae, si eum definivit iuxta *constantem praedicationem magisterii.*

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Ad M. Magisterium enim authentice praedicat fidem et res conexas cum ea.

Prob.min. Duo probanda sunt: a) magisterium constanter praedi-

---

[6] Cf. etiam Lamy, Introd. I p. 71-2.

[7] de Groot p. 680; Zarb p. xxxiv.

casse hunc canonem, et b) hanc praedicationem fuisse argumentum propter quod Conc. Trid. eum definivit. Iamvero:

1. *Praedicatio magisterii*

a. Praedicatio *implicita* magisterii constat a) ex consensu Patrum et Theologorum, b) ex praxi multiplici Ecclesiae.

Etenim inde a saec. 5 (i.e. *per 1000 annos*) exstitit *consensus* fere mathematice *universalis* Patrum et Theologorum. Etiam ii Patres et Theologi qui theoretice dubitabant, fere omnes eundem canonem sequebantur *practice*.

Dein inde a saec. 2 erat praxis universalis Ecclesiae a) *permiscere* libros protocanonicos cum deuterocanonicis in copiis et versionibus Scripturae, b) legere utrosque in ecclesiis *ut Scripturam*, c) citare utrosque iisdem *formulis solemnibus*.—Quae praxis maxime manifesta est ex usu diuturno *Vulgatae latinae*. Haec versio enim in toto occidente fere exclusive adhibita erat per 1000 annos: in Conciliis oecumenicis et synodis particularibus, in documentis magisterii, in libris dogmaticis, in scholis et privatim, in refutatione haereticorum et schismaticorum etc.; id quod constat ex tota literatura medii aevi.[8]

b. Magisterium *explicite* proposuit hunc canonem in 3 synodis africanis, in epistola Innocentii I, in canone S. Athanasii et Augustini, in Conc. Flor.[9]

Obicit Briggs (l.c. p. 140): Usque ad Conc. Trid. "the limits of the Canon were never officially defined by the Church except in provincial synods of limited influence of authority".

R. *N.supp.* a) Res fidei etiam aliter transmitti possunt quam per solemnes definitiones Ecclesiae; datur enim progressus dogmaticus (cf. supra p. 513-4). b) Non asserimus in thesi canonem Tridentinum esse exclusivum.

2. Hanc praedicationem (explicitam et implicitam) magisterii fuisse *rationem* definitionis, constat ex verbis Concilii. Nam definivit canonem "orthodoxorum Patrum exempla secuta", et secundum usum diuturnum Vulgatae latinae (D 784 "prout in Ecclesia legi consueverunt"; D 785 "tot saeculorum usu in Ecclesia probatam").

Obiectiones

A. Quoad *V.T. in genere*

1. Vetus foedus a Christo *abrogatum* est. Ergo libri V.T. non pertinent ad canonem christianum.

R. *C.ant. N.cons.* Constat ex thesi probata.

---

[8] de San p. 329-506; Humphrey p. 243-5; Franzelin, Trad. p. 519-523.

[9] supra p. 567, 568, 569.

Variae autem assignari possunt rationes theologicae cur etiam V.T. pertineat ad canonem christianum: a) Etiam V.T. est *verbum Dei.* b) In solis libris V.T. continetur magna pars *historiae revelationis.* c) Sensus *plenior* vel *typicus* V.T. vix intellegi potuit a Judaeis, intellegi potest a nobis qui fruimur revelatione completa. d) Ex libris V.T. Christus saepe probavit suam messianitatem, quod exemplum dein secuti sunt Apostoli et Apologetae omnium aetatum.

Maxime hac in re valet testimonium *S. Pauli,* qui valde commendat V. T. pastoribus (2 Tim 3, 15-16) et omnibus fidelibus (Rom 5, 14).[10]

2. Conc. Trid. posuit in canone libros de quibus antea *dubitatum* est. Atqui id ei non licuit; nam requirit novam revelationem.

R. *C.M. N.min.*[11]

3. Dantur in V. T. libri *pseudonymi* (v.g. Sap, Eccl). Atqui tales non possunt pertinere ad Scripturam.

R. *C.M. N.min.* Cf. infra p. 646.

Urg. Liber *Proverbiorum* docet prudentiam mere naturalem; ergo non pertinet ad Scripturam.[12]

R. *Tr.ant. N.cons.* Constat ex thesi probata.[13]

Urg. *Canticus* et pars protocanonica *Esther* ne semel quidem referunt ad Deum; ergo non pertinent ad Scripturam.[14]

R. *Tr.ant. N.cons.* Constat ex probata thesi.[15]

B. Quoad libros *deuterocanonicos V. T.*

1. *Judaei* non habuerunt hos in suo canone; ergo non pertinent ad Scripturam.

R. 1. *Tr.ant. N.cons.* Constat ex probata thesi; neque persuasio Judaeorum ullam auctoritatem dogmaticam habet pro nobis neque contra nos.

R. 2. *Dist.ant.* in canone palaestinensi *C.* alexandrino *N.*

Urg. Synagoga Judaeorum a Deo constituta erat *custos authenticus* V. T.; id quod etiam affirmatur a S. Paulo: "credita sunt illis eloquia Dei" (Rom 3, 2). Ergo libri quos synagoga non habuit in suo canone, non pertinent ad V. T.

R. Tria responderi possunt. a) Imprimis Rom 3, 2 non refert ad totum V. T., sed ad vaticinia messianica.[16] b) Quantum scimus, canon V. T. numquam definitus est ante Christum. c) Omnes libri V. T. quos enumerat decretum Trid., de facto servati sunt a Judaeis.

---

[10]Cornely, Rom p. 732-3; Prat, Theol. I p. 182-8; van den Eynde p. 27-38; Murillo p. 143-4; Bierbaum p. 11-7; Faulhaber, Judaism etc.; Hoffmann, in StZ 1937 p. 231-242; Bonsirven, in Nouvelle Revue Théol. 1938 p. 129-147.

[11]Lamy, Introd. I p. 71; supra p. 507, 513.

[12]Ita Theodorus Mops., Spinoza, Le Clerc.

[13]Merk p. 486.

[14]Ita W. F. Farrar p. 28.

[15]*Canticus* non est carmen eroticum vel epithalamium, sed, secundum interpretationem traditionalem catholicam, allegoria, qua describitur a) "literaliter", unio mystica inter Yahwe et populum Israel, b) typice, unio mystica inter Christum et Ecclesiam.—Liber *Esther* non est integer sine partibus deuterocanonicis (i.e. additamentis graecis). Cf. Merk p. 432-3, 436, 502; CE s.v. Esther; LThK s.v. Esther.

[16]Zorell s.v. λόγιον; Cornely, Rom p. 158; Prado p. 60, 63; de San p. 496.

2. *Apostoli* non putaverunt libros deuterocanonicos V. T. pertinere ad Scripturam; nam eos numquam citaverunt ut Scripturam.

R. Duo responderi possunt. a) *N.supp.* scil. totam praedicationem Apostolorum (necessario) contineri in N. T. b) Apostoli citaverunt V. T. secundum LXX; atqui in hac versione libri deuterocanonici permixti erant cum protocanonicis. Cf. supra p. 566.

3. Multi et magni *Patres* reiecerunt libros deuterocanonicos V. T.; scil. S. Justinus, Melito, Origenes, S. Athanasius, S. Cyrillus Hieros., S. Gregorius Naz., S. Epiphanius, S. Hieronymus etc.

R. *Dist.* ita ut umquam fuerit firmus consensus *N.* aliter *Tr.* Ergo horum dubia non constituunt argumentum validum contra decretum Trid.

Manet tamen *problema historicum* cur dubitaverint. Qua de re pauca dicenda sunt:

a. Dubium non est quin *S. Justinus* receperit integrum canonem V. T.; nam accusat Judaeos quod libros Christo faventes omiserint ex versione graeca. Verum quidem est eum non citare libros deuterocanonicos ut Scripturam; sed ratio est in aperto: cum praecipue argueret contra Judaeos, solum canonem palaestinensem adhibere potuit, quem Judaei definiverant in synodo Iamniae.[17]

b. Ignoramus cur *Melito* omiserit libros deuterocanonicos.[18]

c. Certum est *Origenem* recepisse integrum canonem V. T.; immo firmiter docet libros deuterocanonicos recipi in universa Ecclesia. Ignoramus autem a) cur loquatur de 22 libris canonicis V. T., b) cur in Hexaplis posuerit tantum libros protocanonicos, c) cur citet Prov ut apocryphum etc.[19]

d. Quoad *S. Athanasium, S. Gregorium Naz., S. Cyrillum Hieros., S. Epiphanium* tria notentur: a) Practice iidem admiserunt libros deuterocanonicos ut Scripturam; nam eos citaverunt iisdem formulis solemnibus ac protocanonicos, vel saltem permiserunt ut in ecclesiis legerentur. b) Ratio cur dubitaverint theoretice, eadem esse potuit ac S. Justini. c) Omnes admiserunt non suam opinionem esse criterium ultimum canonicitatis, sed Traditionem Ecclesiae.[20]

e. Quamvis *S. Hieronymus* sit Doctor eximius in re biblica, tamen quoad canonem V. T. locutus est ut doctor privatus. Patet ex eo quod non erat firmus in sua sententia.[21]

4. *S. Thomas* anceps haesit quoad Sap et Eccli.[22]

R. *N.* In duobus locis citatis a Prado (I qu. 89 a 8 ad 2; De div. nom. IV 9) S. Thomas mere refert ad factum historicum dubii; ipse alibi utrumque librum citat ut canonicum.[23]

C. Quoad *N. T. in genere*

1. Usque ad finem saec. 2, terminus *"Scriptura"* (ἡ γραφή) non applicabatur nisi libris V. T. Ergo libri N. T. tunc non putabantur pertinere ad Scripturam.

R. 1. Quid de 1 Tim 5, 18 et 2 Petr 3, 16? Cf. infra p. 589.

---

[17] Merk p. 37; supra p. 565.
[18] Merk p. 39; Zarb p. 134; Moore, Judaism I p. 246.
[19] Merk p. 38-9; Zarb p. 137-142.
[20] DA I col. 447-8; Schöpfer p. 713-4; Prado p. 68.
[21] Prado p. 80-1; Zarb p. 178-9; supra p. 534.
[22] Ita Prado p. 71.
[23] Zarb p. 226-9.

R. 2. *Tr.ant. N.cons.* Eadem idea diversimode exprimi potest.

2. *Patres apostolici* citaverunt V. T. ad verbum. Ergo etiam N. T. sic citassent si putavissent illud pertinere ad Scripturam.

R. *N.ant.*[24]

Urg. Si *Papias* putasset evangelia pertinere ad Scripturam, eis non praetulisset testimonia oralia de Christo.[25]

R. *N.supp.* In loco citato Papias non comparat evangelia cum traditionibus oralibus, sed libros non-canonicos cum dictis Apostolorum. Quanti autem Papias fecerit evangelia, ex eo elucet quod collegit quidquid invenire potuit de eorum origine, auctoribus etc.

3. Si *Ecclesia primitiva* putasset libros N. T. pertinere ad Scripturam, curasset ne autographa perirent.[26]

R. Negandum est triplex suppositum obiectionis: a) verbum Dei seu Scripturam consistere in scripto materiali potius quam in sensu; b) autographa conservari potuisse sine miraculo perpetuo; miratur Plinius (Hist. nat. 13, 26) volumina quaedam e papyro confecta durasse per 200 annos: c) depositum fidei non potuisse aliter transmitti ad posteros quam per autographa Scripturae.

Urg. Ecclesia primitiva saltem curasset ne textus corrumperetur; atqui textus N. T. mox coepit valde corrumpi.

R. *Dist.M.* ne textus corrumperetur substantialiter *C.* etiam quoad minima *subd.* quantum potuit mediis humanis *C.* miraculosis *N.*[27]

4. Non omnes *epistolae Paulinae* pertinent ad Scripturam. Nam Scriptura est revelatio publica (cf. infra p. 663) ; atqui aliae epistolae diriguntur ad individua (Tit, 1 et 2 Tim, Philm), aliae ad unam vel alteram ecclesiam particularem.

R. *N.ass.* Ad prob. *C.M. Dist. min.* Paulus ipse eas intendit solis individuis vel ecclesiis particularibus *Tr.* Deus, earum auctor principalis *N.*

D. Quoad libros *deuterocanonicos N. T.*

1. Multi *Patres* saec. 3 et 4 dubitaverunt de horum canonicitate.

R. *Tr. dogmatice.* Historice autem eorum dubia explicari possunt a) ex modo quo orti sunt hi libri. Apostoli enim saepius epistolas suas scripserant ad unam vel paucas ecclesias. Ecclesiae illae certae esse poterant de earum origine apostolica; non ita facile ceterae ecclesiae. Accedebant b) difficultates exegeticae; v.g. in Apoc.

2. In *Codice Vaticano* (B) desunt Hebr (partim), epistolae pastorales, Philm, Apoc.

R. *Tr. dogmatice.* Historice: hic codex est mutilus.[28]

3. Canoni N. T. male inseruntur Hebr, 2 et 3 J, 2 Petr; non enim certum est hos libros esse *genuinos.*[29]

R. *N.supp.* Liber potest esse canonicus etsi non sit (stricte) genuinus.[30]

---

[24] Rosadini I p. 35.

[25] Ita Cadoux p. 295, qui arguit ex loco supra (p. 110) citato: "Neque enim etc.".

[26] Ita Leipoldt.

[27] Rosadini II p. 39; Kenyon, The Story of the Bible p. 132-144.

[28] Vaccari, in IB p. 244; Kenyon, The Text of the Greek Bible p. 85; idem, The Story of the Bible p. 148.

[29] Cf. Goodspeed, New Chapters etc. p. 169-188.

[30] Synodus romana (anno 382) adscripsit 2 et 3 J Ioanni presbytero (D 84). Quae non est definitio. Cf. D 162; Merk p. 781; Simón II p. 461; supra p. 121

CAPUT SECUNDUM

INSPIRATIO S. SCRIPTURAE

1. Fere omnes, rationalistis non exceptis, concedunt Scripturam esse *inspiratam.* Qui terminus, licet in se sit ambiguus, omnino retinendus est tamquam exprimens indolem peculiarem Scripturae; est enim in usu communi, et technice adhibetur in Ecclesia. Sed accuratius *definiendus* est ut appareat num et cur et quomodo Scriptura, propter suam inspirationem, essentialiter differat ab omnibus aliis libris sive profanis sive piis.

2. Loquimur de inspiratione *totius* Scripturae.

Iamvero Scriptura non est unus liber, sed parva bibliotheca. Atque singuli eius libri non tantum compositi sunt a diversis auctoribus, diversis aetatibus, locis etc., sed etiam differunt indole literaria; alii enim sunt historici, alii poetici, alii prophetici etc.

Nihilominus Conc. Trid. omnes dicit "sacros", i.e. inspiratos.

Quaeritur ergo quo sensu libri hi omnes, utut inter se diversi, dicantur inspirati. Aliis verbis, quaerimus conceptum *generalem* inspirationis biblicae.[1]

3. Stabiliemus imprimis duo fundamenta huius tractatus: a) *factum inspirationis* (uti hodie dicunt), et quidem sub notione eius unice vera; b) *extensionem* inspirationis. Quae duo potius respiciunt inspirationem activam, uti dicitur. Dein investigabimus *psychologiam* inspirationis; quae est inspiratio qua recepta in hagiographo. Tandem probabimus libros omnes et singulos Scripturae immunes esse ab omni errore. Quae *inerrantia* non tantum deducitur ut conclusio ex fundamentis positis, sed etiam probatur contineri in deposito fidei.

Unde 4 erunt articuli:

1. Factum inspirationis
2. Extensio inspirationis
3. Psychologia inspirationis
4. Inerrantia S. Scripturae.

---

[1]Quaeri etiam potest qualis sit conceptus *quasi specificus* (v.g. qualis fuerit inspiratio psalmorum) vel etiam *personalis* (v.g. qualis fuerit inspiratio Lucae vel Pauli). De his periti vix loquuntur.

ARTICULUS 1

FACTUM INSPIRATIONIS

Thesis 42

S. Scriptura inspirata est quatenus habet Deum auctorem principalem, seu quatenus est verbum Dei scriptum.

Cf. Bainvel, Script. p. 109-112; Bea p. 26-37; Billot, Insp. p. 18-28; Dorsch III p. 28-84; Durand, in CE s.v. Inspiration; FelderA II p. 274-287; Franzelin, Trad. p. 329-387; Goebel p. 446-455; de Groot p. 647-670; Hervé I p. 566-579; van Laak, Insp. p. 96-176; idem, Rep. p. 5-15; Lercher I p. 575-587; Lusseau p. 20-37; Mazzella, Virt. p. 523-546; Merk p. 955-9; idem, in IB p. 16-43; Muncunill III p. 5-21; van Noort, Font. p. 17-35; Pesch I p. 426-433; idem, Insp. p. 381-402; Prado p. 14-9; de San p. 208-224; Schultes p. 513-575; Tanquerey I p. 757-763; Tromp p. 11-24, 47-55; Vosté p. 31-49.

1. *S. Scriptura* est collectio librorum qui ut "sacri et canonici" recensentur a Conc. Trid. et quos thesi 41 probavimus pertinere ad eam. Nullam igitur distinctionem facimus, sive pertinent ad V.T. sive ad N.T., sive sunt protocanonici sive deuterocanonici.

2. *Auctor principalis*

a. Vox *'auctor'* multipliciter sumi potest; v.g. ut factor, creator, testis.[1] Sed in hac thesi intellegimus auctorem *literarium,* i.e. eum qui edit librum seu scriptum ut sibi proprium. Ut quis fiat talis, debet a) concipere scribenda, b) velle eadem scribere, c) ea actu scribere. Nisi quis tria haec praestet, nequit dici auctor libri.[2]

b. Auctor libri potest vel per seipsum scribere vel uti alia persona (scriba, ministro, amanuensi, secretario etc.). Quodsi liber hoc altero modo fiat, distinguimus inter eius auctorem principalem et *instrumentum (vivum).*

Asserimus igitur Deum ita esse auctorem librorum Scripturae, non quasi ipse eos scripserit "digito suo" (cf. Exod 31, 18), sed quod eos scripsit per homines, qui vocantur *hagiographi.*

---

[1] Dorsch III p. 88; Lusseau p. 50.
[2] Tromp p. 43-4. 'Auctor literarius' etiam vocatur *'scriptor',* quamvis haec vox potius designare videatur eum qui manu sua scribit.

Nota. Dupliciter Deus potest dici auctor principalis libri. Per *concursum* suum ordinarium enim Deus est auctor principalis omnium actionum creaturarum. At ea quae agunt homines liberi (etiamsi adiuti gratia), ipsis principaliter imputantur; sunt enim propria eorum, non Dei. In thesi autem asserimus libros sacros *principaliter imputari Deo,* cum sint proprii Dei, non hominum quorum ope scripti sunt. Quae actio Dei comparari potest v.g. absolutioni sacramentali, in qua Deus per sacerdotem condonat peccata.[3]

2. *Verbum Dei scriptum*

Hic est terminus *technicus* et recte intellegi debet. 'Verbum Dei' quidem est conceptus mentis divinae quem Deus nobis directe manifestat (cf. supra p. 23). 'Verbum Dei scriptum' autem effert modum quo Deus manifestat suum conceptum, scil. *per scriptionem.* Asserimus igitur non tantum Scripturam esse verbum divinum, sed etiam eius compositionem et scriptionem deberi Deo ut causae principali.[4]

ADVERSARII

1. *Marcion* dixit V.T. non habere pro auctore Deum, sed "demiurgum". Manichaei illud tribuerunt Satanae. Eorum errorem renovaverunt *haeretici* medii aevi: Cathari, Waldenses, Albigenses etc.[5]

2. *Faustus Socinus* docuit aliquos libros Scripturae esse mere canonicos, i.e. scriptos sine inspiratione divina.[6]

3. Veteres *Protestantes* tenuerunt inspirationem Scripturae fere sensu nostro (quamvis introducerent varias exaggerationes; cf. supra p. 416-7). Quodsi ab *hodiernis* quaeras quid sit inspiratio, varie respondent:

a. Multi dicunt inspirationem in hoc consistere quod hagiographi, viri pleni sensu religioso, descripserint vel *historiam revelationis* vel *religionem naturalem* vel *experientias suas religiosas*.[7]—Cum his fere consentiunt modernistae: D 2010, 2090.[8]

---

[3]Tromp p. 68-9.

[4]In papyris aegyptiacis nuper inventa sunt quaedam dicta Iesu quae non leguntur in evangeliis nostris et vocantur *"agrapha"*. Quae si sint genuina, sunt verbum Dei; nam Iesus est Deus. At non sunt 'verbum Dei scriptum'; nam eorum scriptio non debetur Deo ut causae principali. Cf. CE s.v. Agrapha; H. G. E. White, The Sayings of Jesus (1920).

[5]HE II p. 31; Lusseau p. 33; DThC s.v. Antilogies bibliques col. 1382-5.

[6]Merk, in IB p. 41.

[7]Ita v.g. Dodd, Authority of the Bible p. 16; Bruce, Apol. p. 302; Warfield, Revelation etc. p. 59; Ottley, Aspects of the O. T. p. 22-32.

[8]Dorsch III p. 83-4; DA III col. 594; LThK s.v. Inspiration; Braun p. 227-9.

b. Schleiermacher, Ritschl etc. dicunt Scripturam esse inspiratam quatenus *inspiret* in legentibus affectus religiosos. Idem sentit K. Barth.

c. Multi Protestantes hodie *renuunt definire* inspirationem.[9]

4. Rationalistae negant Scripturam esse inspiratam nisi eo sensu quo dicantur inspirati *magni poetae* (v.g. Homerus, Shakespeare) vel *duces religiosi* (Fox, Wesley, Joseph Smith etc.). Loisy: "Dieu est l'auteur de la Bible comme il est l'architecte de Saint-Pierre de Rome et de Notre-Dame de Paris".

5. Olim pauci theologi catholici putaverunt inspirationem Scripturae consistere in tali assistentia Dei vel in tali approbatione subsequenti Dei aut Ecclesiae ut inde sequeretur omnimoda *inerrantia*.

Thesis dici potest *de fide* (ex iugi magisterio).

Possunt autem distingui in ea 5 asserta: a) Scriptura est *inspirata*: de fide definita (D 1809; cf. D 784, 1787). b) Scriptura habet Deum auctorem, et *hoc sensu* est inspirata: de fide definita (D 1787). c) Scriptura habet *Deum auctorem principalem,* et *hoc sensu* est inspirata: de fide (ex iugi magisterio). d) Scriptura est *verbum Dei* et quidem e) verbum Dei *scriptum,* et *hoc sensu* inspirata: de fide (ex iugi magisterio).

Thesis probatur

Nota. a) Non ita procedimus ut prius probemus Scripturam esse inspiratam, ac dein eam esse inspiratam nostro sensu. Sed statim probamus nostram *definitionem* esse veram. Disputatio enim non est num Scriptura sit inspirata, sed *quo sensu.* b) Quae sit relatio inter duas definitiones nostras, postea dicetur (infra p. 632-4).

Arg. 1. *Ex documentis magisterii*

1. Documenta *recentia*: a) *Conc. Vat.* D 1787 ("Spiritu s. inspirante conscripti Deum habent auctorem") et D 1809 ("divinitus inspiratos esse"). b) Encyclica *Leonis XIII* "Providentissimus Deus" (1893) D 1951 ("Spiritu s. dictante conscripti sunt") et D 1952 ("Nam supernaturali ipse virtute eos ita ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent; secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae. . . . Deumque ipsum per sacros auctores elocutum"). c) Decretum "Lamentabili" (1907) D 2009

---

[9] Ita v.g. Schaff, Theol. Prop. p. 96; W. F. Farrar p. xix-xxi, 370.

("Deum vere esse Scripturae s. auctorem"). d) Encyclica *Benedicti XV* "Spiritus Paraclitus" (1920) EB 461 laudat S. Hieronymum quod "cum universa catholica Ecclesia firmiter constanterque" tenuit "libros sacros, Spiritu s. inspirante conscriptos, Deum habere auctorem. . . . Asseverat nimirum codicis sacri libros Spiritu s. inspirante vel suggerente vel insinuante vel etiam dictante compositos esse, immo ab Ipso conscriptos et editos". Atque addit "inter Hieronymi verba et communem de inspiratione catholicam doctrinam nihil omnino interesse, cum ipse teneat Deum, gratia collata, scriptoris menti lumen praeferre ad verum quod attinet, 'ex persona Dei' hominibus proponendum; voluntatem praeterea movere atque ad scribendum impellere; ipsi denique peculiariter continenterque adesse donec librum perficiat".

2. Sed exstant documenta *antiquiora* magisterii, quibus continetur eadem doctrina, licet minus clare:

a. Symbolum fidei *Leonis IX* (D 348), cuius valor dogmaticus patet ex se et ex eo quod continet quaestiones ab antiquissimis temporibus propositas episcopis consecrandis.—Professio fidei *Waldensibus* praescripta (D 421).—Professio fidei *Michaelis Palaeologi* (D 464).

Dices: Haec documenta non sunt ad rem. Nam a) in eis Deus dicitur auctor librorum sicut est auctor *omnium rerum;* id enim tunc erat in controversia cum Manichaeis (praesertim in D 421). Atqui Deus non est auctor literarius omnium rerum. Ergo neque horum librorum. b) Vox 'testamentum' refert ad *foedus,* non ad libros.

R. ad a) Saec. 5 et 6 utique agebatur contra Manichaeos; sed hi prius negaverant eundem Deum esse auctorem librorum V.T. et N.T., et tantum consequenter omnium rerum. Ergo tria ista documenta agunt de auctore librorum qua librorum seu de auctore *literario*. ad b) Saltem in D 348 et 464, V.T. et N.T. statim explicantur per "Legis et Prophetarum et Apostolorum"; atqui eo tempore sic describebantur *libri* sacri.[10]

b. *Conc. Florentinum* D 706.

Et nota: a) "Veteris et Novi Testamenti", i.e. librorum, non foederum; nam explicatur per "Legis et Prophetarum atque Evangelii"; atqui sic tunc designabantur duo Testamenta. b) "Locuti sunt", i.e. *scripserunt;* nam "Sanctorum" inspiratio statim exhibetur ut ratio cur Ecclesia eorum libros suscipit et veneratur; atqui in his saepe ne verbum quidem continetur quod eius scriptor

[10] Dorsch III p. 44-6; Pesch, Insp. p. 310-1; van Laak, Insp. p. 127-133.

ore protulerit; v.g. in Mc vel L vel Act. Ergo etiam in hoc documento 'auctor' est auctor literarius.

c. *Conc. Trid.* D 783 "omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor". Cum agatur de *libris*, 'auctor' est auctor literarius.[11]

Arg. 2. *Ex Patribus*

Paucae sunt theses pro quibus exstat consensus adeo *firmus* et *constans* Patrum quam in re nostra. Atque summatim haec dici possunt: a) Patribus Scriptura est *verbum Dei;* nam eam dicunt "divina eloquia", "effata Spiritus s.", "verbum divinum", "sermonem Dei" etc. b) Patres etiam dicunt Deum esse *auctorem literarium* Scripturae; nam eam dicunt "scriptam a Spiritu s.", "epistolam nobis missam a Deo" etc. c) Patribus Deus est auctor *principalis* Scripturae; nam semper supponunt eam scriptam esse per hagiographum, quem comparant "instrumento Dei", "citharae vel lyrae quam Deus pulsavit", "tibiis quae a Deo inflantur", "calamo quo Deus nobis scripsit epistolam" etc.

Singillatim:[12]

a. *S. Irenaeus*: "Scripturae perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae" (Adv. haer. 2, 28; RJ p. 83).

b. Citare licet Clementem Alex. et Origenem, qui quamvis non sint Patres sensu technico, tamen bene tradunt fidem Ecclesiae sui temporis hac in re.

Clemens Alex.: "Possem etiam alias tibi Scripturas afferre paene innumerabiles, quarum ne apex quidem unus praeteribit qui non perficiatur; os enim Domini, Spiritus s., eas elocutus est" (Protrep. 9; RJ p. 147). "Qui Scripturis divinis credit, habet demonstrationem irrefragabilem, scil. vocem Dei, qui Scripturas nobis dedit" (Strom. 2, 2; RJ p. 153).

Origenes clare tradit nostram thesim in praef. ad 'De Principiis': "Est illud in ecclesiastica traditione . . . quod per Spiritum Dei Scripturae conscriptae sunt." Atque rem statim explicat: "Non hominum opera sunt Scripturae, sed ex afflatu Spiritus s., voluntate Patris omnium, per Iesum Christum conscriptae sunt". Quam doctrinam asserit "manifestissime praedicari in ecclesia".

---

[11]Qui sit valor dogmaticus singulorum documentorum, cf. supra p. 550-2.

[12]Omittimus 'Patres apostolicos', cum non videantur clare discernere hagiographos a prophetis. Cf. Merk p. 955; van den Eynde p. 26; infra p. 623-4.

c. Sed veniamus ad magnos Patres saec. 4-5

S. Chrysostomus sic pulchre describit originem Scripturae: "Deus ab initio per seipsum hominibus loquebatur. . . . Sed quia postea sua familiaritate indigni facti sunt . . . quasi longe absentibus litteras misit. Et has quidem litteras dedit Deus, attulit autem Moyses". Unde monet suos auditores ut sic attendant ad lectionem Genesis "quasi haec non a Moyse, sed per linguam Moysis ab ipso universorum Deo audiamus" (Hom. 2 ad Gen).

S. Cyrillus Hieros.: "Ipse Spiritus s. elocutus est Scripturas. . . . Ille in prophetis, ille et in Apostolis" (Cat. 4, 16). Hancque doctrinam ponit inter "summa necessariorum dogmatum capita" (ib. n. 3).

S. Gregorius Nyss.: "Quaecunque Scriptura dicit, s. Spiritus sunt verba seu effata" (Contra Eunomium 7).

S. Ambrosius: "Bibe Christum, ut bibas sermones eius; sermo eius est testamentum vetus, sermo eius est testamentum novum" (In Ps 1).

S. Augustinus, resumens ideam S. Chrysostomi, ait: "De illa civitate unde peregrinamur, literae nobis venerunt; ipsae sunt Scripturae" (In Ps 90). Et in libro 'De consensu evangeliorum' (I 35) probat etiam Christum scripsisse: "Nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit, quandoquidem membra eius id operata sunt quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis legere voluit, hoc scribendum illis (i.e. evangelistis) tamquam manibus suis imperavit".

S. Gregorius M., loquens de libro Job, cuius auctor humanus ignoratur, haec habet: "Quis hoc scripserit, valde supervacanee quaeritur, cum tamen auctor libri Spritus s. fideliter creditur. Ipse igitur haec scripsit, qui haec scribenda dictavit. . . . Cum igitur Spiritum s. auctorem tenemus, qui scriptorem quaerimus, quid aliud agimus nisi, legentes litteras, de calamo percontamur" (Moralia I praef.; RJ p. 723-4).

Arg. 3. *Ex Theologis*

Aeque praeclarum est argumentum ex Theologis. Omnes enim Theologi omnium aetatum et scholarum inculcaverunt nostram thesim ut rem fidei. Plurima eorum dicta habes apud van Laak, Insp. p. 121-6. Sufficiat citare S. Thomam: "Auctor principalis S. Scripturae est Spiritus s., homo autem est auctor instrumentalis" (Quodl. 7 a. 14 ad 5).

Saec. 18-19 fuerunt quidem qui inspirationem S. Scripturae aliter definire vellent (cf. Schol. 1). At a) hi erant paucissimi et nullius nominis; b) ceteri theologi eis statim contradixerunt; eorum doctrina enim evidenter aliena erat a fide catholica.

Arg. 4. *Ex Scriptura*

1. *Inspiratio V.T.*

Ad hanc probandam afferuntur 4 argumenta, quae tamen non sunt eiusdem valoris (historici vel dogmatici).

a. *In V.T.* ipso nullum habetur testimonium explicitum inspirationis sive totius V.T. sive integri alicuius libri. Saepe quidem legimus Yahwe iussisse quaedam scribi; sic Moyses iubetur scribere victoriam (Exod 17, 14) et foedus (Exod 34, 27); Israelitis Yahwe dicit: "Nunc igitur scribite vobis canticum" (Deut 31, 19). Cf. etiam Is 8, 1; 30, 8; Jer 30, 2; 36, 2; Hab 2, 2-3. Sed a) merum mandatum externum Yahwe non videtur sufficere ad inspirationem (cf. infra p. 631-2); b) haec dicta non valent (historice vel dogmatice) de ullo libro integro V.T. neque a fortiori de toto V.T.[13]

b. *Christus* et *Apostoli,* citantes locos V.T., semper supponunt a) eos esse verbum Dei; nam loco libri vel hagiographi simpliciter ponunt Deum; v.g. "de resurrectione mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis" (Mt 22, 31); vel Scripturam et Deum simpliciter identificant; v.g. "dicit enim Scriptura Pharaoni" (Rom 9, 17); "providens Scriptura praenuntiavit Abrahae" (Gal 3, 8). Iidem alibi supponunt b) Deum esse auctorem principalem Scripturae; nam interdum ponunt Deum in recto, hagiographum in obliquo; v.g. "dictum a Domino per prophetam" (Mt 1, 22); "oportet impleri Scripturam quam praedixit Spiritus s. per os David" (Act 1, 16).[14]

Unde sic arguitur: Si Christus et Apostoli supponunt V.T. habere Deum auctorem principalem et esse verbum Dei, V.T. habet Deum auctorem principalem et est verbum Dei. Atqui verum est antecedens. Ergo etiam consequens.

Ad M. a) Pure historice, dicta ista saltem exprimunt persuasionem communem *Judaeorum* coaevorum de indole V.T. b) Probata Christi divinitate, eius dicta merentur *fidem divinam.* c)

---

[13]Merk, in IB p. 17.
[14]Dorsch III p. 32-4.

Probata inerrantia Scripturae (thes. 49), *de fide divina* etiam est haec dicta esse historica.

Minor patet ex locis citatis. Manet tamen dubium; nam non certo constat Christum et Apostolos per 'Scripturam' intellexisse *integrum V.T.* (cf. supra p. 566).

Dices: Christus et Apostoli non citant nisi locos (relative) paucos et particulares V.T. Quo iure id quod dicunt de his locis, extenditur ad totum V.T.

R. Id iure fieri videtur. Nam terminus 'Scriptura' est generalis, neque indicatur distinctio inter libros vel locos citatos et alios.

c. *S. Paulus* scribit Timotheo: "Ab infantia sacras literas (τὰ ἱερὰ γράμματα) nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem quae est in Christo Iesu. Omnis Scriptura (πᾶσα γραφή) divinitus inspirata (θεόπνευστος) utilis est etc." (2 Tim 3, 15-16).

Textus est *genuinus;* sed in aliquibus codicibus deest τά ante ἱερὰ γράμματα, et legitur καί post θεόπνευστος.

Quoad *sensum* tria notanda sunt: a) S. Paulus loquitur de *V.T.* Hoc enim Timotheus, filius matris judaeae (Act 16, 1), "ab infantia" legerat. Et cum Timotheus fuerit ex diaspora, Paulus probabilius refert ad canonem alexandrinum. b) *"Omnis* Scriptura" vel est totum V.T. vel quidquid pertinet ad illud. c) Dubitatur utrum θεόπνευστος sumendum sit ut attributum an ut praedicatum; secundum contextum videtur esse *attributum,* ita ut inspiratio Scripturae potius supponatur quam asseratur.

Vox θεόπνευστος, quae tantum hic occurrit in Scriptura, non ulterius explicatur. Etymologice sumi potest vel active ('inspirans') vel passive ('inspiratus'). At a) sensus *passivus* talium adiectivorum omnino praevalet in usu *profano;* b) vox hic passive intellegebatur a *Patribus graecis* et in *versionibus antiquis.*[15]

Unde arguimus: Si S. Paulus asserit vel saltem supponit V.T. esse divinitus inspiratum, V.T. est divinitus inspiratum. Atqui verum est antecedens. Ergo etiam consequens.

Ad M. a) Pure historice, dictum hoc saltem exprimit persuasionem *Judaeorum* coaevorum. b) Probata auctoritate apostolica S. Pauli vel inerrantia Scripturae, dictum est *fidei divinae.* c) Manet *dubium* de utro canone Paulus locutus sit.—Cum autem *Patres* dictum hoc applicaverint ("sensu extensivo") toti Scripturae (i.e. etiam Novo Testamento), nobis idem licet.

---

[15]Merk, in IB p. 19-20; Dorsch III p. 24-5, 34-5, 38.

d. *2 Petr 1, 20-1* "Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu s. inspirati (φερόμενοι) locuti sunt sancti Dei homines".

Textus est genuinus; sed loco ἅγιοι probabilior lectio est ἀπό; quae lectio non afficit nostrum argumentum.

Non arguimus ex voce 'inspirati', quae graece est generalior ('moti'); sed sic: Omnis prophetia Scripturae debetur motui divino. Atqui vel a) 'prophetia Scripturae' significat V.T. in genere (non tantum prophetias sensu stricto), vel b) idem erat influxus divinus in hagiographos V.T. ac in prophetas sensu stricto. Ergo vel a) totum V.T. scriptum est sub motione divina, vel b) etiam hagiographi V.T. scripserunt sub motione divina.

Ad M. a) Historice, dubium est num epistola haec sit S. Petri. b) Probata inerrantia Scripturae, Maior dici potest de fide divina. c) Manet dubium de utro canone sit sermo.

Utraque explicatio data in minore est tantum *probabilis*. Sed cum *Patres* hoc dictum applicaverint ("sensu extensivo") toti Scripturae (i.e. etiam Novo Testamento), nobis idem licet.

2. *Inspiratio N.T.*

Tres afferuntur loci in quibus innui videtur inspiratio aliquorum librorum N.T.:

a. In 1 Tim 5, 18 ("dignus est operarius mercede sua") Paulus videtur citare locum ex Mt 10, 10 vel ex L 10, 7 *ut Scripturam* (λέγει ἡ γραφή). Id quod tamen negatur a veteribus exegetis (v.g. S. Thoma).[16]

b. In 2 Petr 3, 16 aliquae epistolae paulinae aequiperantur *"ceteris" Scripturis*. Sed nescimus de quot aut quibus epistolis sit sermo.

c. S. Ioannes vocat Apocalypsim suam *"prophetiam"* (Apoc 1, 3; 22, 10; 22, 18-19). Atqui (sic arguitur) prophetia supponit inspirationem.

Corollaria

1. Ergo S. Scriptura *differt* ab omnibus aliis libris, sive profanis sive religiosis (v.g. Imitatio Christi) sive 'sacris' (v.g. Koran, Vedae, Book of Mormon). Horum enim auctores principales sunt homines. Ei qui plus assereret, incumberet onus probandi.

---

[16] Zarb p. 278; Knabenbauer, 1 Tim p. 264-5; Meinertz, Past. p. 70.

2. Ergo sensus primarie quaerendus in S. Scriptura est *sensus Dei,* i.e. id quod Deus intendit scribere.

3. Ergo omnes libri recensiti in canone Trid. sunt genuini, quatenus recte tribuuntur auctori suo *principali.* Cf. supra p. 98, 570.

4. Ergo tota Scriptura gaudet *unitate literaria* (cf. supra p. 84). Licet enim multi fuerint hagiographi, idem est auctor eorum principalis. Hinc a) Catholici recte habent totam Scripturam ut librum unum, b) inadaequata est interpretatio quae negat vel neglegit hanc unitatem; esset interpretatio quasi extra contextum.

5. Ergo inspiratio biblica est *influxus positivus* Dei in productionem libri qua libri; secus enim Deus non posset dici eius auctor. Et cum Deus sit auctor principalis, *prius* ipse concepit et voluit librum sacrum antequam moveret hagiographum ad scribendum.

Hinc inspiratio biblica differt ab *assistentia* et providentia illa speciali quam Christus promisit Apostolis eorumque successoribus ("ego vobiscum sum"). Haec enim a) est per se negativa (arcet errorem); b) etsi sit positiva, non facit Deum causam principalem documenti qua scripti.

6. Ergo inspiratio biblica est *revelatio* (active sumpta); utriusque obiectum enim dicitur et est verbum Dei.

At non omnis revelatio est inspiratio. Potius revelatio est quasi genus, quatenus Deus "multifariam multisque modis" (Hebr 1, 1) nobis loqui potuit et locutus est. Inspiratio biblica autem est *modus specialis revelationis,* quatenus Deus nobis loquitur per librum a se scriptum ("epistolam nobis misit", uti dicunt Patres). Hinc Scriptura, terminus inspirationis, est quidem verbum Dei, sed "scriptum".

Porro a) inspiratio biblica videtur dicenda revelatio *immediata;* nam hagiographus non est proprie intermedius, sed instrumentum quo Deus nobis scribit; unde Patres aiunt: Scriptura seu Deus dicit (loco 'dixit'). b) Inspiratio biblica est revelatio *publica,* quatenus Deus scripsit libros sacros pro mundo universo.[17]

Schol. 1. *Falsae opiniones*

Ante Conc. Vat., quod definivit (sensu logico et dogmatico) inspirationem Scripturae, pauci theologi catholici tradiderant definitiones magis vel minus alienas a fide catholica. Scil. a) Daniel

[17]Tromp p. 100.—Quomodo Deus *attestatus* sit inspirationem, cf. de criterio inspirationis.

Haneberg (ca. 1850) putavit ad inspirationem sufficere ut *Ecclesia approbet* (i.e. canoni suo inserat) librum sola industria humana conscriptum. Opinionem hanc exprimere conceptum catholicum inspirationis, latet sub obiectionibus Protestantium (supra p. 574). b) Alii (Richard Simon 1712, P. Chrismann 1745, Jahn 1814) putaverunt sufficere ut Deus *assistentia* sua servaverit hagiographum ab omni errore. c) J. Bonfrère S. J. (saec. 17) putavit sufficere ut *Deus approbet* librum humanitus conscriptum, i.e. postea revelet nihil falsi in eo contineri. Quae opinio interdum tribuitur Leonardo Lessio; sed Lessius mere locutus est de inerrantia vel de nuda possibilitate, quamvis forte ambigue.[18]

Prima opinio directe reicitur a Conc. Vat., duae aliae saltem indirecte. Omnes autem nimis minuunt influxum divinum in compositionem librorum sacrorum, cum Deus non possit dici *auctor* librorum ita conscriptorum neque Scriptura sit verbum Dei *scriptum*.[19]

Schol. 2. Si applicamus ea quae traduntur in Ontologia de relatione inter causam principalem et instrumentalem, haec dicenda sunt: a) Inspiratio *active* sumpta est actio Dei (formaliter immanens, virtualiter transiens) qua Deus movet hagiographum ad scribendum ea quae ipse (scil. Deus) scribi vult. b) Inspiratio *passive* sumpta est motio divina qua recepta in hagiographo (elevatio instrumenti). c) Effectus ultimatim intentus est liber sacer, qui proinde saepe vocatur inspiratio *terminative* sumpta.[20]

Schol. 3 (dogm.) Inspiratio biblica active sumpta est actio Dei ad extra. Atqui quaevis actio Dei ad extra est communis tribus Personis.

Nihilominus inspiratio biblica saepe tribuitur *Spiritui* s. (v.g. D 1787). Theologi id dicunt fieri "per appropriationem". Etenim a) ipsa vox θεόπνευστος derivatur a πνεῦμα (sicut 'inspiratio' a 'spiritu'); atqui πνεῦμα (sicut 'spiritus') est nomen proprium Spiritus s. b) Inspiratio biblica est donum prorsus extraordinarium (infra p. 666); atqui dona extraordinaria adscribuntur Spiritui s., cum ipse qua Persona divina sit donum.[21]

---

[18]Pesch, Insp. p. 279-283; Vacant I p. 461-2; Bea p. 16-8; Granderath, Const. p. 49-51; Schwane IV p. 276-9; DThC VII col. 2135-2145.

[19]Pesch, Insp. p. 316, 320-1, 326-7; Vacant I p. 462-3; Dorsch III p. 131-7.

[20]Uti patet, relatio inter hanc causam principalem eiusque instrumentum est tantum *analoga* ad similem relationem inter creaturas (v.g. inter dominum et stenographam).

[21]Pesch II n. 639-641.

ARTICULUS 2

EXTENSIO INSPIRATIONIS

Non nunc quaerimus qui sint libri inspirati seu qui sit ambitus Scripturae. De hoc iam egimus ubi probavimus Conc. Trid. recte definivisse canonem Scripturae. Sed hoc supposito, quaerimus quid praecise in singulis his libris sit inspiratum, seu quaerimus ad quae *elementa* horum librorum se extendat inspiratio.

In quolibet enim libro (sacro vel profano) *6 elementa* distingui possunt, sive dicuntur realiter sive ratione distincta:

a. *Scopus libri* (finis operis).

b. *Genus literarium* (epistola, poema, historia etc.).

c. *Ordo rerum* seu 'argumentum' (sensu rhetorico), i.e. ordo partium (capitum, sectionum), argumenta (sensu logico), unitas etc.[1]

d. *Forma literaria*: lingua (hebraica, graeca), stilus (politus vel rusticus) etc.

e. *Sensa completa,* quorum complexus constituit librum.

f. *Voces* seu vocabula, phrases, constructiones grammaticales, expressiones rhetoricae vel poeticae etc., atque in genere modi quo sensa exprimuntur.

Sane auctor qui intendit scribere librum, *eligere* debet: a) quid velit per suum librum eiusque partes; b) utrum scribere velit carmine an oratione soluta etc.; c) quo ordine et secundum quod principium res sint disponendae, sive per totum librum sive per singulas partes (maiores vel minores); d) utrum velit scribere hac vel illa lingua, stilo populari vel alio etc.; e) utrum omnia sensa exprimere velit assertionibus an etiam quaestionibus, dialogo etc.; f) tandem saepe liber est eligere hanc vocem et phrasim vel aliam synonymam etc.

Ex thesi 42 constat Deum, utpote auctorem principalem Scripturae, prius concepisse ac voluisse singulos libros sacros scribendos. Sed accuratius nunc quaeritur utrum Deus determinate conceperit ac voluerit *omnia* 6 elementa an fortasse *quaedam* reliquerit hagiographo?

---

[1]Huc referri potest 'labor redactorius' (v.g. cum Matthaeus conflat discursus Domini, ea quae ortum dederunt problemati synoptico etc.).

THESIS 43

Omnia et singula sensa S. Scripturae, de quacunque re agunt, sunt positive inspirata et verbum Dei scriptum.

Cf. Bainvel, Script. p. 140-2; Bea p. 72-82; Billot, Insp. p. 29-40; Dorsch III p. 142-196; Franzelin, Trad. p. 564-583; Goebel p. 455-461; de Groot p. 684-696; Höpfl, Insp. p. 29-32; van Laak, Insp. p. 170-261; Lercher I p. 595-605; Merk, in IB p. 67-88; Muncunill III p. 44-56; van Noort, Font. p. 32-5; Pesch I n. 626-634; idem, Insp. p. 440-459; de San p. 256-301; Tromp p. 35-7.

Omittimus nunc alia elementa Scripturae et loquimur tantum de *sensis*. Est autem sensum *complexus verborum qui habet sensum completum;* unde est fere idem ac 'sententia' seu 'oratio completa'.

Plura notanda:

a. Sicut sententia, ita sensum potest esse assertum (affirmatio vel negatio), imperium, quaestio, exclamatio, salutatio etc. Unde nullum ex his excipimus.

b. In sententia tria distingui possunt: a) ipse complexus verborum, i.e. quasi materialiter, b) 'sensus obiectivus' verborum, c) 'sensus subiectivus' verborum (supra p. 202). De vocibus quasi materialiter sumptis loquemur in thesi 45. Nunc vox 'sensum' proxime refert ad 'sensum *obiectivum*' verborum.

c. Asserimus inspirata esse non tantum 'moraliter' omnia sensa Scripturae, sed *'absolute'* seu 'mathematice' omnia—idque sive sensa sumuntur collective sive singillatim.[1]

d. "De quacunque re agunt" ponitur propter adversarios (catholicos).

Thesis est saltem *proxima fidei*. Magis explicite tria distinguere possumus (sicut distinguemus in probatione): a) Omnes *partes* librorum S. Scripturae (prout tempore Conc. Trid. continebantur in Vulgata latina et in Ecclesia legi consueverant—supra p. 570-1)

---

[1]Cave tamen ne vocem 'singula' ita intellegas quasi sensa divelli possint aut debeant a contextu. Sicut enim omnia scripta sunt in *contextu* (quatenus subsunt fini operis), ita legi et intellegi debent in contextu (proximo et remoto). Cf. infra p. 693-4.

sunt inspiratae: de fide definita (D 784); b) omnia *asserta hagiographi* sunt inspirata: de fide (ex iugi magisterio); c) omnia omnino *sensa* sunt inspirata: proxima fidei.

ADVERSARII

1. *Erasmus* putavit se invenisse "lapsus memoriae" in evangeliis. Cum autem error sit evidenter incompossibilis cum inspiratione positiva Dei, logice negare debuit et negavit talia esse inspirata.[2]

Erasmum postea multi *Protestantes* secuti sunt.[3]

2. Saec. 17, H. Holden docuit solas res *religiosas* esse inspiratas. Eum fere secutus est Chrismann (saec. 18). Etiam post Conc. Vat., aliqui theologi catholici negaverunt esse inspiratas res non-religiosas (di Bartolo, Bonaccorsi) vel res scientificas (Rohling) vel res historicas (Lenormant). Eorum ratio: Deus nos haec *docere* noluit.[4]

Card. Newman putavit 'obiter dicta' (v.g. quod canis Tobiae "blandimento suae caudae gaudebat" Tob 11, 9) non esse inspirata.[5]

THESIS PROBATUR

A. In genere

1. *Ex consensu Patrum*

Patres firmiter tenuisse *universalitatem absolutam* inspirationis, et quidem ut rem fidei, tam evidens est ut vix quisquam dubitet. Id elucet a) ex disertis eorum dictis, b) ex modo quo interpretati sunt Scripturam, c) ex modo quo eam defenderunt contra obiectiones.

Citemus pauca exempla:

a. *Dicta diserta Patrum. S. Basilius*: "Quidquam reicere de iis quae scripta sunt, vel ad ea quidquam addere—defectio a fide et temeraria superbia est" (De Fide 1).—*S. Gregorius Naz.*: "Numquam concedemus (neque enim fas est) vel res minimas a sacris scriptoribus esse temere positas" (Or. de fuga 105).—*S.*

[2] van Laak, Insp. p. 181, 211-2; W. F. Farrar p. 316-322.—Contra Erasmum scripsit S. Bellarminus, De Verbo Dei I 6.

[3] Quoad Bonfrère et Lutherum, cf. Dorsch III p. 129-131; W. F. Farrar p. 339.

[4] Pesch, Insp. p 314-6; Bea p. 72; de San p. 258-260; van Laak, Insp. p. 187.

[5] Dorsch III p. 145-7; Lercher I p. 615-9; J. Duggan, in VD 1938 p. 219-224.

Gregorius Nyss.: "Quaecunque Scriptura dicit, Spiritus s. sunt voces seu effata" (Contra Eunomium 7, 1).—*S. Chrysostomus*: "Ne illas quidem quae exiguae videntur, Scripturarum sententias praetercurramus; nam et ipsae de Spiritus gratia sunt". "Ne syllaba quidem praetereunda, nam omnia sunt Spiritus s." (In Gen Hom.).—*S. Hilarius*: "De caelestibus eloquiis opinandum est ut quidquid in his est, excelsum, divinum, rationabile et perfectum esse existimetur" (In Ps 135).

b. *Modus interpretandi Scripturam*: Patribus ita persuasum erat omnia sensa esse inspirata ut ex singulis arguerent tamquam verbum Dei et in singulis proinde quaererent sensum altiorem ("mysticum").

c. *Modus defendendi Scripturam.* Iam tempore Patrum, haeretici et philosophi pagani (Marcion, Celsus, Porphyrius, Julianus Apostata) obiecerunt varios errores et contradictiones in rebus historicis, scientificis etc. Patres has obiectiones *numquam* ita solverunt ut distinguerent inter inspirata et non-inspirata, inter verbum Dei et verbum humanum.

2. *Ex consensu Theologorum*

Usque ad H. Holden, Theologi ad unum omnes tenuerunt absolutam universalitatem inspirationis. Sufficiat citare paucos ex ducibus eorum:

S. Bonaventura: "In S. Scriptura ideo nihil contemnendum tamquam inutile, nihil respuendum tamquam falsum, nihil repudiandum tamquam iniquum—pro eo quod Spiritus s., eius auctor perfectissimus, nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum" (Brevil.).—*S. Thomas*: "Hoc tenendum est quod quidquid in S. Scriptura continetur, verum est; alias qui contra hoc sentiret, esset haereticus" (Quodl. 12, a. 26).—*M. Canus*: "Ipsi fateamur singulae quaeque, sive magna sive parva, a sacris auctoribus Spiritu s. dictante esse dicta" (De locis theol. 2, 17).—*Suarez*: "Scriptorem canonicum nihil scribere humano et proprio spiritu, sed omnia et singula ex directione Spiritus s. . . . est res certissima" (De Fide, Disp. 5 s. 3 n. 14).—*S. Bellarminus,* agens contra Erasmum, dicit: "Postrema eorum haeresis est qui in ipsis beati Pauli epistolis aliisque sacris ac divinis libris non omnia scripta esse volunt dictante Spiritu s., sed aliqua interdum sola prudentia et ratione humana duce" (De Verbo Dei I 6).—*Billuart*

(De reg. fidei I 2) tam certum habet "omnes Scripturae sententias esse a Spiritu s. inspiratas" ut non putet id esse data opera probandum.

Postquam autem Holden proposuit suam opinionem inauditam, theologi statim vehementer contradixerunt.

Nota. Absolutam universalitatem inspirationis esse simpliciter *revelatam* ac proinde *de fide divina,* etiam inde patet quod neque Patres neque Theologi eam aliunde deducunt.

3. *Ex S. Scriptura*

a. Si *Christus* et *Apostoli* numquam distinxerunt a) inter ea quae sunt et quae non sunt inspirata in V.T., b) inter res religiosas et alias quoad inspirationem V.T.—nulla talis distinctio facienda est quoad V.T. Atqui verum est antecedens. Ergo etiam consequens.

Dices: Argumentum hoc est *ex silentio;* scil. arguimus ex eo quod Christus et Apostoli silent distinctionem.

R. *Dist.* ex silentio mere negativo *N.* positivo *C.* Si enim Christus vel Apostoli putassent distinctionem talem esse faciendam, eis non defuisset occasio eam indicandi, cum citaverint fere 270 locos ex V.T.

Urg. Ubi Christus vel Apostoli citant locos ex V.T., semper inculcant res *religiosas;* ergo defuit occasio indicandi distinctionem.

R. *N.ant.*[6]

Urg. Theologi saepe dicunt: Hoc continetur in decreto Tridentino; neque tamen dicere intendunt omnia quae continentur in aliquo decreto Trid., esse definita aut de fide. Ergo a pari, phrasis "scriptum est" vel "Scriptura dicit" in ore Christi vel Apostolorum non semper supponit inspirationem loci citati.

R. *N.par.* Theologi sciunt et explicite docent non omnia in decretis Conciliorum, etiam oecumenicorum, esse definita. Sed Christo et Apostolis (Patribus) "Scriptura dicit" idem erat ac "Deus dicit".

b. 2 Tim 3, 16 "*Omnis* Scriptura divinitus inspirata utilis est" (cf. supra p. 588). Dictum hoc S. Pauli non plene probat nostram thesim. Nam a) refert ad solum V.T.; b) vox 'omnis' non necessario sumenda est ut 'absolute omnis'; c) notio 'inspirationis' non est tam determinata quam nos eam intellegimus. Nihilominus a) historice, dictum exprimit persuasionem *Judaeorum* coaevorum de universalitate inspirationis; b) probata auctoritate S. Pauli vel inspiratione Scripturae, dictum hoc est *de fide divina.* c) Cum *Patres* dictum hoc applicaverint (sensu extensivo) toti Scripturae, nobis idem licet.

---

[6]Dorsch III p. 153-6; van Laak, Insp. p. 234-243.

B. *Distincte*

1. Omnes *partes* sunt inspiratae

Id implicite continetur a) in D 784, ubi "sacri" dicuntur "libri integri cum omnibus suis partibus"; b) in encyclica "Prov. Deus", qua Leo XIII authentice declaravit decreta Conciliorum (Florent., Trid., Vat.); docet enim nefas esse "inspirationem ad aliquas partes S. Scripturae coangustare", neque tolerandos esse eos qui dicant "inspirationem divinam ad res fidei et morum, nihil praeterea, pertinere" (D 1950); idem laudat Patres quia sunt "professi unanimes libros integros et per partes a divino aeque esse afflatu" (D 1952).

Cor. 1. Ergo aliqua asserta et aliqua sensa esse inspirata positive, etiam est *de fide definita;* nam aliqua sunt vere "partes" (supra p. 570-1).

Cor. 2. Ergo *haereticae* sunt opiniones propositae ab Holden, di Bartolo, Rohling, Lenormant. Ea enim quae hi excludere voluerunt ab inspiratione, sunt partes sat magnae Scripturae, interdum toti libri.

Nota. Idem dici nequit de '*obiter dictis*'. Haec enim sunt a) tantum una alterave sententia b) nullius momenti in contextu. Neque Leo XIII opinionem Newman damnare voluit.

2. Omnia *asserta hagiographi* sunt inspirata

Independenter ab hac thesi, duo postea probabuntur ex iugi praedicatione magisterii: a) omnia asserta hagiographi esse *necessario vera,* atque ideo b) *quia* habent Deum auctorem.

Atqui habere Deum auctorem, est esse inspiratum.

Ergo omnia asserta hagiographi sunt inspirata.

Cor. Ergo etiam 'obiter dicta', si contineant assertum hagiographi, sunt positive inspirata.

Dices: In definitionibus magisterii, obiter dicta non sunt definita; ita theologi omnes dicunt. Ergo a pari, obiter dicta in Scriptura non sunt positive inspirata.

R. *N.par.* Esse disparitatem, praecise sequitur ex hoc argumento.

3. Omnia *sensa* sunt inspirata

Benedictus XV in encycl. "Spiritus Paraclitus" haec docet: "Omnis sensus omniumque sententiarum Scripturae Deus causa princeps habendus est" (EB n. 461).

Cor. 1. Ergo non tantum Scriptura in globo vel singuli eius libri, sed quidquid dicendum est "pars" et singulae sententiae sunt verbum Dei scriptum. Atque Deus multo plus fecit in inspiratione

Scripturae quam v.g. professor sub cuius ductu discipuli exarant dissertationes, vel S. Damasus qui iussit S. Hieronymum vertere Scripturam.[7]

Cor. 2. Ergo influxus positivus Dei in hagiographum ita *durare* debuit ut se extenderet ad omnia sensa quae hagiographus definitive scribere voluit et scripsit.

Cor. 3. Ergo sensus obiectivus S. Scripturae respondet *sensui subiectivo Dei.*

Obiectiones

A. *Ex S. Scriptura*

1. In Scriptura leguntur plurimi *errores* et mutuae *contradictiones;* speciatim plurimi *numeri* sunt manifesto falsi. Atqui talia non possunt dici inspirata aut verbum Dei.

R. *N.M.* vel *Dist.* in apographis et versionibus *Tr.* in autographis et in textu nostro in quantum concordat cum autographis *N.* vel *subd.* in assertis hagiographorum *N.* alibi *Tr.*[8]

Urg. Si omnia sensa Scripturae essent inspirata, nullae in ea essent *imperfectiones.* Atqui multae sunt imperfectiones in ea.

R. *Dist.M.* nullae essent imperfectiones in apographis et versionibus *Tr.* in autographis et in textu nostro in quantum concordat cum autographis *subd.* quoad id quod dicitur *Tr.* quoad modum quo dicitur *N.* Cf. infra p 624-6.

2. In Scriptura *Deus* interdum inducitur a) *dubitans* (v.g. Jer 26, 3; Ez 2, 5; Joel 2, 14; Mt 11, 23; J 8, 19) vel b) *arguens* (v.g. Ez 18, 25-30). Atqui talia non sunt inspirata; nam ponunt imperfectionem in Deo.

R. ad a) *Dist.* realiter dubitans *N.* aliter *Tr.* Saepe dubium est mere rhetoricum, vel versio non est accurata (v.g. Ez 2, 5; Mt 11, 23; J 8, 19). —ad b) *C.M. N.min.* Argumentari pertinet ad modum quo Deus nobis loquitur vel scribit. Nonne Christus arguit cum Judaeis?[9]

Urg. In V.T. *Deus* inducitur ut *crudelis, iniustus, mutabilis;* sic Abraham iubetur a Yahwe occidere filium; Israelitae iubentur exterminare Chananaeos etc. Atqui talia non sunt inspirata; ponunt enim imperfectionem moralem in Deo.[10]

R. Quoad *mutabilitatem* et *iniustitiam* Dei idem dicatur ac supra quod Deum dubitantem. Quoad *crudelitatem* autem tria sunt notanda: a) Num nos debemus omnia comprehendere? (cf. Is 45, 9). b) Deus, dominus omnium, sic ulcisci potuit crimina commissa (cf. Sap 12, 12-4). c) Deus cavere voluit ne populus electus contaminaretur per paganos vicinos.[11]

3. In V.T. a) leguntur descriptiones *liberiores* (v.g. Is 64, 6; Ez 16 et

---

[7]Dorsch III p. 135-6; Tromp p. 43.

[8]Quoad numeros cf. Holzmeister, in Biblica 1939 p. 264-275; Lesêtre, in Dict. de la Bible s.v. Nombre; infra p. 708.

[9]Dorsch III p. 189-192.

[10]In suo libro "Age of Reason" Thomas Paine "traversed the whole of the O.T. . . . rejecting as unworthy of faith a God who could sanction cruelty and injustice" (J. M. Connell, in Hibbert Journal 1937 p. 224).

[11]Dorsch I p. 515-7; III p. 74; Bierbaum p. 42-9; Steinmueller p. 214-220.

23; Cant; Prov 7, 10-20; 1 Reg 24, 4); b) narrantur res *immorales* (v.g. Gen 12, 13; 19; 27, 19; Judith 16; 2 Reg 11; Is 20, 2; Os 1, 2); c) multi sunt psalmi *imprecatorii* (v.g. Ps 108). Atqui talia non possunt esse inspirata; nam Deum dedecent.

R. ad a) *Dist.* quae nobis apparent liberiores *Tr.* quae videbantur liberiores primis lectoribus *N.* Praeterea hae descriptiones non habent finem lascivum, sed bonum.[12]—ad b) *Dist.* ad finem malum *N.* aliter *Tr.* —ad c) Cf. infra p. 657.[13]

Urg. Res immorales non tantum narrantur, sed *approbantur.*

R. *Dist.* qua malae *N.* qua bonae *Tr.* Sed nota: Moralitas sermonis montani non debet quaeri in V.T.; Christus enim venit ut perficeret praecepta moralia V.T.

4. In duobus locis *S. Paulus* explicite negat se fuisse inspiratum: a) 1 Cor 7, 12 "Ceteris *ego dico,* non Dominus"; b) 2 Cor 11, 17 "Quod loquor, *non loquor secundum Deum.*"

R. *N.ass.* ad a) "Dominus", i.e. Christus dum in terra vivebat.—ad b) "non loquor secundum Deum", i.e. gloriatio mea non videtur esse secundum humilitatem quam Christus iniunxit suis discipulis.[14]

5. Rom 16, 22 "Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam in Domino". Haec sunt verba *amanuensis;* ergo non sunt inspirata.

R. Sunt inspirata—sive quatenus Tertius ipse fuit inspiratus (infra p. 627) sive quatenus Tertius haec scripsit iubente Paulo.

6. Aliqui hagiographi fatentur se hausisse scribenda ex aliis *fontibus* (oralibus vel scriptis); v.g. 2 Mach 2, 24; L 1, 1-3. Ergo implicite negant se fuisse inspiratos in his scribendis.

R. *C ant N.cons.* (infra p. 621-2).

B. *Ex Patribus*

Nota. Repetendum est id quod diximus supra p. 520, scil. dicta Patrum interpretanda esse iuxta *contextum.*

1. *Origenes*: "Non semper ea quae per prophetam dicuntur, quasi a Deo dicta suscipiantur oportet" (Hom 16 in Num n. 14). Quod dictum Origenis urgetur praesertim a Chrismann.

R. *N.supp.* Origenes hic non loquitur de hagiographo, sed de propheta Jona. Putat Jonam fortasse addidisse quaedam eis quae Deus ei revelaverat circa Ninive.[15]

2. *S. Gregorius M.*: "Sciendum est quod aliquando prophetae sancti, dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quaedam ex suo spiritu proferunt, et se haec ex prophetiae spiritu dicere suspicantur" (In Ez, Hom 1 n. 16).

R. *N.supp.* S. Gregorius hic loquitur de propheta sensu stricto (sicut Origenes).

3. *S. Ambrosius* haec habet de libello repudii: "Ostendit hic locus quae propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta" (In L 8, 8).

R. *N.supp.* Ex contextu patet S. Ambrosium hic non loqui de Scriptura

---

[12]Höpfl, Insp. p. 175.

[13]Quoad singulos locos cf. exegetas; Bierbaum, Anstössliches im A.T.

[14]Cornely, 1 Cor p. 180-2; 2 Cor p. 298.

[15]van Laak, Insp. p. 199; Oudenrijn p. 237.—Quoad locum difficiliorem ex Origene (Comm. in J), cf. van Laak ib.

qua tali, sed de lege libelli repudii; putat eam latam esse a Moyse sola auctoritate humana.[16]

4. *S. Chrysostomus*: "Rursus Paulus humano modo disserit, nec semper gratia fruitur" (In Act, Hom 49, 1).

R. *N.supp.* S. Chrysostomus hic non loquitur de inspiratione, sed de modo quo Paulus arguit cum adversariis in Act 23, 6-8.

5. *S. Basilius* (Contra Eunomium 8), postquam enumeravit locos in quibus hagiographus se distinguit a Deo (v.g. 1 Cor 7, 12) vel scribit proprios affectus, ita pergit: "Spiritus Dei autem non sic. Non enim modo sua, modo quae Dei sunt, loquitur (id namque creaturae est); sed omnia Spiritus verba verba Dei sunt". Ergo S. Basilius implicite negat omnia sensa Scripturae esse scripta Spiritu s. dictante.

R. *N.supp.* S. Basilius hic non agit de inspiratione Scripturae, sed probat divinitatem Spiritus s. Distinguit autem inter verbum Dei ab intrinseco et ab extrinseco.[17]

C. *Ex rationibus theologicis*

1. Inspiratio se non extendit ultra *finem* a Deo intentum. Atqui finis quem Deus intendit in scribenda Scriptura, non erat docere nos res profanas (historiam, geographiam etc.), sed tantum religiosas. Ergo solae res religiosae inspiratae sunt in Scriptura.

R. *N.M.* vel *Dist.* ultra finem completum *C.* primarium *N.* Libris sacris Deus sane voluit nos docere religionem (finis primarius), sed modo humano—neque modo scientifico, sed ordinario. Atqui modus humanus ordinarius docendi admittit obiter dicta aliaque quasi superflua pro fine primario ('inspirata per accidens").

2. Eadem est extensio infallibilitatis magisterii et inspirationis biblicae. Atqui *infallibilitas magisterii* se non extendit ultra res religiosas (res fidei et morum). Ergo neque inspiratio biblica.

R. *N.M.* Extensio inspirationis (sicut ipsum factum inspirationis) non est statuenda a priori, sed secundum fontes revelationis. Atqui praedicatio explicita magisterii, Patres, Theologi clare et firmiter docent inspirationem biblicam se extendere ultra res fidei et morum quae leguntur in Scriptura.[18]

3. Si omnia et singula sensa Scripturae essent inspirata, nullum perire aut corrumpi posset; omnia enim aeque pertinerent ad *depositum fidei*. Atqui multa sensa perierunt, vel saltem hodie sunt corrupta ac valde dubia; id quod patet ex innumeris lectionibus variantibus, cum in V.T. (praesertim in Judith et Tobias) tum in N.T.

R. *N.M.* Deus non est conservator Scripturae eodem modo quo est eius auctor. Quamvis enim conservatio librorum sacrorum sine dubio subsit speciali Dei providentiae, tamen a) non positive promittitur in fontibus revelationis, b) per se relinquitur mediis humanis.[19]

Tria addi possunt: a) Dantur in Scriptura *inspirata per accidens* (cf. thes. 44); Deus non scripsit libros sacros propter haec; unde etiam per-

[16] van Laak, Insp. p. 201.

[17] van Laak Insp. p. 202.

[18] Ratio ultima huius discriminis est *libera voluntas Dei*. Hinc est mysterium saltem late dictum. Post acceptam autem revelationem quaerere licet cur Deus voluerit tale discrimen. Rationes probabiles adducunt theologi; v.g. de San p. 269, 291; van Laak, Insp. p. 228-9; Tepe p. 580.

[19] D 2000; Tromp p 110; Fonck, Kampf etc. p. 197-8; supra p. 579.

mittere potest ut talia corrumpantur vel pereant. b) Ex inspiratis per se quaedam potuerant habere *finem transeuntem* (v.g. ut Judaei alicuius aetatis revocarentur ab idololatria) ; Deus etiam permittere potuit ut talia corrumperentur vel perirent. c) Etiamsi res inspirata per se et pro semper corrumperetur in Scriptura vel ex ea prorsus excideret, non excideret ex *conscientia magisterii;* magisterium enim semper retinet totum depositum fidei.[20]

Schol. *Quomodo exprimatur sensum?*

Unum sensum generatim exprimitur una sententia grammatice completa; unde sensum et sententia fere idem sonant.

Id tamen non valet semper. a) Ellipsis, licet sit grammatice incompleta, exprimit sensum completum; v.g. J 21, 21 "Domine, hic autem quid?" b) Interdum una vox sufficit ad sensum completum; v.g. Mt 22, 42 "David". c) Plures sententiae constituere possunt unum sensum completum—idque iuxta contextum proximum (v.g. 1 Cor 1, 14-7) vel remotum (v.g. J 3, 22; 4, 1-3). Huc pertinet "modus circularis" loquendi, quo idem sensum magis ac magis distincte enuntiatur (v.g. Jer 1, 5).[21] Uti patet ex periodis Ciceronianis, una sententia continere potest plura sensa.

Tandem sensum implicitum etiam contineri potest in nexu (logico, chronologico, psychologico etc.) inter sententias; v.g. J 2, 11 "initium signorum", J 21, 17 "tertio" etc.

---

[20] de San p. 270, 292.

[21] Bea p. 78-9; Holzmeister, in Theol-prakt. Qu. 1937; idem in ZkTh 1910 p. 500-525; Hertling, in Biblica 1939 p. 281.

Thesis 44

In S. Scriptura distinguere oportet inter inspirata per se et per accidens, inter verbum Dei ab intrinseco et ab extrinseco.

Cf. Bainvel, Script, p. 156-8; idem, Mag. p. 132; Bea p. 75-82; Billot, Insp. p. 38-39; idem, Virt. p. 238-242; Dorsch III p. 178-193, 375-9; Fernandez, in IB p. 400; Franzelin, Trad. p. 262, 347, 527-530, 576; Humphrey p. 245-8; van Laak, Insp. p. 178; Lercher I p. 527; Mangenot, in DThC s.v. Ecriture sainte col. 2097-8; van Noort, Font. p. 49; Pesch, Insp. p. 117, 512; de San p. 90, 276-280; Schiffini p. 498-501, 743; Straub II p. 243-251; Tromp p. 105-9.

Adhuc loquimur de *sensis* Scripturae, et quidem de sensis ipsis, non de modo quo exprimuntur.

1. *Inspirata per se* dicuntur ea quae habent valorem religiosum; etiam dicuntur "inspirata propter se", "inspirata ratione sui", "res fidei et morum". *Inspirata per accidens* dicuntur ea quae non habent valorem religiosum, sed a Deo scripta sunt propter nexum extrinsecum quem habent cum rebus per se inspiratis ("pure per concomitantiam", ait Billot).[1]

2. *Verbum Dei ab intrinseco* dicitur sensum quod scriptum est a Deo et exprimit eius mentem. *Verbum Dei ab extrinseco* dicitur sensum quod quidem scriptum est a Deo, sed non exprimit eius mentem.

Scil. terminus "verbum Dei scriptum" ita sumi potest ut includat quidquid legitur in Scriptura. Sed generatim vel saepe sumitur stricte, scil. ut id quod Deus ipse sentit, iubet, asserit etc. Ne igitur confusio oriretur, theologi hanc distinctionem posuerunt.

Tria notanda ad sensum thesis:

a. Est quidem aliqualis oppositio ad thesim 43, quatenus ibi locuti sumus *sine distinctione*. At non est contradictio; nam non nunc distinguimus inter inspirata et non-inspirata in Scriptura, inter verbum Dei et verbum pure humanum.

b. Duae distinctiones sunt *independentes* ab invicem; fiunt enim secundum diversa principia. Unde de eodem textu quaeri

---

[1]Alius est nexus intrinsecus; v.g. principia vel conclusiones, antecedentia historica (v.g. genealogia Christi) etc.

potest a) utrum sit inspiratus per se an per accidens, b) utrum sit verbum Dei ab intrinseco an ab extrinseco.

c. Loco 'oportet' etiam dici potest 'licet'.

Prima pars thesis (i.e. prima distinctio) est *certa et communis*; altera pars est saltem *probabilis*.

PRIMA PARS PROBATUR

Cum nemo neget adesse in Scriptura inspirata per se, sufficit probare adesse etiam *inspirata per accidens*. Id quod probamus ex Traditione:

a. In encycl. "Prov. Deus" *Leo XIII* id supponit. Nam non tantum suum facit dictum S. Augustini mox citandum (EB n. 106), sed etiam negat inspirationem restringendam esse ad "res fidei et morum" (EB n. 109). Cf. supra p. 597.

b. In suo libro "De Genesi ad literam" (II 9, 20) *S. Augustinus* ait: "Spiritus s., qui per ipsos (i.e. hagiographos) loquebatur, noluit ista (i.e. figuram caeli etc.) docere homines—*nulli saluti profutura*". Et in libro "De Actis cum Felice Manichaeo" (I 10) scribit: "Non legitur in evangeliis Dominum dixisse: Mitto vobis Paraclitum qui vos doceat de cursu solis et lunae. *Christianos enim facere volebat, non mathematicos*" (i.e. astronomos).

Quae duo dicta S. Augustini dein quasi in *proverbia* abierunt in Ecclesia. Id quod auget eorum valorem dogmaticum.

c. Eadem est doctrina *S. Thomae,* quam saepius repetit in II II; v.g. in qu. 1 a. 6: "Quaedam proponuntur in S. Scriptura ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad praedictorum manifestationem—sicut quod Abraham habuit duos filios, quod ad tactum Elisaei suscitatus est mortuus, et alia huiusmodi". Cf. ib. qu. 1 a. 8; qu. 2 a. 5 etc.

Dices: Secundum S. Paulum: "*Quaecunque* scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt" (Rom 15, 4); "*omnis* Scriptura utilis est" (2 Tim 3, 16). Ergo saltem in V.T. non dantur inspirata per accidens.

R. Videtur S. Paulus loqui de parte potiore V.T. vel de morali universalitate seu in globo.[3]

Cor. Ergo non omnes textus Scripturae sunt *"dogmatici"*, neque necessarium est ut totus liber sacer aut singula eius sensa agant de rebus *religiosis* (sicut catechismus).

---

[3] Cornely, Rom p. 732-5.

Schol. 1. Licet distinctio ipsa sit certa, duo notanda sunt quoad eius *applicationem*:

a. Applicatio saepe difficilis est. Utrum autem textus particularis dicendus sit inspiratus per se an per accidens, dignosci debet ex lectione libri vel ex consensu peritorum; ultimus iudex est magisterium Ecclesiae.

Possunt autem indicari tres classes inspiratorum per accidens: a) *res profanae*; v.g. quod Adam vixit 960 annos; quae fuerint singulae stationes filiorum Israel in deserto etc.; b) vere *obiter dicta*; v.g. salutationes in fine epistolarum; c) ea quae tantum *dubie* vel approximative expressa sunt.

b. Potest esse ut aliter et aliter iudicandum sit de *vero sensu* alicuius loci prout dicitur esse inspiratus per se vel per accidens. Exemplum habes in 1 Tim 5, 22-3, ubi S. Paulus duo praecipit: "teipsum castum custodi", et "noli adhuc aquam bibere". Prius praeceptum evidenter est religiosum, alterum consilium amici.[3]

Schol. 2. Distinctio haec habet pro principio *finem operis*, atque concordat cum *usu communi*. Sic cum scribimus epistolam, scribimus ob finem determinatum. Saepe tamen addimus alia (narrationes de eventibus cotidianis, salutationes etc.), ob quae sola non scriberemus. Nihilominus etiam hae additiones (quasi superfluae) vere intentae et scriptae sunt ab auctore epistolae.

Schol. 3. Quamvis inspirata per accidens sint vere inspirata ac proinde credi possint fide divina, nemo tenetur ea *explicite* credere. Hanc propositionem Billot dicit esse "certo certiorem" et constare "sine discussione ac veluti a priori" (Virt. p. 240).

Schol. 4. Quaedam facta V.T., quamvis dicenda sint inspirata per accidens si sumuntur sensu "literali", possunt esse per se inspirata iuxta sensum *typicum*. Sic quod Abraham habuit duos filios, sane caret sensu religioso (uti dicit S. Thomas); sed si duo illi filii sunt typus duorum Testamentorum (uti S. Paulus videtur dicere in Gal 4, 22), habetur res religiosa.[4]

Schol. 5. Nulla erat necessitas ut inspirata per accidens conservarentur incorrupta, aut ut Deus, providentia sua, impediret errores librariorum vel interpretum circa ea. Cf. supra p. 600.

---

[3] Etiam Rom 15, 28 "per vos proficiscar in Hispaniam" potest sumi ut prophetia (inspiratum per se) vel ut merum propositum (inspiratum per accidens). Cf. DA II col. 754, 763-4.

[4] Prat, Theol. I p. 187-8; Ogara, in Gregorianum 1936 p. 138, 140.

Secunda pars probatur

Cum nemo neget plurimos locos Scripturae continere verbum Dei ab intrinseco, sufficit ostendere adesse locos qui non exprimant mentem Dei. Talia sunt a) *dicta aliorum* quae *improbantur* a Deo vel Christo vel hagiographo; v.g. verba impiorum in Sap 2, 6-20; blasphemiae Judaeorum contra Iesum in Mc 3, 22. b) *Affectus praesentes* hagiographi, i.e. eius desideria, dubia, praecepta vel consilia; v.g. Rom 1, 11 "desidero videre vos"; Philm 22 "para mihi hospitium"; 2 Tim 4, 13 "penulam . . . veniens affer tecum".[5]

Nota. Ab his affectibus *pure personalibus* distingue eos quos hagiographus elicit *propter* scriptionem, i.e. ut lectorem moveat ad similes affectus; v.g. saepe in psalmis ("miserere mei, Deus").

Unde distinctio haec fundatur a) in relatione auctoris libri ad res quae in eo *citantur*; auctor enim potest ab eis dissentire; b) in relatione auctoris principalis ad eius *instrumentum vivum*.

E contra, verbum Dei ab intrinseco sunt a) dicta ipsius Dei (Yahwe) et Christi, uti patet; b) omnia asserta hagiographi; secus enim non fuisset ratio cur Deus eum moveret ad illa scribenda; c) dicta aliorum quae Deus vel hagiographus approbat.

Cor. Ergo Deus semper quidem est auctor *scriptionis* librorum sacrorum, et hoc sensu tota Scriptura est verbum Dei; sed non omnia et singula exprimunt *mentem* Dei ipsius.

Schol. Etiam haec distinctio exegetae *utilis* est. Sine ea enim non recte iudicatur de dictis aliorum quae citantur in libris sacris, neque de affectibus pure personalibus hagiographorum. Sic praecepta et consilia hagiographi per se sunt humana, atque procedere possunt ex mera amicitia (1 Tim 5, 23) vel ex auctoritate propria scribentis (1 Cor 7, 15). Unde qualem obligationem creent sive pro destinatariis immediatis sive in genere, non est eruendum ex inspiratione libri, sed ex contextu (materia, verbis, adiunctis).[6]

Ultimus iudex etiam huius distinctionis est magisterium Ecclesiae.

---

[5] Tromp p. 108-9.
[6] Dorsch III p. 189; DA II col. 763-4.

Thesis 45

Non omnes et singulae voces S. Scripturae sunt positive et directe inspiratae.

Non iam loquimur de sensis, sed de *modo* quo sensa exprimuntur. Quamvis autem nominemus solas voces, includimus etiam phrases, constructiones grammaticales etc. Cf. supra p. 592.

Opiniones

1. *Theoriae veteres* ('mechanicae', uti dicuntur):

a. Rabbini Judaei et aliqui Protestantes censebant Deum hagiographo omnia *dictasse* ad verbum, idque ita ut hagiographus *auribus* suis audiret vocem Dei dictantis.

Atque aliqui hanc theoriam ita exaggerabant ut dicerent Deum dictasse non tantum voces, sed etiam formam (magnam vel parvam) literarum hebraicarum et puncta masoretica. Apud nos, multi Protestantes sic intellegunt 'inspirationem verbalem', sive eam retinent sive reiciunt.[1]

b. Alii Protestantes, atque etiam Scholastici quidam, dixerunt Deum dictasse hagiographo per sensum internum (*phantasiam*).[2]

Utraque opinio hodie derelicta est.

2. *Theoriae modernae*:

a. *Inspiratio verbalis.* Sic vocatur theoria quae tenet voces aeque inspiratas esse ac sensa. Eam defendunt: Bainvel, Script. p. 133-140; Bea p. 58-68; Billot, Insp. p. 60-6; Hervé I p. 592-3; Höpfl, Insp. p. 36-40; Lusseau p. 157-169; van Noort, Font. p. 46-8; Schultes p. 534-6; Tanquerey I p. 770-1; Vosté p. 80-105.

Duo tamen notanda: a) Ut aliquomodo mitigent suam theoriam, eius patroni duo addunt, scil. Deum *se accommodasse* instrumento suo, seu Deum movisse hagiographum modo eius indoli conformi, et sensa esse inspirata primarie ac propter se, voces tantum secundarie et propter sensa. b) Differunt etiam in *ratione theologica* qua theoriam defendunt. Thomistae eam deducunt vel ex relatione

---

[1] Merk, in IB p. 56-7; CE s.v. Inspiration; W. F. Farrar p. 388; Briggs, The Study of Holy Scripture p. 220-1, 621.

[2] Ita olim Henricus Gandavensis, dein post Banez et Billuart plurimi Thomistae (v.g. M. Cano, Loci theol. II 18); etiam S. Bellarminus (De Conciliis II 4) etc. Cf. Lusseau p. 63; Bea p. 16; Merk, in IB p. 58-9; Tromp p. 86-7.

effectus ad causam principalem et instrumentum (totus effectus debetur et causae principali et instrumento) vel ex notione libri (liber coalescit ex verbis) vel ex notione verbi Dei scripti (Deus scripsit librum sacrum). Non-Thomistae potius arguunt ex unitate hagiographi.

b. *Inspiratio realis*. Haec theoria sic explicari potest: Deus quidem praeconcepit et praevoluit omnia et singula sensa, sed per se non singulas voces; harum determinationem in individuo per se reliquit *hagiographo*.

Huius theoriae auctor fuit L. Lessius. Eam hodie tenent: Dorsch III p. 197-211; FelderA II p. 298-301; de Groot p. 696-8; Humphrey p. 33-43; van Laak, Rep. p. 83-6; Lercher I p. 597-608; Mazzella, Virt. p. 525-7, 544-6; Merk, in IB p. 61-2; Muncunill III p. 35-44; Pesch I n. 635-642; idem, Insp. p. 459-489; Prado p. 27-31; de San p. 247-252; Tepe p. 581-5; Tromp p. 90-5; Wirceburgenses I p. 23-9.

Defendimus hanc alteram theoriam ut *probabiliorem*.[3]

Ad verba thesis:

a. Dicimus 'positive'. Non enim negamus influxum divinum ut omnes voces sint *aptae* ad exprimenda sensa. Ad hoc autem per se videtur sufficere assistentia negativa.

b. Dicimus 'directe'. Non negamus voces omnes esse inspiratas saltem *indirecte*. Qui enim positive et directe inspirat sensa, saltem indirecte inspirat voces quibus haec sensa exprimantur.[4]

c. Dicimus 'omnes et singulae'. Potest enim esse ut Deus debuerit hagiographo positive suggerere *aliquas* voces; v.g. ubi hagiographus inter scribendum audivit Deum loquentem (sicut quidam prophetae V.T.), vel ubi altitudo mysterii exprimendi excedebat vires hagiographi (v.g. cum S. Ioannes vocat secundam Personam Trinitatis 'Logos'), vel ubi defecit memoria hagiographi. Immo potest esse ut *totus aliqui* liber sit inspiratus ad verbum. Haec tamen sunt per accidens, non per se.

Quaestio praeliminaris

Cum quaestio nostra sit saltem res cum fide conexa, imprimis

---

[3] Controversia autem sine influxu practico est; omnes exegetae hodie eodem modo procedunt.

[4] Propter assistentiam illam universalem et hanc inspirationem indirectam, omnes voces dici possunt inspiratae.

videndum est num fortasse *fontes revelationis* rem decidant, seu num liberi simus tenere alterutram theoriam. Iamvero:

1. In *Scriptura* ipsa nullus legitur textus explicitus quo doceatur alterutra opinio quoad omnes libros sacros.

Dices: Inspiratio *verbalis* clare continetur in 4 locis V.T. Scil. a) Exod 34, 27 "Scribe tibi verba haec quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus." b) 2 Reg 23, 2 "Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam". c) Ps 44, 2 "Lingua mea calamus scribae velociter scribentis". d) Jer 1, 9 "Dedi verba mea in ore tuo".—Quibus veteres interdum addiderunt e) Jer 36, 1-18, praesertim v. 18 "ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos, et ego scribebam in volumine atramento".

R. Imprimis, etsi concedatur inspirationem fuisse verbalem in paucis his locis V.T., quo iure extenditur ad *totam* Scripturam? Dein, singuli loci de facto habent vel habere possunt *aliam* interpretationem. Scil. ad a) Vox 'verba' hic significat res seu facta, non vocabula; patet ex contextu.—ad b) Hagiographus non loquitur de compositione sui libri, sed narrat inspirationem propheticam Davidis.—ad c) Hagiographus nihil plus vult nisi poetice describere ubertatem materiae et facilitatem eloquendi.—ad d) Hoc aeque dici potest de sensis.—ad e) Jeremias, Dei iussu, dictavit revelationes (comminatorias) antea receptas. Neque dicitur librum tunc scriptum per Baruch fuisse nostrum.

Urg. Mt 5, 18 "Iota unum aut unus apex non praeteribit a lege donec omnia fiant". Ergo *Christus* supposuit etiam minima in V.T. esse inspirata.

R. *C.ant. Dist.cons.* etiam sensa minima *C.* aliter, *peto probationem.* Christus evidenter locutus est concrete vel hyperbolice.[5]

Urg. *S. Paulus* saepe premit singula verba; v.g. Gal 3, 16. Ergo iudicavit singula esse inspirata.

R. Num arguere licet ex uno vel paucis ad omnes?

2. Quoad *praedicationem magisterii* scribit Pesch (qui negat inspirationem verbalem): "De inspiratione verbali Ecclesia non definivit quidquam. Licet igitur cuivis aut admittere aut reicere inspirationem verbalem, sive 'mechanicam' veterum sive 'psychologicam' recentiorum" (Suppl. p. 6). Sed etiam Bea (qui defendit inspirationem verbalem) dicit: "Etiam post Encyclicam 'Spiritus Paraclitus' quaestio de 'inspiratione verbali' est inter liberas computanda" (p. 22). Ei consentit van Noort, Font. p. 47.

Dices: Inspiratio verbalis definitur in D 784 ("libros *integros* cum omnibus suis partibus") et supponitur a Leone XIII, qui vetat *coangustare* inspirationem "ad aliquas partes" (D 1950).

R. *N. supp.* Neque Conc. Trid. neque Leo XIII per "partes" intellexerunt singulas voces. Cf. supra p. 570-1.

---

[5]Disputant exegetae catholici utrum Christus locutus sit de prophetiis messianicis an de tota lege V.T. Cf. Knabenbauer Mt I p. 261; Dausch p. 101; Lagrange, Mt p. 94-5.

3. Quoad *Patres*. Numquam exstabat firmus consensus hac de re. Patres interdum quidem premunt singulas voces Scripturae, sed aliis locis inspirationem verbalem clare excludunt. Etiam ii qui (v.g. Origenes, S. Ambrosius) docuerunt inspirationem verbalem, eam non tenuerunt firmiter.

S. Hieronymus, Doctor eximius hac in re, uno loco quidem ait: "Singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus". Alibi tamen monet Pammachium: "Alii syllabas aucupentur et literas, *tu quaere sententias*". Idem dicendum de S. Chrysostomo, exegeta maximo.[6]

Unde merito dicimus: Inspiratio verbalis non traditur a Patribus ut res fidei vel cum fide conexa. Et cum Patres emphatice dicunt inspirata esse 'omnia', 'singula', 'etiam exigua', 'nihil excipiendum' etc. (cf. supra p. 594-5), *rhetorice* loquuntur de sensis.

Dices: Patres saepe dicunt Deum *dictasse* Scripturam. Atqui qui dictat, dictat singulas voces.

R. *Tr.M. Dist.min.* qui dictat ad verbum *C.* qui dictat ad sensum tantum *N.*

4. Quoad *Theologos*. Numquam erat neque hodie est consensus hac de re. Ex Scholasticis antiquis solus Henricus Gand. tenuit inspirationem verbalem; ceteri hanc quaestionem ne tangunt quidem. Postea Banez eiusque discipuli docuerunt eam, sed alii theologi magni nominis (v.g. Lessius) nostram theoriam defenderunt.[7] Ex theologis saec. 19, omnes praeter Thomistas reiecerunt inspirationem verbalem, uti notat ipse Lusseau (p. 63). Hodie non esse consensum, patet ex eo quod multi auctores citantur pro utraque opinione.

Ergo quaestio haec iis annumeranda est "de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes *disputari* solet" (D 2192).

Thesis probatur

A. *A priori*

Entia non sunt multiplicanda sine necessitate.

Atqui nulla est necessitas ut auctor principalis libri positive ac directe determinet singulas voces scribendas.

Ergo Deus est auctor principalis Scripturae etiamsi has non ipse praedeterminaverit.

---

[6] Pesch I n. 640; idem, Insp. p. 472.

[7] Quoad Suarez cf. Pesch I n. 641; Muncunill III p. 37; Vosté p. 88-9.

Ad M. Etiam ubi Deus agit praeternaturaliter, observat aliquam oeconomiam mediorum. "In necessariis non deest, in superfluis non abundat" (Lamy). Ergo nisi positive constet Deum plus egisse, iure applicamus nostro problemati hoc principium philosophicum.

Prob.min. *Ex usu communi* etiam is dicitur et est auctor principalis epistolae vel libri, qui alteri (secretario, amanuensi) dictat scribenda tantum *ad sensum.*

Dices: Si hoc argumentum valeret, sufficeret inspiratio *generalis* (v.g. qualem proposuit Bonfrère); nam "dictatio" saepe ita fit. Atqui talis inspiratio non sufficit.

R. *N.M.* vel *Dist.* si ex fontibus revelationis clare constat Deum plus egisse *N.* secus *Tr.* Cf. thes. 43.

B. *A posteriori*

1. *Ex versionibus*

Si vera esset theoria inspirationis verbalis, versio (fidelis quoad sensa) aut non esset Scriptura aut esset Scriptura secundi gradus (sensu latiore).

Atqui consequens admitti nequit.

Ergo neque antecedens.

Prob.M. Cum enim versio *mutet voces,* in ea deesset elementum positivum inspirationis.

Prob.min. a) In genere, versio quaelibet, dummodo fideliter reddat sensa autographi, dicitur *idem liber* atque autographum ipsum. b) In specie, *Ecclesia occidentalis* iam per 14 saecula utitur versione Scripturae, scil. *Vulgata latina;* atqui S. Hieronymo, praecipuo eius auctori, per se curae fuit vertere singula sensa, non singulas voces; et Ecclesia occidentalis non tantum usa est Vulgata latina tamquam Scriptura sensu stricto, sed etiam vetat eam "reicere quovis praetextu" (D 785).

Dices: Versiones non sunt formaliter inspiratae, sed tantum *aequivalenter.* Id omnes dicunt. Unde inspiratio verbalis non extenditur a suis patronis ad versiones, sed ad sola autographa.

R. *N.supp.* Quaestio nunc est num versio quae facta est secundum sensa tantum, careat *elemento positivo* inspirationis, ita ut dici debeat Scriptura secundi gradus? Et consequenter quaestio etiam est num Ecclesia occidentalis, quae non adhibet nisi versiones, iam per multa saecula careat Scriptura sensu stricto?

2. *Ex citationibus*

a. Christus, hagiographi, Patres a) saepe citaverunt Scripturam non ad verbum, sed tantum *ad sensum;* iidemque b) citaverunt V.T. *secundum LXX;* factum hoc a nullo negatur, et iam notatur

a S. Hieronymo (Ad Pamm.). Atqui id vix fecissent si putassent singulas voces esse positive intentas a Spiritu s., vel versiones non esse Scripturam sensu stricto.

b. Interdum hagiographi citant dicta Christi semel prolata diversis vocibus et phrasibus; notum exemplum sunt verba institutionis Eucharistiae, quae diversimode referuntur a Matthaeo (26, 26-8), Marco (14, 22-5), Luca (22, 19-22), Paulo (1 Cor 11, 24-5). Quis dicet diversitatem hanc tribuendam esse positivo influxui Spiritus s. (supra p. 138)? Atqui theoria inspirationis verbalis id dicere debet.[8]

3. *Ex usu amanuensium*

Amanuenses hagiographorum non fuisse inspiratos, etiam ubi dictatio fiebat tantum ad sensum, fere omnes theologi hodie dicunt; idem supponi videtur a Commissione biblica quoad Pentateuchum (D 1998) et Hebr (D 2178).

Atqui, quod attinet ad inspirationem plenam et sensu stricto, Ecclesia *numquam distinxit* tales libros ab iis quos hagiographus scripsit manu sua.

Ergo ad Scripturam sensu stricto sufficit inspiratio ad sensa.[9]

4. *Ex defectibus literariis*

Tales legi in aliquibus libris sacris, probabimus thesi 46.

Atqui a) incredibile est Spiritum s. eos positive intendisse; b) si aequa est inspiratio vocum et sensorum, non apparet cur defectus excludatur ab assertis hagiographi—id quod concedi nequit.

Dices: Patroni inspirationis verbalis distinguunt inter partem primariam (sensa) et *secundariam* (voces).

R. *C.* Sed sic introducunt distinctionem, quam praecise vitare volunt sua theoria (cf. Merk, in IB p. 65). Dein quaestio recurrit: Num aequa est inspiratio partis primariae et secundariae?

Confirmatur:

a. Licet, uti vidimus, *magisterium* nondum deciderit nostram quaestionem, duo videntur favere nostrae opinioni: a) In encyclica "Spiritus Par." *Benedictus XV* ita loquitur ut inspirationem verbalem videatur habere pro exaggeratione ("immo etiam" D 2186). b) In D 1952 *Leo XIII* tribus verbis exprimit influxum divinum

---

[8] Rationes quibus de San (p. 250-1) aliique conantur infirmare hoc argumentum, sunt pueriles.

[9] Bea (p. 62) concedit argumentum valere pro Pentateucho et pro Hebr. Sed si ita, inspiratio verbalis non est necessaria pro tota Scriptura.

in hagiographum, scil. per "excitare" et "movere" (quae duo sane indicant influxum positivum), sed etiam per "scribentibus adsistere" (similiter Benedictus XV in EB n. 461). Atqui nisi haec tertia vox sit superflua, sumi debet ut assistentia negativa quoad aliqua. Ad quid enim Deus "adsisteret" si ad omnia moveret?

Dices: Leo XIII (ib.) dicit Deum ita inspirasse hagiographum ut hic *"apte infallibili veritate"* exprimeret scribenda.

R. Eadem veritas infallibilis apte exprimi potest aliter et aliter. Id quod patet a) ex usu communi, b) ex ipsa praedicatione magisterii, quod non semper adhibet eadem verba.

b. Ostendit P. Tromp (p. 92-3) nostram theoriam melius cohaerere cum iis quae *S. Thomas* docet (II II qu. 171) de prophetia.

c. Theoria inspirationis verbalis vix permittere potest ut hagiographus dicatur verus *auctor* sui libri (contra thesim 46).

Cor. 1. Ergo cum Scriptura dicitur "verbum Dei", id non ita intellegendum est quasi singulae voces sint positive ac directe inspiratae.

Cor. 2. Ergo distinguere licet (cum Card. Franzelin) inter elementum *formale* et *materiale* Scripturae, seu inter *id quod* dicitur, et *modum quo* dicitur.[10] Et cum formaliter idem sensum exprimi possit diversis modis et linguis, sensa Scripturae dici possunt *formaliter inspirata* in quacunque lingua exprimuntur. Apographa et versiones autem dicuntur *aequivalenter* inspirata quia non sunt scripta aut dictata aut approbata ab hagiographo.

Obiectiones

1. Nisi singulae voces Scripturae essent positive inspiratae, Scriptura non differret a *definitionibus magisterii*. Atqui differt.[11]

R. *N.M.* Sensa omnia Scripturae sunt verbum Dei et habent Deum auctorem principalem scriptionis. Sed definitionum auctor principalis est homo, et definitio est verbum humanum.

2. Nisi Deus praedeterminasset singulas voces, Scriptura forte dici posset 'concepta' vel 'volita' a Deo, sed non *'scripta'*. Atqui secundum Conc. Vat. (D 1787) libri sacri "conscripti sunt Spiritu s. inspirante". —Vosté (p. 99) et Schultes (p. 535) confitentur ultimam rationem cur ipsi teneant inspirationem verbalem, esse "universam et perpetuam traditionem" quae loquitur de *libris* sacris, de sacris *literis*, de *Scriptura* divina.

R. *N.M.* Nam ex usu communi etiam is dicitur 'scribere' qui dictat librum, immo etiam is qui dictat tantum sensa libri; neque fontes revelationis plus postulant ut Deus dicatur 'scripsisse' libros sacros.—Porro si haec obiectio

[10] Merk, in IB p. 64-5; Fernandez ib. p. 401.

[11] Ita Banez; cf. Pesch, Insp. p. 274.

(praesertim prout proponitur a Vosté) nimis premitur, sequitur Deum debuisse scribere libros sacros *"digito suo"*, vel *sola autographa* esse inspirata. Atqui a) Deus certo non scripsit libros sacros manu sua; b) autographa Scripturae iam diu perierunt; num etiam Scriptura periit?

3. Deus positive et directe movit hagiographos ut scriberent sensa *determinata*. Atqui sensa determinata supponunt voces determinatas.[12]

R. *C.M. Dist.min.* per se *N.* per accidens *Tr.* Voces determinatae supponuntur v.g. in genealogiis, fortasse in poematibus aliquibus; sed in libris didacticis, historicis etc. eadem sensa diversis vocibus, phrasibus etc. exprimi possunt.

Urg. Non dantur vera synonyma; unaquaeque vox habet sensum diversum.

R. *Dist.* in sermone mathematico, philosophico, exacto etc. *Tr.* in sermone ordinario *N.* vel *subd.* per se *N.* per accidens *Tr.*[13]

4. Si tantum sensa Scripturae dicerentur inspirata et non etiam voces, introduceretur *vivisectio* quaedam in hagiographo.

R. *Dist.* quatenus ipse hagiographus separaretur in partes *N.* quatenus distinguerentur in eo multae *facultates* et *functiones* quarum quaedam elevari possunt ("excitari" et "moveri"), aliis non elevatis *C.*

Secundum sanam psychologiam, hagiographus, utpote homo, praeditus est intellectu, voluntate, phantasia, memoria, sensibus externis, appetitu sensitivo, facultate motrici (cerebro, musculis, nervis) etc. Porro a) quaedam ex his certo sunt realiter inter se distinctae, ita ut una moveri et agere possit sine aliis; b) quaedam habent varias functiones (v.g. intellectus abstrahit, iudicat, reflectit etc.); neque cum actus unius functionis elicitur, semper eliciuntur actus omnium aliarum functionum. Haec distinguere in hagiographo, non est eum vivisecare.

Urg. Hagiographus est *unum quid*. Ergo aut totus elevatur aut nullo modo elevatur; non datur tertium.

R. *Dist.ant.* ita tamen ut praeditus sit multis facultatibus et functionibus realiter inter se distinctis *C.* aliter *N.*

Urg. Talis est *nexus psychologicus* inter sensa et voces ut inspiratio positiva sensorum eo ipso secum trahat selectionem vocum quibus sensa exprimantur.

R. Duo responderi possunt: a) Nexus iste adest, sed non est univocus; saepe enim scimus quid velimus dicere, sed non possumus invenire voces aptas. b) Propter nexum istum, voces omnes dici possunt *indirecte* inspiratae.

5. Inspiratio verbalis sequitur "ex ipsis verbis S. Thomae de *causalitate instrumentali*" (Vosté p. 84).

R. *Dist.* si nulla fit distinctio inter instrumentum rationale et irrationale *C.* si haec distinctio fit *N.* Et nota: S. Thomas quaestionem nostram nusquam ex professo tetigit.

Urg. Instrumentum nihil agit nisi ex influxu causae principalis. Atqui hagiographus qua hagiographus est instrumentum Dei.

R. *Dist.M.* instrumentum irrationale *Tr.* rationale *N.* vel *subd.* si gaudet tantum una facultate et functione *Tr.* si gaudet multis facultatibus et functionibus *N.* vel *subd.* nihil agit nisi ex influxu directo vel indirecto causae principalis *Tr.* directo *N.*

---

[12] Cf. Bea p. 62-3.

[13] Etiam magisterium doctrinam Christi exprimit ac definit vocibus et phrasibus synonymis seu aequivalentibus; v.g. in Deo sunt tres Personae.

Schol. *Alia elementa libri*

Praeter sensa et voces, in quolibet libro 4 alia elementa distingui possunt: scopus libri, genus literarium, ordo rerum, forma literaria. Sicut igitur investigavimus num Deus positive ac directe inspiraverit sensa ac voces librorum sacrorum, ita nunc idem quaerimus quoad 4 haec elementa.

Principium generale solutionis autem hoc est: Positive ac directe inspirata sunt ea omnia circa quae *nullus auctor est indifferens*, seu quibus mutatis auctor iure negaret librum esse suum. Quod principium non directe nititur fontibus revelationis (qui fere silent hac de re), sed analysi notionis auctoris. Auctor enim indifferens est quoad quaedam elementa suorum librorum, sed non quoad alia.

His dictis, descendamus ad singula.

1. *Scopus* et totius libri et partium saltem maiorum sine dubio inspiratus est. Nullus enim auctor admitteret librum ut suum cuius finis operis mutatus est sive quoad totum sive quoad partes maiores.

2. Idem dicendum est de *genere literario*. Nullus enim auctor indifferens est utrum liber suus exstet in forma poematis an historiae an epistolae etc.—Idem quoque valet de partibus saltem maioribus, quae pertinere possunt ad genera literaria diversa a genere literario libri qua totius.

Hinc duo sequuntur:

a. Deus est causa principalis cur in Scriptura habeamus historias, epistolas, psalmos etc.

b. Etsi is quem Deus elegit in hagiographum libri determinati generis literarii, iam ex se (sive ex nativa indole sive ob educationem) inclinaverit ad idem genus, tamen Deus eum positive movit ad illud. Habitu enim utimur prout volumus; ergo nisi Deus eum ita movisset, hagiographus esset auctor principalis.[14]

3. Idem dicendum videtur quoad *ordinem rerum*, praesertim quoad *argumenta* quibus confirmantur asserta, praecepta, consilia etc. Potest tamen esse ut scopus libri vel partis talis sit ut auctor non curet mutationem. Neque tuto limites assignari possunt quid in hac re sit positive inspiratum, quid non.[15]

---

[14] Pesch I n. 642; Merk, in IB p. 52.

[15] Franzelin, Trad. p. 352; de San p. 525-6; Dorsch III p. 209-211; Prat, Theol. I p. 34-7; Mazzella, Virt. p. 525-6; Humphrey p. 34-5.

4. *Forma literaria* (lingua, stilus politus vel rudis, modus hebraicus vel graecus scribendi etc.) non videtur deberi Deo tamquam causae principali, sed per se sufficere videtur providentia divina, quae selegit virum huius idiomatis, huius aetatis vel educationis etc.[16]

At dubium non est quin auctor velit ut omnia sint *recte concepta* et *apte expressa*. Ut hac de re certus fiat, auctor, scriptione finita, relegit scripta et dat approbationem antequam liber divulgetur. (Id quod etiam valet de singulis vocibus).[17]

---

[16] Dausch p. 467; Prat, Theol. I p. 292.
[17] Tromp p. 45, 85-6; infra p. 627.

ARTICULUS 3

PSYCHOLOGIA INSPIRATIONIS

1. Uti dictum est (supra p. 591), inspiratio habet triplicem respectum: ad Deum, ad hagiographum, ad librum. Quamquam autem triplicem hunc respectum semper prae oculis habuimus, hucusque locuti sumus de inspiratione activa. Nunc potius agemus de inspiratione *passiva.* Quaeritur enim quid ***hagiographi passi sint*** sub influxu divinae inspirationis.

Nota. Hagiographus hic sumitur *reduplicative,* i.e. quatenus et quamdiu composuit librum "sacrum et canonicum". Neque enim hagiographi hunc influxum experti sunt per totam vitam aut etiam in omnibus suis scriptis componendis.[1]

2. Facilis quidem esset responsio si aliqui ex hagiographis nobis dedisset accuratam analysim psychologicam suae inspirationis, i.e. si descripsisset influxum divinum quem passus est in scriptione libri sacri. At a) vix ullus hagiographus de eo loquitur; b) aliqui saltem non videntur fuisse conscii suae inspirationis; c) talis influxus charismaticus difficile describitur.[2]

Praesto tamen sunt alii fontes: a) ea quae continentur in *Traditione* de influxu inspirativo; b) ipsi *libri* sacri, qui sunt fructus eiusdem influxus; c) *analysis notionum* auctoris principalis eiusque instrumenti rationalis. Atque ex his iam vidimus ad inspirationem non sufficere motionem generalem, assistentiam mere negativam, approbationem subsequentem Dei vel Ecclesiae—sed requiri influxum positivum Dei qui se extendat ad singula sensa.

His suppositis, quaerimus *quid pertineat* et *quid non necessario pertineat* ad influxum inspirativum, ac proinde qualis sit *essentia* (physica et metaphysica) influxus divini quatenus recipitur in hagiographo.

---

[1]Nullo modo nunc quaerimus qui fuerint hagiographi, v.g. num Ioannes Apostolus revera scripserit quartum evangelium.

[2]Oudenrijn p. 163-4.

Thesis 46

Etiam hagiographi erant veri auctores suorum librorum, atque omnia recte conceperunt et apte expresserunt.

Cf. Bea p. 41-2; Dorsch III p. 107-9; van Laak, Rep. p. 55-72; Lusseau p. 55-86; Pesch, Insp. p. 406-410; Tromp p. 55-7, 62-7.

1. *Hagiographus* est is qui sub inspiratione biblica scribit librum, vel (accuratius) is qui scripsit librum "sacrum et canonicum" recensitum in canone Tridentino (vel eius "partem"). Cf. Schol. infra p. 620.

2. *Verus auctor* (literarius) est is qui conscie ac libere a) concipit scribenda, b) vult ea scribere, c) ea actu scribit. Dicimus '*conscie ac libere*', i.e. qui conscius est suarum actionum, et qui potest etiam non agere. Vix dicitur 'auctor' is in quo deest utraque vel alterutra condicio (v.g. si quis scribit 'automatice').

3. *Recte conceperunt*

a. 'Concipere' librum saltem tria dicit: eligere ac determinare a) scopum libri seu finem operis, b) genus literarium, c) (aliquomodo) argumentum et formam literariam.[1]

b. 'Recte', i.e. ita ut totus liber et omnes eius partes congruant eius scopo.

4. *Apte expresserunt*

a. 'Exprimere' est eligere verba, phrases etc. quibus concepta communicentur lectoribus.

Est igitur distinctio inter 'concipere' et 'exprimere'. Utrumque quidem est operatio mentalis. Sed in prima intellectus quasi sibi loquitur seu scribit in tabula mentali, in altera quaerit verba communicativa. Ab utraque differt dictatio vel scriptio actualis.[2]

b. 'Apte', i.e. ita ut verba communicativa congruant rectae conceptioni mentis.

Thesis est *certa et communis*.

Adversarii

1. *Montanistae* (saec. 2) putaverunt hagiographos, dum essent

---

[1] *Amanuensis* non est auctor, quia non concipit scribenda, licet ea velit scribere et actu scribat.

[2] Tromp p. 78, 85-6, 88-9.

sub influxu inspirativo, amisisse usum rationis et conscientiam sui. Eorum theoriam adoptavit Tertullianus, postquam factus est montanista, eamque fere restauravit E. W. Hengstenberg, theologus protestanticus saec. 19.[3]

Nota. Quae inspiratio vocatur *'mantica'*, quia prophetae pagani (μάντεις) ita fere oracula edebant ut usu sensuum et rationis privati proferrent verba parum cohaerentia.—Ab ea differt *'ecstasis' mystica,* in qua homo elevatur ad contemplationem rerum divinarum, elicit actus sublimiores intellectus et voluntatis, atque ideo magis vel minus impeditur in operationibus sensuum.[4]

2. Theoria inspirationis per dictationem verbalem logice negare debet hagiographos fuisse veros auctores (supra p. 606).

3. Fuerunt qui nollent vocare auctorem libri nisi *principalem.* Id fortasse concedi potest ubi duo homines cooperantur in eodem libro componendo (v.g. auctor et stenographa). At hagiographus fuit instrumentum *Dei.* Unde eius relatio ad auctorem principalem alia esse potuit quam ea quae exsistit inter duo homines.[5]

Prima pars probatur

1. *Ex Traditione*

a. *Patres* non tantum reiecerunt inspirationem manticam, sed etiam libros sacros tribuerunt hagiographis tamquam veris auctoribus.[6]

b. Recentes *encyclicae,* praesertim "Providentissimus Deus" et "Spiritus Paraclitus", ea omnia tribuunt hagiographis quae pertinent ad rationem auctoris.[7]

c. *Commissio biblica* saepe refert ad hagiographos ut "auctores" (v.g. D 1997, 1998, 2110, 2117-8, 2148), neque ulla est ratio dicendi eam non sumere vocem sensu proprio.

d. Etiam *theologi* et *fideles* eadem voce utuntur.

2. *Ex testimoniis hagiographorum*

Saltem aliqui hagiographi testantur se *omnia praestitisse* circa suos libros quae pertinent ad rationem auctoris. Sic in L 1, 1-4 et initio Actuum, Lucas loquitur de compositione suorum librorum sicut quivis alius auctor. Auctor 2 Mach testatur se multum

---

[3] Pesch, Insp. p. 19, 56-60; van Laak, Rep. p. 56-9.
[4] Fröbes II p. 470-2; LThK s.v. Mystik.
[5] Pesch, Insp. p. 407; Dorsch III p. 91-3; Vosté p. 68-71; Schultes p. 525.
[6] Tromp p. 56-7.
[7] supra p. 583-4.

laborasse in conficiendo compendio (2 Mach 2, 27-8). S. Paulus scriptionem epistolarum sibi in meritum dedit (Rom 15, 15-7; 2 Cor 7, 8-9; 13, 10). Ioannes Ap. testatur se scribere Apocalypsim ut impleat mandatum divinum (Apoc 1, 11; 19, 9).

3. *Ex ratione theologica*

a. Deus non agit frustra.

Atqui Deus egisset frustra nisi hagiographi fuissent veri auctores; nam ob eorum naturam rationalem Deus eos ita adhibere potuit ut ipsi praestare possent omnia quae pertinent ad rationem auctoris.

b. Uti patet ex eorum testimoniis, aliqui hagiographi erant veri auctores suorum librorum.

Atqui nulla est ratio supponendi hos *differre* ab iis qui non sunt testati similia de se.

Dices 1. Si hagiographi mansissent *liberi* sub inspiratione, ipsi fuissent auctores principales suorum librorum.

R. *N.* Nam Deus eos ita movere potuit ut libere scriberent.

Dices 2. Hagiographi erant *prophetae.* Atqui prophetae non erant sui conscii sub influxu luminis prophetici; nam Scriptura loquitur de eorum ecstasi eosque vocat amentes: Jer 29, 23; Os 9, 7; 4 Reg 9, 11.

R. *Tr.M. N.min.* Ad prob. *Dist.* pseudo-prophetae (Jer 29, 23; Os 9, 7) *Tr.* veri prophetae (4 Reg 9, 11) *N.* vel *subd.* vocantur amentes a Deo vel hagiographo *N.* ab hominibus malis *Tr.*

Cor. 1. Ergo unitas literaria Scripturae, quae debetur unitati auctoris principalis (cf. supra p. 590), non ita premenda est ut neglegatur *diversitas* auctorum humanorum. Neque enim omnes libri sacri scripti sunt ab uno auctore humano.

Cor. 2. Ergo a) Deus est quidem auctor principalis libri sacri, sed non auctor unicus; b) idem est liber Dei et hagiographi; c) verbum Dei scriptum est etiam verbum humanum scriptum. Axiomatice dixit Origenes: *πάντα θεῖα καὶ ἀνθρώπινα πάντα*; et S. Thomas: *"Totum a Deo, totum ab homine".*

Cor. 3. Ergo Deus non est usus hagiographo ut instrumento irrationali, sed *rationali.* Neque definitio instrumenti sensu univoco applicanda est ad hagiographum et calamum.[8]

---

[8]Neque nimis premendae sunt metaphorae quibus Patres comparant hagiographum calamo, organo, tibiis etc. (supra p. 585); alibi enim iidem Patres interpretationem crassam harum metaphorarum excludunt. Cf. Lusseau p. 31, 58, 73.

Secunda pars probatur

1. Id docetur a *Leone XIII* (D 1952 "recte conciperent", "apte exprimerent").

2. *Ex ratione theologica*

Finis inspirationis (operis) est *liber scriptus*. Atqui nisi hagiographus scribenda recte conciperet et apte exprimeret, hic finis frustraretur.

Dices: Multa in Scriptura sunt *obscura*. Ergo vel non erant recte concepta ab hagiographo vel non apte expressa.

R. a) Quid non significent 'recte' et 'apte', cf. infra p. 626. b) Praeter ea quae supra p. 420-1 dicta sunt, Leo XIII indicat duas alias rationes obscuritatis ex parte Dei, scil. ut homines maiore cum studio libros sacros perscrutarentur, et ut omnibus pateat libros sacros traditos esse magisterio et legendos esse sub eius ductu.

Schol. *Hagiographus*

Definitio hagiographi data supra p. 617 in genere sufficit. Pauca tamen addere iuvat.

a. Potest esse ut *nomen* hagiographi sit nobis ignotum. De facto, nescimus quis scripserit librum Tobiae aut 2 libros Machabaeorum.

b. Hagiographus scribere potuit sub *pseudonymo*.[9]

c. Potest liber sacer esse compositus a *pluribus*. Neque enim inspiratio erat influxus divinus unus et simplex, sed multiplex.

d. Aliquae partes librorum sacrorum sunt (certo vel probabiliter) *additamenta*, i.e. non scripta ab hagiographo libri qua talis, sed ab alio. Commissio biblica id supponit quoad Pentateuchum (D 2000); idem probabile est quoad psalmos aliquos, quoad pericopen de muliere adultera in J, quoad "finalem Marci". Nihilominus si haec additamenta sunt "partes" sensu decreti Tridentini, eorum scriptores erant inspirati.[10]

e. *Translatores* librorum sacrorum non sunt hagiographi; neque versiones qua tales per se sunt inspiratae. Id etiam valet de LXX (quidquid senserunt nonnulli Patres), de versione graeca Mt (licet Lagrange et Ruffini aliter sentiant). Neque S. Hieronymus inspiratus fuit cum conficeret Vulgatam latinam.

Aliud utique dicendum est si translator fortasse addidit "partes" (sensu decreti Tridentini).

---

[9] infra p. 646.

[10] Pesch, Insp. p. 404; Ruffini p. 163; Bea p. 71, 83; DA III col. 1914.

Thesis 47

Ad inspirationem non requiritur a) ut hagiographus scribenda didicerit modo praeternaturali, aut b) ut conscius fuerit suae inspirationis, aut c) ut omnia conceperit et expresserit perfecte, aut d) ut librum manu sua scripserit.

Cf. Bea p. 56-8; Dorsch III p. 98-111; Fabbi, in Biblica 1933 p. 330-347; FelderA II p. 291-3; van Laak, Rep. p. 72-7; Pesch, Insp. p. 413-429; Porporato, in Civiltà Catt., Dec. 17, 1938 p. 511-523; Suarez, De Fide, Disp. 8 s. 3-4; Tromp p. 84-5.

Unum notandum: Potest esse ut ea quae dicimus non requiri ad inspirationem, adfuerint in uno vel altero hagiographo. Sed asserimus eum fuisse vere inspiratum *etsi defuerint*.

A. **Modus praeternaturalis discendi scribenda**

1. Hic modus opponitur modo naturali, qui consistit in acquirenda cognitione per 5 fontes enumeratos in Critica. Duplex esse potest in hac vita: per revelationem vel per scientiam infusam. *Revelatio* est locutio Dei attestans; *scientia infusa* sunt species divinitus impressae (absque attestatione originis divinae).

Asserimus hagiographos non necessario acquisivisse cognitionem scribendorum sive per revelationem sive per scientiam infusam (propositio certa).[1]

2. *Probatio*

a. Hanc assertionem *fere omnes Theologi* tenent ut certam. *Patres* eandem supponunt cum indicant fontes naturales unde hagiographi hauserunt vel haurire potuerunt suam cognitionem; v.g. cum dicunt Marcum scripsisse iuxta praedicationem Petri.

b. Si hagiographi scribenda didicissent praeternaturaliter, a) non appellassent ad fontes *naturales* ut sibi facerent fidem, b) non *laborassent* in componendo libro, c) praesertim non scripsissent *dubia* et *approximativa*.

Atqui a) ut sibi facerent fidem, aliqui hagiographi appellaverunt ad fontes naturales unde hauserunt suam cognitionem, b) aliqui testati sunt se multum laborasse in componendo libro, c) aliqui scripserunt dubia et approximativa.

---

[1] Bea p. 46-7.

Ergo non omnes hagiographi acceperunt scribenda praeternaturaliter.

Ad M. ad a) Sua aetate saltem, hagiographi maiorem sibi fidem fecissent appellando ad *revelationem*—sicut clamaverunt prophetae V.T. "Haec dicit Yahwe", vel sicut S. Paulus interdum appellavit ad suas revelationes et visiones.—ad b) Et revelatio et scientia infusa habentur *sine labore*.—ad c) Nulla est ratio cur Deus revelet aut infundat dubia vel mere approximativa.

Prob.min.

ad a) *Lucas* appellat ad testimonium eorum qui "ab initio viderunt" (L 1, 1-4); et in nos-sectionibus Actuum implicite appellat ad experientiam propriam.—*S. Ioannes* appellat ad testimonium suorum sensuum (J 19, 35; 1 J 1, 1-3).—*S. Paulus* appellat ad sensum communem (1 Cor 10, 15 "vos ipsi iudicate quod dico"). —Auctor librorum *Paralipomenon* citat 16 documenta unde suam cognitionem hausit (v.g. 2 Par 9, 29; 12, 15).—Auctor *2 Mach* dicit se voluisse scribere tantum compendium librorum Jasonis (2 Mach 2, 24).

ad b) Auctor *2 Mach* etiam testatur magnum suum laborem in componendo compendio (2 Mach 2, 27). Cf. Eccli 24, 47 "Videte quoniam non solum mihi laboravi".

ad c) *Dubie* interdum loquitur S. Paulus: "ceterum nescio si quem alium baptizaverim (1 Cor 1, 16); "apud vos forsitan manebo vel etiam hiemabo" (1 Cor 16, 6); "sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio" (2 Cor 12, 2).—Multae indicationes temporis vel loci etc. sunt *approximativae*: "fere dies 8" (L 9, 28), i.e. 6 dies, uti patet ex Mt 17, 1 et Mc 9, 1; "Iesus erat incipiens quasi annorum 30" (L 3, 23); "hydriae 6 . . . capientes singulae metretas binas vel ternas" (J 2, 6); "fere 120" (Act 1, 15); "post aliquot dies" (Act 15, 36) etc.

c. *Superflua* fuisset revelatio vel scientia infusa saltem in duobus casibus: a) ubi hagiographus fuerat testis immediatus scribendorum (v.g. Lucas in nos-sectionibus Actuum), praesertim ubi testatur affectus suos praesentes (supra p. 605); b) ubi hagiographus scripsit inspirata per accidens.

Nota. Sicut quivis auctor humanus, ita hagiographus cognitionem scribendorum haurire potuit sive ex *traditionibus oralibus* (etiam mediatis) sive ex *documentis scriptis* (sacris vel profanis, etiam paganis). Neque enim omnia scribere debuit ex memoria.[2]

---

[2]D 1999; Bea p. 47-9; Tromp p. 79; DA I col. 801.

B. **Conscientia inspirationis**

1. Per eam intellegimus cognitionem *immediatam* comitantem ipsum influxum inspirativum (v.g. sicut nobis conscii sumus doloris).

Asserimus hagiographum potuisse esse inspiratum etsi non fuerit conscius suae inspirationis (propositio *multo probabilior*).

2. *Opiniones*

a. Contrariam opinionem tenent Lagrange et Zarb (scil. ob suam theoriam de criterio inspirationis).[3]

b. P. Tromp (p. 85) praefert exercere artem nesciendi.

c. Suarez (De Fide, Disp. 5 s. 3 n. 15) vocat quaestionem "curiosam", quam non invenit disputatam ab auctoribus; eam breviter absolvit dicendo sententiam quae ponat conscientiam inspirationis in hagiographo, sibi videri securiorem. Alibi tamen (Disp. 8 s. 4 n. 6) favet nostrae opinioni.[4]

3. *Probatio*

a. Ex iis quae *aliqui* hagiographi dicunt, licite videmur *inferre* eos non fuisse conscios suae inspirationis; v.g. Lucas in L 1, 3 "visum est et mihi"; auctor 2 Mach in 15, 39 "sin autem minus digne, concedendum est mihi"; S. Paulus in 1 Cor 10, 15 "vos ipsi iudicate".

In contrarium citantur: Exod 17, 14 et 34, 27; Hab 2, 2-3; Jer 36. Sed a) in his locis non agitur de conscientia inspirationis, sed de mandato divino scribendi ea quae aliunde cognita erant (supra p. 587). b) Etsi hi conscii fuerint suae inspirationis, inde non sequitur omnes fuisse aut debuisse esse conscios suae inspirationis.

b. Inspiratio est *gratia* (gratis data). Atqui gratiae per se homo non est conscius.[5]

Cor. 1. Ergo ponimus discrimen inter *prophetam sensu stricto* et hagiographum. Secundum S. Thomam (II, II qu. 171-4), elementum essentiale prophetae est "lumen propheticum", quo propheta a) divinitus iudicat de aliqua re, et b) divinitus certus fit se ita iudicare; nam propheta rem aliis annuntiare debet ut divinam. Hagiographus autem per se non debet aliis annuntiare suum librum esse divinitus scriptum.

---

[3] Bea p. 57-8.
[4] Franzelin, Trad. p. 358-9; Pesch, Insp. p. 427-9; Bea p. 57-8.
[5] Lange p. 370-1, 490.

Ergo hagiographum potius dicimus *prophetam sensu lato.*[6]

Cor. 2. Quamvis omnis Scriptura sit revelatio (supra p. 590), haec revelatio fit quidem *per* hagiographum, sed non necessario *ipsi hagiographo.*

C. **Imperfectiones**

1. Imperfectio potest esse *negativa* (quae non est proprie defectus) vel *privativa* (quae est defectus, saltem sub aliquo respectu).

Asserimus adesse in Scriptura imperfectiones negativas (*certa*), et privativas, saltem in forma literaria (*probabilis*).

2. Adversatur *schola alexandrina* (praesertim Origenes), quae exaggeravit elementum divinum Scripturae.[7] Etiam inter Protestantes "the Purists held that in the Bible there are neither barbarisms nor solecisms; that the Greek of the N.T. is as pure as that of the classical authors" (Durand, in CE s.v. Inspiration p. 48).[8]

3. *Probatio*

a. Libri sacri scripti sunt *modo humano,* non divino aut angelico. Id quidem a priori exspectandum est; secus enim a) Deus non intellegeretur a nobis et frustra fuisset Dei scriptio, b) neque fuisset ratio cur Deus eligeret hominem ad scribendum, non angelum.

Pulchre haec exponuntur a S. Chrysostomo: Deus "ita loquitur ut in crassiorum cadat intellegentiam. Nam nos quoque, quando loquimur cum barbaris, illorum lingua utimur. Et si cum puero loquimur, cum eo balbutimus; et quamvis sapientissimi simus, ad humilitatem illius descendimus. Neque tantum in verbis id facimus, sed etiam in actionibus. Nonne manus mordemus et iram simulamus ut infantem corrigamus? Ita etiam Deus crassiores afficere volens, talibus verbis usus est. Non enim pro sua dignitate loqui studuit, sed *pro audientium utilitate*" (In Ps 6, 2).—S. Augustinus sic redarguit Faustum qui obiecerat divergentias evangeliorum: "Quid ergo? Cum legimus (Scripturam), obliviscimur quomodo loqui soleamus? An Scriptura Dei aliter nobiscum fuerat quam *nostro modo* locutura?" (Contra Faustum 33, 7).—

---

[6]Merk, in IB p. 44-5; Schultes p. 529-531; Tromp p. 82; Oudenrijn p. 163-170.

[7]Merk p. 270; Höpfl, Insp. p. 228.

[8]BN p. 1037-1040.

Tandem S. Thomas hoc principium statuit: "Deus omnibus providet secundum quod competit *eorum naturae*" (I qu. 1 a. 9). Quod principium etiam valet in oeconomia praeternaturali.

b. Non omnes libri sacri pertinent ad idem *genus literarium*, neque est genus proprium Scripturae. Sed sicut in bibliotheca profana, alii libri sacri sunt historici, alii poetici, alii didactici etc.; atque apud peritos hodie constat etymologiam, grammaticam, syntacticam librorum sacrorum non esse per se aliquid distinctivum et proprium.[9]

Nota. Anthropomorphitae olim putaverunt Scripturam non posse continere *metaphoras*. Male omnino. Sicut alii auctores humani, ita hagiographi scribere poterant metaphorice, rhetorice, hyperbolice etc.; neque talia interpretanda sunt mathematice aut philosophice.[10]

c. Genera literaria diversimode concipiuntur et exprimuntur apud diversas nationes, in diversis culturis vel aetatibus etc. Cogita diversos modos scribendi epistolas, poemata lyrica vel epica, historiam etc. A priori igitur exspectandum est hagiographos iis modis usos esse qui communes erant *suae aetati, nationi etc.*[11]

d. Neque singuli hagiographi scripserunt modo generico vel uniformi, sed *stilo personali*. Sic diversitas inter synopticos, ubi fere easdem res narrant, debetur diversae eorum indoli.—Porro, sicut indoles personalis ("personalitas"), ita stilus non manet idem per totam vitam. Unde si plura opera eiusdem hagiographi exstant diversa aetate scripta, a priori exspectandum est ea *differre* stilo et lingua.[12]

e. Per *defectus literarios* intellegimus expressiones vagas, ambiguas, obscuras etc., minus elegantes (barbarismos, soloecismos), ellipses et anacolutha etc.

Atqui leguntur talia in Scriptura. Sic S. Paulus ipse se vocat "imperitum sermone" (2 Cor 11, 6); atque exegetae omnes, antiqui aeque ac recentes, fatentur interpretationem epistolarum paulinarum ob talia esse admodum difficilem. Auctor 2 Mach (15, 39) concedit se scripsisse "minus digne". A peritis Apocalypsis S.

---

[9]Deissmann, The Philology of the Greek Bible.

[10]S. Thomas I qu. 1 a. 9 "Utrum S. Scriptura debeat uti metaphoris"? Fabbi, in Biblica 1933 p. 334-6; Knabenbauer, Mt II p. 324.

[11]A posteriori id ostenditur quoad V.T. a Ch.-F. Jean, La Bible et les récits babyloniens (1933); nuper confirmatum est tabulis Ras Shamra (cf. E. Vogt, in VD 1937 p. 153-9). Cf. Merk, in IB p. 87-8; Höpfl, Insp. p. 159, 174-7.

[12]Suarez, De Fide, Disp. 5 s. 3; Fabbi l.c. p. 338; Lusseau p. 65-6; Höpfl, Insp. p. 176-7; Prat, J.-Chr. I p. 28-37; idem, Theol. I p. 68-71; II p. 3.

Ioannis dicitur scatere barbarismis, soloecismis, anacoluthis etc.; unde S. Hieronymus ait: "Apocalypsis S. Ioannis tot habet sacramenta quot verba".[13]

Cor. Ergo voces 'recte' et 'apte' in thesi 46 non nimis rigide intellegendae sunt. Qua de re duo sunt notanda:

a. Licet *argumenta* (exempla, illustrationes etc.) 'recte' concepta sint, id non vult dicere ea semper esse metaphysica aut universaliter valida. Potest hagiographus adhibere argumentum quodlibet, etiam probabile tantum. Potest etiam uti modo arguendi tunc usuali.[14]—Similiter cum hagiographus hortatur ad virtutem, non debuit proponere *motiva* altissima. Sic S. Paulus Corinthiis proponit exemplum Macedoniae (2 Cor 8, 1-15). De quo loco dicit S. Chrysostomus: "Par erat ut Corinthii moverentur Domini exemplo ac spe praemii; sed cum essent imbecilliores, Paulus hac ratione eos allexit. Nihil enim tam efficax quam zelus" (Hom 19 in 2 Cor).

b. Vox *'apte'* a) non vult dicere 'scientifice' aut 'mathematice' aut 'philosophice'; multa enim in libris sacris scripta sunt sermone ordinario. Neque b) vult dicere 'secundum gustum hodiernum'; libri sacri enim primarie scripti sunt coaevis hagiographorum. Neque c) vult dicere 'perfecte' aut 'optime' aut 'aptissime'; dantur enim defectus literarii.

D. **Amanuensis hagiographi**

Hagiographus non debuit librum scribere manu sua, sed potuit adhibere amanuensem, et aliqui hagiographi de facto eo usi sunt (propositio *certa*). Probatur:

a. *Commissio biblica* id supponit quoad Moysen (D 1998).

b. Idem patet ex lectione *Scripturae*. a) S. Paulus generatim non scripsit epistolas manu sua, sed eas dictavit;[15] ubi ipse epistolam scripsit, id explicite adnotavit; v.g. Philm 19; Gal 6, 11. b) S. Petrus primam suam epistolam scripsit per Silvanum (1 Petr 5, 12).

c. Idem patet *ex ratione*. Nam ex usu communi, etiam is scribit qui per alium scribit. Atque mos scribendi ope amanuensis olim valde communis erat.

---

[13] Merk p. 786-7, 817; Dorsch III p. 127; Ruffini p. 368; Allo p. cxix-cliv.

[14] Vosté p. 123; Dorsch III p. 192; DA II col. 1548; Bonsirven, in Nouvelle Revue Théol. 1938 p. 129-147.

[15] Interdum in fine addidit unam vel alteram sententiam manu sua scriptam; cf. Rom 16, 22; 1 Cor 16, 21; Col 4, 18; 2 Thess 3, 17.

Schol. *Indoles amanuensis*

Quoad amanuensem duae aliae quaestiones oriuntur.

a. Duplex est classis amanuensium: a) is cui auctor principalis dictat scribenda *ad verbum,* ita ut ex se perficiat meram scriptionem materialem; b) is cui auctor exponit quidem scribenda *ad sensum* (magis vel minus particularem), ita tamen ut amanuensis ea scribat suo stilo, lingua etc. Quaeritur ergo num hagiographus uti potuerit utrolibet amanuensi?

Etiam ad hanc quaestionem responsum videtur esse *certum*: Hagiographus potuit dictare scribenda sive ad verbum sive tantum ad sensum. Etenim a) dictationem ad sensum tantum admittit *Commissio biblica* pro aliquibus libris sacris (D 1998, 2177-8). b) *S. Paulus* videtur generatim dictasse suas epistolas ad verbum. Aliud autem dicendum est de *Hebr*; puritas linguae, elegantia ac perfectio stili non videntur esse S. Pauli, sed amanuensis. Similis distinctio facienda videtur inter 1 et 2 Petr, inter Apoc et J.[16]

b. Inde tamen oritur quaestio: Num etiam amanuensis fuit *inspiratus?*

Pauci theologi qui tenent inspirationem verbalem (Prado, Bover, Vosté), tribuunt amanuensi inspirationem *"secundariam"*. Lusseau (p. 174-5) distinguit: Si dictatio fit *ad verbum,* amanuensis non est inspiratus; quodsi dictatio fit *ad sensum tantum,* etiam amanuensis inspiratus esse debet; nam est verus auctor libri.

At communior sententia theologorum iure negat inspirationem utriusque. Etenim a) in D 1998 *Commissio biblica* non supponit amanuensem Moysis fuisse inspiratum, quamvis dictatio facta sit ad sensum tantum. b) Inspiratio amanuensis *caret fundamento theologico,* i.e. neque continetur in fontibus revelationis neque ex eis deducitur. c) Valde dubitatur num inspiratio se extendat ad *formam literariam* (supra p. 615).

Utique a) si amanuensis addidit "partem" quasi independenter ab auctore, quoad hanc postulanda est inspiratio (D 2000). Porro b) antequam liber scriptus ope amanuensis vulgaretur, hagiographus eum approbare debuit (D 1998). Qua approbatione hagiographus suam fecit formam literariam (redactionem etc.)—non quod conceptus sui necessario sic exprimendi fuerint, sed quod *apte* sic exprimantur.

---

[16]Merk p. 914, 916, 945; G. Milligan, p. 38-47.

Thesis 48

Inspiratio hagiographi formaliter consistit in divina illustratione intellectus, motione voluntatis, assistentia tali ut hagiographus a) recte mente concipiat ut scribenda ea omnia ac sola quae Deus scribi decrevit, b) efficaciter velit eadem scribere, c) ea actu scribat.

Cf. Bea p. 37-71; Billot, Insp. p. 51-6; Dorsch III p. 85-141; Durand, in CE s.v. Inspiration; FelderA II p. 287-295; Franzelin, Trad. p. 340-360; de Groot p. 651-662; Höpfl, Insp. p. 22-9; van Laak, Rep. p. 77-93; Lercher I p. 587-595; Muncunill III p. 21-35; van Noort, Font. p. 35-46; Pesch I n. 434-440; idem, Insp. p. 402-439; de San p. 224-256; Schultes p. 529-534; Tanquerey I p. 763-8; Tromp p. 73-7.

Quaeritur quem influxum *hagiographus* passus sit cum Deus eo uteretur ad scribendum librum sacrum.

Nulla quidem esset difficultas specialis si hagiographus fuisset merus calamus in manu Dei. At certum est a) hagiographum mansisse instrumentum *rationale* etiam sub influxu inspirativo, b) Deum eum movisse ad scribendum *qua rationalem.* Atqui instrumentum rationale differt ab aliis instrumentis proxime per suas facultates vitales et functiones. Ergo influxus inspirativus proxime affecit has.

Unde quaestio nostra haec est: a) *Quae* sunt facultates, functiones, actiones vitales hagiographi quas Deus movere debuit? b) *Quomodo* Deus eas movit?

Dicitur autem in thesi *'formaliter'*, scil. ut influxus inspirativus distinguatur a) a condicionibus quae fortasse praerequiruntur in hagiographo (v.g. praeparatio, acquisitio cognitionis), b) a fine operantis (v.g. canonicitas), c) a consectariis vel effectibus inspirationis (v.g. in lectoribus libri).

Thesis est saltem *certa et communis;* uti autem patebit ex probatione, potest etiam dici *theologice certa.*[1]

Thesis probatur

1. *Ex documentis magisterii*

Thesis nostra nihil aliud est quam doctrina Leonis XIII et Benedicti XV (supra p. 583-4) modo scholastico expressa.

[1]Muncunill III p. 26; de San p. 244; Tromp p. 73.

2. *Ex ratione theologica*[2]

Inspiratio biblica est talis influxus Dei in hagiographum ut Deus sit ***auctor principalis*** libri, hagiographus autem, licet *instrumentum* Dei, sit tamen ***verus auctor*** eiusdem libri.

Atqui talis est triplex influxus quem enuntiat thesis.

Ergo inspiratio biblica consistit in hoc triplici influxu.

Prob.min.

a. Tria elementa pertinent ad formalem rationem auctoris: a) Duo iudicia intellectus, scil. *iudicium theoreticum* (speculativum) quo concipiuntur omnia et sola scribenda, atque etiam modus scribendi (finis operis, genus literarium, ordo rerum etc.), et *iudicium practicum,* quo auctor sibi dicit: "Haec sunt scribenda et quidem hoc modo".[3] b) *Volitio efficax,* qua auctor sibi imperat et compositionem libri et actualem scriptionem. c) *Actualis scriptio,* quae fit vel per facultates exsecutivas (vim motricem, musculos, nervos etc.) vel dictando (ad verbum vel ad sensum).

Aliis verbis, ut quis sit auctor libri, debet a) elicere iudicium theoreticum et practicum de rebus scribendis et de modo eas scribendi, b) efficaciter velle eadem scribere et quidem eodem modo quo eas concepit, c) actu scribere.

b. Ut autem inter duo auctores eiusdem libri habeatur relatio causae principalis et instrumenti rationalis, debet a) auctor principalis *prius* elicere iudicium theoreticum et practicum atque volitionem efficacem, ac *dein* b) movere auctorem secundarium ut eliciat eosdem actus internos. Atqui Deus est auctor principalis libri sacri, hagiographus eius instrumentum rationale. Ergo debuit Deus, postquam elicuit iudicium theoreticum et practicum atque volitionem efficacem, excitare ac movere hagiographum a) ad idem iudicium theoreticum et practicum ("illustratio intellectus"), b) ad eandem volitionem efficacem ("motio voluntatis").

c. Hic influxus sufficeret si hagiographus esset instrumentum perfectum. Sed hagiographus est *instrumentum imperfectum*; nam potuit a) scribenda minus recte concipere vel minus apte exprimere, b) quaedam addere ex suo penu vel omittere ex incuria, c) non scribere actu. Debuit igitur Deus ei *continenter assistere*

---

[2]Quae partim indicatur in D 1952 "secus. . . "

[3]Bea p. 52-3; Merk, in IB p. 51-2; Tromp p. 80-1.

a) ut omnia recte conciperet et apte exprimeret, b) nihil adderet aut omitteret, c) actu scriberet.

Schol. 1

Diversitas influxus divini

Non est putandum actiones hagiographi in concreto sibi semper successisse sicut hic enumerantur; potuerunt esse *permixtae* in infinita varietate. Atque eadem successio actionum considerari potest quoad totum librum, quoad quamlibet eius partem (maiorem vel minorem), quoad singula sensa vel etiam voces.

Accuratius autem quaerunt theologi *qualis* fuerit influxus Dei in hagiographum. Cui quaestioni ut respondeamus, repetemus primo quaedam generalia ex Ontologia, dein ea applicabimus inspirationi.

1. *Influxus multiplex*

a. Generatim loquendo, influxus potest esse unus vel multiplex, prout tantum semel exercetur vel saepius repetitur; et si est multiplex, potest esse essentialiter idem vel diversus.

Haec valent de influxu *positivo*. Influxus *negativus* est essentialiter idem, sive tantum semel exercetur sive repetitur.

b. Influxus physicus et moralis

Influxus *physicus* adest si causa producit effectum actione sua physica (v.g. cum moveo pennam).—Qui iterum est *directus* vel *indirectus*, prout actio causae immediate attingit effectum vel non. Sic cum scribo, immediate produco motionem pennae, mediate literas.

Influxus *moralis* est externus vel internus. *Externus* est ille quem una persona exercet in aliam, non actione sua physica, sed imperio, consilio, precibus, minis etc.; *internus* (qui etiam dicitur physiologicus vel psychologicus) est mutuus influxus inter varias facultates eiusdem personae (v.g. cum voluntas movet manum); generatim explicatur per "sympathiam" quandam.

2. *Applicatio*

Accuratius igitur quaerunt theologi qualis fuerit influxus Dei in singulas facultates et actiones hagiographi: utrum unus an multiplex, physicus an moralis, directus an indirectus?

Brevitur respondeamus sub quadruplici capite.

a. *In genere*

Imprimis influxus divinus *multiplex* esse debuit. Nam a) non

dabatur semel pro semper, sed variis *temporibus* repetebatur (v.g. cessavit cum hagiographus dormiret); b) alius erat influxus pro intellectu, alius pro voluntate; hae duae facultates enim non eodem modo moventur; c) erat valde generalis, magis particularis, respiciens unam partem vel sententiam; nam iudicium intellectus et volitio sic diversificabatur (v.g. scribam historiam, sequar hunc ordinem, probabo hoc, addam haec etc.).

Influxus *negativus* autem durare debuit per totum tempus compositionis et scriptionis usque ad approbationem finalem.

b. *Illustratio intellectus*

Influxus divinus in iudicium theoreticum et practicum hagiographi erat *physicus*. Nam a) duo *documenta magisterii* citata hunc influxum describunt vocibus "excitare" et "movere"; atqui hae voces generatim indicant influxum physicum. b) Si hic influxus fuisset mere moralis, hagiographi necessario fuissent eius *conscii*; fuisset enim externus; atqui saltem aliqui hagiographi non videntur fuisse conscii suae inspirationis.

Idem influxus debuit esse *directus*. Nam influxus indirectus (sive physicus sive moralis) vix esset ita determinatus ut se extenderet usque ad singula sensa scribenda; atqui inspiratio positiva se ad haec extendit. Sed ut moveantur memoria, phantasia, cerebrum etc. quae etiam requiruntur ad compositionem libri, sufficere videtur influxus *indirectus*.[4]

c. *Motio voluntatis*

Disputant theologi utrum influxus divinus in voluntatem hagiographi sit etiam physicus et directus (sicut in intellectum) an tantum moralis.

Influxus *moralis internus* certo iam adest ex iudicio practico; per hoc enim ("scribendum est") scriptio proponitur voluntati ut conveniens seu bonum.—Etiam influxus *moralis externus* interdum aderat; v.g. per mandatum divinum (cf. locos V.T. citatos supra p. 587) vel per ministerium angeli (Apoc 19, 9) vel per preces amicorum (v.g. in casu Marci, qui scripsisse dicitur rogatus ab amicis).

---

[4]Disputant theologi a) utrum illustratio se habeat ex parte subiecti an obiecti an utriusque, b) quae sit eius natura—eodem modo atque in quaestione de gratia actuali.

Sufficere talem influxum indirectum Dei, putant aliqui.[5] Qui tamen addunt eum esse talem ut *semper* sequatur volitio efficax ex parte hagiographi.

Communius tamen theologi postulant influxum *physicum directum* etiam in voluntatem. Secus enim hagiographus ipse se ultimatim determinasset ad scribendum et esset causa principalis libri.[6]

Nota. Cum hagiographus certo manserit *liber* sub influxu inspirativo, quaeres quomodo haec opinio conciliet influxum physicum divinum cum *libertate?* Sed videtur haec esse generalis difficultas conciliandi gratiam *efficacem* cum libertate humana. Unde eam transmittimus ad tractatum de Gratia.

d. *Actualis scriptio*

Influxus Dei in facultates exsecutivas hagiographi videtur fuisse *indirectus,* scil. per intellectum et voluntatem (contra Schultes p. 533)—idque sive hagiographus scripsit manu sua sive usus est amanuensi. Accedere autem debuit *assistentia* per se negativa, qua facultates sive hagiographi sive amanuensis servarentur ab errore, additione, omissione, ineptitudine etc.[7]

Schol. 2

Essentia metaphysica inspirationis

Hucusque locuti sumus de essentia physica inspirationis passivae; indicavimus enim partes *realiter distinctas* (intellectum, voluntatem etc.) hagiographi et influxum divinum quem unaquaeque sub inspiratione passa est. E contra, essentia metaphysica explicat genus et differentiam, quae sunt tantum *ratione distincta.* Quaeritur ergo quae sit essentia (seu definitio) metaphysica inspirationis biblicae. Seu quaeritur quae notio sit *logice prior* ita ut aliae ex ea inferri et deduci possint.

Atque 4 sunt opiniones:

a. Propter modum loquendi Patrum et Conciliorum (Trid., Vat.), aliqui posuerunt *'dictationem divinam'* ut notionem fundamentalem inspirationis biblicae, et ex ea deduxerunt cetera praedicata.

b. Card. Franzelin posuit notionem *'auctoris'* *(principalis)*

---

[5]Dorsch III p. 113-5; Lercher I p. 589, 590; FelderA II p. 293; Merk, in IB p. 53.

[6]Bea p. 69; Höpfl, Insp. p. 27; van Laak, Rep. p. 87-8; Lusseau p. 147-156; Pesch, Insp. p. 433; Tromp p. 83-4; van Noort, Font. p. 45.

[7]Tromp p. 96; Prado p. 27; van Laak, Rep. p. 91-2.

tamquam logice primam. Quia igitur Deus est auctor principalis Scripturae, ideo dicitur eam dictasse vel inspirasse.

c. E contra, Zanecchia putavit notionem *'inspirationis'* esse logice primam.

d. Tandem ut evitaret controversiam inter Franzelin et Zanecchia, F. Prat proposuit notionem *'verbi Dei scripti'* tamquam essentiam metaphysicam inspirationis.

Duo dicenda videntur:

a. Singulae notiones, si nude et quasi *in abstracto* sumuntur, sunt ambiguae neque exprimunt omnia quae continentur in notione completa inspirationis; singulae enim tantum *unum aspectum* rei efferunt.

Sane a) *dictatio* est notio nimis vaga; nam dictatio facile intellegitur mechanica (qualis certo non fuit inspiratio biblica), atque in D 783 et 1787 etiam traditiones 'orales' dicuntur dictatae a Spiritu s. b) Si Deus dicitur *auctor* (literarius), omittitur auctor secundarius, scil. hagiographus; atque etsi additur vox 'principalis', nondum patet quale instrumentum hagiographus fuerit in manu Dei: rationale an irrationale. c) Si Deus dicitur *inspirator,* patet quidem eum scripsisse per hagiographum tamquam instrumentum rationale, sed minus clarum est inspirationem se extendisse usque ad singula sensa; immo 'inspirare' generatim dicit influxum valde generalem. d) Si tandem Scriptura dicitur *verbum Dei scriptum,* effertur quidem scriptio divina libri sacri, sed neglegitur instrumentalitas hagiographi.

Dices: Conc. Florent. (D 706) et Vat. (D 1787) *deducunt* conceptum auctoris ex conceptu inspirationis ("quoniam", "quia"). Ergo conceptus inspirationis est logice prior.

R. 1. *N.supp.* Neutrum Concilium voluit dare explicationem philosophicam inspirationis.

R. 2. *Dist.ant.* pro ordine intentionis *N.* exsecutionis *C.* Scil. esse auctorem librorum sacrorum, logice sequitur inspirationem activam; sed in ordine intentionis, Deus prius voluit esse auctor, dein elegit inspirationem tamquam medium ad finem.

b. Potius dicamus: Cum notiones illae se invicem compleant et explicent, *simul sumendae* sunt—idque non in abstracto, sed *in concreto,* i.e. simul inspiciendo ipsos libros sacros, ne oriatur exaggeratio unius vel alterius elementi.

Unde haec sit definitio metaphysica a) inspirationis *activae*: Deus auctor (genus) per talem influxum in hagiographum ut totus liber sit verbum scriptum Dei et hagiographi (differentia speci-

fica); b) inspirationis *passivae*: talis influxus divinus (genus) ut ob eum totus liber sit verbum scriptum Dei et hagiographi (differentia specifica); c) inspirationis *terminativae*: verbum scriptum (genus) Dei et hagiographi (differentia specifica).[8]

---

[8]Pesch, Insp. p. 305-313; Dorsch III p. 119-121; Lusseau p. 39-53; Bea p. 23-4; Tromp p. 33, 58, 99, 102; Bainvel, Script. p. 118-121; DThC VII col. 2162-2174; van Laak, Rep. p. 43.

ARTICULUS 4

INERRANTIA S. SCRIPTURAE

Thesis 49

Quidquid asseritur ab hagiographo, et quidem eo sensu eaque modalitate qua ab eo intenditur et exprimitur, necessario verum est.

Cf. Bainvel, Script. p. 144-158; Bea p. 82-97; Billot, Insp. p. 111-132; DA s.v. Inerrance biblique; Dorsch III p. 283-323; Fonck, Kampf etc. p. 3-85; Goebel p. 461-4; Höpfl, Insp. p. 40-44; van Laak, Rep. p. 38-45; Lusseau p. 189-207; Mangenot, in DThC VII col. 2207-2266; Merk p. 972-6; idem, in IB p. 78-88; Muncunill III p. 56-75; Pesch, Insp. p. 489-501; Prado p. 36-42; Schultes p. 543-7; Tanquerey I p. 776-8; Vosté p. 106-111.

Sicut art. 1 et 2 praecipue egimus de inspiratione activa, dein art. 3 de inspiratione passiva—ita nunc potius agimus de inspiratione *terminative* sumpta, i.e. de libris quos Deus scripsit per hagiographum. Loquimur autem primarie de autographis, secundarie de apographis et versionibus quae et quatenus sunt conformes autographis.

1. *Assertum* (assertio) est oratio completa qua aliquid dicitur esse vel non esse (*affirmatio* vel *negatio*); actus mentis autem qui respondet asserto, dicitur *'iudicium'*.

Tria notanda:

a. Subiectum huius thesis igitur *minus late* patet quam subiectum thesis 43; ibi enim locuti sumus de sensis seu sententiis, qui est terminus maxime generalis.

b. Loquimur de assertis *hagiographi* ipsius. Non nunc tangimus quaestionem de iis assertis quae hagiographus forte citavit.

c. Loquimur de *omnibus* assertis hagiographi, sive sunt explicita sive implicita (D 2179, 2180), sive sunt obiter dicta sive ex professo docent.

2. Dicimus 'eo *sensu* quo ab hagiographo intenditur et exprimitur'. Loquimur igitur de sensu genuino assertorum hagiographi, et quidem de sensu *subiectivo* ("intenditur") et *obiectivo* ("exprimitur"). Licet autem sensus genuinus (verus, realis) sit

primarie sensus subiectivus auctoris, incipimus a sensu *obiectivo* assertorum hagiographi; de hoc enim quaestio veritatis proxime movetur.

Non autem dicimus 'eo *tantum* sensu'. Nam auctor principalis Scripturae est Deus. Atqui Deus *plura* (vel etiam *alia*) intendere potuit verbis inspiratis quam hagiographus. Sic potest esse ut hagiographus ignoraverit a) sensum typicum, b) sensum pleniorem, c) alium sensum "literalem" (si datur).

Potius igitur dicimus 'eo *saltem* sensu'.[1]

3. Dicimus 'ea *modalitate* qua ab hagiographo intenditur et exprimitur'. Potest enim aliquid asseri multipliciter: categorice vel hypothetice, distincte vel confuse, exacte vel approximative; tandem aliquid asseri potest pro certo vel dubie vel opinative. Includimus omnes has modalitates.[2]

Iterum autem non dicimus 'ea *tantum* modalitate'; cognitio Dei enim melior esse potuit.

4. *Necessario verum*

a. Agitur de veritate *sermonis* (utique scripti). Quae duplex esse potest: a) veritas *moralis,* quae est conformitas eius cum mente loquentis (seu scribentis); opponitur mendacio; b) veritas *logica,* quae est conformitas eius cum realitate; opponitur errori.

Thesis agit de utraque, sed praecipue de veritate logica.

b. Dicimus asserta hagiographi esse non tantum de facto vera, sed de iure seu *necessario,* idque necessitate *metaphysica.* Hinc implicite dicimus metaphysice repugnare ut hagiographus erraverit aut mentitus sit. Non autem dicimus in thesi hagiographum, dum scriberet, necessario fuisse metaphysice certum; non enim necessario conscius fuit suae inspirationis, ex qua derivamus eius inerrantiam.

Adversarii

1. Iam medio saec. 2, *Marcion* scripsit librum Ἀντιθέσεις ut probaret contradictionem radicalem inter V.T. et N.T., magis particulariter inter Deum V.T. et Deum N.T. *Apelles,* eius discipu-

---

[1]Disputari potest ac saepe disputatur (etiam inter exegetas catholicos) qui sit sensus genuinus alicuius loci Scripturae. Quae disputatio per se non solvitur ex hac thesi, sed ex principiis hermeneuticae. Supponimus nunc sensum genuinum loci esse notum.

[2]Modalitas non est modus quo dicitur, sed pertinet ad *id quod* dicitur; modificat enim ipsum assertum; cf. propositiones modales in Logica.

lus, scripsit librum Συλλογισμοί ut probaret Pentateuchum scatere erroribus ac proinde non posse esse divinum. Eos postea imitatus est *Porphyrius* in suo libro Κατὰ Χριστιανῶν.[3]

2. *Protestantes* veteres (aeque ac Catholici) laudaverunt inerrantiam absolutam Scripturae.[4] Post Erasmum autem multi (aliter ac Catholici) eam reliquerunt.

3. Inde a saec. 17, *deistae* et *rationalistae* congesserunt numerum ingentem obiectionum, ita ut Briggs diceret: "All departments of Biblical Criticism lead us to errors in the Holy Scriptures" (Study of Holy Scripture p. 634; cf. p. 609).

Scil. a) *scientistae* naturales (astronomi, geologi etc.) damnaverunt plurima asserta Scripturae ut evidentur falsa, atque declaraverunt bellum inter "scientiam" et religionem. b) *Mathematici* quidam (v.g. Colenso) dixerunt numeros plurimos Scripturae esse evidenter falsos. c) *Historici,* ob documenta recens inventa, audacter negabant ea quae leguntur in V.T., praesertim in Pentateucho. d) *"Critici altiores"* vocabant fabulas, mythos etc. ea quae in V.T. narrantur de creatione mundi, de diluvio etc., et praeternaturalia quae evangelia narrant de Iesu.[5]

Speciatim deistae et rationalistae negaverunt veritatem *miraculorum* et *prophetiarum,* illi ob rationes philosophicas, hi ob rationes historicas. Unde iam dicit Garstang: "People trained to scientific thought today are not disposed to believe in the possibility of any phenomenon which defies the laws of human experience" (Foundations of Bible History p. 136).[6]

4. Ante encycl. "Prov. Deus" (1893), aliqui *Catholici* distinxerunt inter res fidei et res profanas, vel inter id quod hagiographus docet, et id quod simpliciter asserit vel narrat, vel inter elementum primarium et secundarium Scripturae—atque concesserunt errores esse posse in his, non in illis.[7] Speciatim *Card. Newman* putavit 'obiter dicta' non esse inspirata ac proinde posse esse falsa.

---

[3]HE II p. 28-30, 220-3; III p. 195.

[4]McGiffert, Prot. Thought p. 147.

[5]Hogan, Clerical Studies p. 465-470; Höpfl, Insp. p. 80-1; Steinmüller p. 1-4.

[6]Pinard II p. 86-8; J. Orr, The Problem of the O.T. p. 10-5; idem, The Resurrection of Jesus p. 14-7.

[7]Höpfl, Insp. p. 60, 63; Hogan l.c. p. 471-481.

5. *Modernistae* (v.g. Loisy) tribuerunt Scripturae veritatem *relativam* (validam pro aevo in quo scripti sunt libri sacri), non absolutam.

Thesis est *de fide divina.* Licet nondum sit definita, Comm. biblica eam simpliciter vocat *"dogma catholicum"* (D 2180), scil. quia evidenter continetur in praedicatione universali et ordinario ut revelata.[8]

THESIS PROBATUR

Arg. 1. *Ex documentis magisterii*

Cum primis saeculis nemo Catholicus putaret Scripturam posse continere errorem, desunt documenta magisterii quibus inculcetur eius inerrantia.

Ex medio aevo autem exstant 3 documenta. a) *Ioannes XXII* damnavit opinionem eorum qui dixerant Christum nihil possedisse, ideo quia "Scripturae contradicit expresse" (D 494). b) *Benedictus XII* ideo reiecit aliquam doctrinam Armenorum quia supposuit "Scripturam Geneseos quoad hoc esse falsam" (EB n. 30). c) *Clemens VI* postulavit ab Armenis ut profiterentur Scripturam "veritatem indubiam per omnia continere" (EB n. 31).

Cum autem saec. 19 etiam Catholici quidam inciperent dubitare, ultimi Rom. Pontifices explicite docuerunt *omnimodam* inerrantiam Scripturae:

a. *Leo XIII*: *"Nefas* omnino fuerit . . . concedere sacrum ipsum errasse auctorem. . . . Tantum abest ut divinae inspirationi *error ullus* subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam *necessario* excludat et respuat quam necessarium est Deum, summam veritatem, nullius erroris auctorem esse" (D 1951). Atque pergit: "Consequitur ut qui in locis authenticis librorum sacrorum *quidpiam falsi* contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam notionem inspirationis divinae pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem" (EB n. 111).[9]

b. *Pius X* anno 1907 damnavit hanc doctrinam modernistarum: "Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam sacram extenditur ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat" (D

---

[8]Bea p. 86; Vosté p. 108-9; Dorsch III p. 284, 293.
[9]Ex contextu patet "locos" authenticos esse *asserta* hagiographi.

2011). Positive igitur Pius X docet: Inspiratio divina non stat cum *ullo errore*.[10]

c. Doctrinam Leonis XIII iterum inculcavit *Benedictus XV* (D 2186).

d. Praedicatio magisterii hodierni etiam patet ex duabus decisionibus *Comm. bibl.* D 2179 et 2180 (de parousia).

Arg. 2. *Ex consensu Patrum*

Sicut pro ipso facto et ambitu inspirationis, ita etiam pro inerrantia absoluta Scripturae stat consensus firmus Patrum omnium aetatum. Qui consensus etiam effertur a Leone XIII (D 1952) et patet a) ex disertis eorum dictis, b) ex modo quo solvebant obiectiones contra inerrantiam.

a. *Dicta diserta Patrum*

S. Justinus M.: "Scripturas inter se pugnare, numquam cogitare vel dicere audebo" (Dial. 65).

S. Irenaeus: "Omnis Scriptura a Deo nobis data consonans invenitur . . . Scripturae perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae" (Adv. haer. II 28, 2; RJ p. 83).

Origenes: "Quae testimonia (scil. Scripturae) ut certam et indubitatam fidem praestent . . . necessarium prius videtur ostendere quod ipsae Scripturae divinae sunt" (De Princ. IV 1).[11]

Eusebius Caes.: "Facinus audax et temerarium censeo si quis audet affirmare Scripturam decipi" (In Ps 33).

S. Basilius: "Manifestus a fide lapsus est si quis quidquam eorum quae scripta sunt, reprobet" (supra p. 770).

S. Chrysostomus: "Nemo dicat: Mentitur Scripturarum historia" (In Act, Hom 22). "Scriptura sine errore est" (In J 12, 22).[12]

Dices: S. Chrysostomus tamen concedit esse contradictiones in evangeliis quoad res minoris momenti iisque confirmari substantiam evangeliorum.[13]
R. *Dist.* divergentias *C.* veras contradictiones *N.*

S. Cyrillus: "Fabulosum in ea (Scriptura) prorsus nihil, veritatis plena sunt omnia" (Contra Jul. 3).[14]

---

[10]Straub II p. 217.
[11]Quoad aliquas obiectiones nullius momenti quas promunt ex operibus Origenis, cf. Pesch, Insp. p. 553-5; Merk p. 237-8; DA II col. 753.
[12]Multos alios locos ex eodem Patre habes in Biblica 1933 p. 343.
[13]supra p. 154.
[14]Billot, Insp. p. 133.

S. Augustinus: "Scripturam esse veracem, nemo dubitat nisi infidelis et impius". "O Domine, nonne ista Scriptura tua vera est, quoniam tu verax et veritas edidisti eam?" (Conf. 13, 29).

S. Hieronymus: "Scripturam mentiri, dicere nefas est".

b. *Solutiones obiectionum*

Patres, praesertim ii qui scripserunt commentarios in libros sacros, multas invenerunt difficultates et contradictiones apparentes. Nullus ex eis has ita solvit ut concederet *errorem* in hagiographo.[15]

Id elucet praesertim in *S. Hieronymo* et *S. Augustino.* Hi enim accuratius examinaverunt eos locos qui agunt de eadem re (v.g. ea quae sunt communia pluribus evangelistis) et qui prima facie videntur continere contradictiones. Solutio non semper eadem erat neque felix. At neuter dubitavit etiam uno momento quin loci isti, cum sint verbum Dei, careant contradictione et errore.[16]

Dices: Firma persuasio Patrum fundabatur in *ignorantia.* Si Patres suspicati essent obiectiones postea inventas, non tam audacter locuti essent.

R. Duo responderi possunt: a) *N.* Difficultates quas noverunt Patres, vix leviores erant quam eae quas proponunt hodierni rationalistae. Leo XIII dicit fere easdem esse quas "nomine novae scientiae nunc obiciunt" (D 1952).—b) *N.supp.* Patres non prius examinaverunt singula asserta hagiographorum, et dein, cum ob defectum melioris scientiae non iam viderent difficultates insuperabiles, audacter affirmaverunt absolutam inerrantiam Scripturae; non sic arguerunt: non sunt errores in Scriptura; ergo non possunt esse. Fuisset mala illatio. Sed Patres coeperunt a principio *universali* quod evidenter continebatur in *Traditione,* scil. Scripturam habere Deum auctorem ac proinde *non posse* errare. Inde audacter et firmiter concluserunt: Ergo nullus est error in Scriptura.

Arg. 3. *Ex consensu Theologorum*

Aeque evidens est firmus et constans consensus Theologorum. Sufficit citare paucos eorum duces:

S. Thomas: "Scripturae divinae a Spiritu s. traditae non potest subesse falsum" (De Pot. qu. 4 a. 1). "Haereticum est dicere quod aliquid falsum non solum in evangeliis, sed etiam in quacunque canonica Scriptura inveniatur".(In J 13, lectio 1).

S. Bonaventura: "Spiritus s., eius (Scripturae) auctor perfectissimus, nihil poterat dicere falsum" (Prooem. in Brevil. 5).

---

[15]Tromp p. 127.

[16]P. Pesch, postquam examinavit omnes locos qui obiciuntur ex operibus S. Hieronymi, dicit: "Hieronymus, ubicunque mentem suam de inerrantia Scripturae manifestat, *omnem errorem* ab hagiographo excludit" (Insp. p. 536). Cf. etiam Dorsch III p. 360-370; Höpfl, Insp. p. 74-7; Muncunill III p. 72-5; DA II col. 753, 760.—Quoad S. Augustinum, cf. Pesch ib. p. 113; Knabenbauer, Mt II p. 499.

S. Bellarminus: "In Scriptura nullus potest esse error" (De Conc. II 12).

Suarez: "Sicut impossibile est mentiri Deum, ita impossibile est mendacium in Scriptura reperiri . . . non minorem certitudinem habet in minimis quam in maximis" (De Fide, Disp. 5 s. 30).

Nota. Obicit Bonaccorsi aliquos theologos negasse inerrantiam absolutam Scripturae. Sed a) hi erant nullius nominis; b) alii eis statim contradixerunt, eosque tandem reduxerunt ad hoc "dogma catholicum".

Arg. 4. *Ex ratione theologica*

Idem est assertum Dei et hagiographi, et quidem eo *sensu* eaque *modalitate* qua ab hagiographo intenditur et exprimitur.

Atqui omne assertum Dei necessario verum est.

Ergo etiam omne assertum hagiographi, et quidem eo sensu eaque modalitate qua ab eo intenditur et exprimitur.

Prob. M. Omne assertum hagiographi est a) verbum Dei *ab intrinseco* (supra p. 605); et quidem b) prout ab hagiographo *exprimitur*; nam finis inspirationis est liber scriptus, non instructio hagiographi; et c) prout ab eo *intenditur* seu concipitur in mente; nam secus non fuisset ratio cur Deus eligeret instrumentum rationale.

Argumentationem nostram autem esse bonam, patet ex dictis citatis magisterii, Patrum, Theologorum, qui deducunt inerrantiam Scripturae ex eo quod *Deus est eius auctor*.

Dices 1. Assertum Dei et hagiographi non semper idem est, saltem non eo sensu quo ab hagiographo intenditur; interdum enim Deus asserit *plura* vel etiam *alia* quam hagiographus novit; v.g ubi adest sensus plenior vel typicus.

R. Deus semper intendit asserere id quod asserit hagiographus; sed potest *simul* plura vel etiam alia intendere.[17]

Dices 2. Ad inerrantiam sufficit *assistentia negativa.* Atqui inspiratio Scripturae primarie consistit in influxu Dei positivo. Ergo haec non potest esse ratio inerrantiae.

R. *C.M. C.min. Dist.cons.* i.e. inerrantia potest haberi sine inspiratione *Tr.* vel *C.* i.e. inspiratio non secum trahit inerrantiam absolutam *N.*

Arg. 5. *Ex S. Scriptura*

Christus saepe testatus est absolutam inerrantiam V.T. "Donec transeat coelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege donec omnia fiant" (Mt 5, 8). "Facilius est caelum et terram praeterire quam de lege unum apicem cadere" (L 16, 17). "Necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi

[17] Oudenrijn p. 217-220.

et prophetis et psalmis de me" (L 24, 44). "Non potest solvi Scriptura" (J 10, 35).—Similiter locuti sunt *Apostoli*: "Oportet impleri Scripturam" (Act 1, 16). "Disserebat de Scripturis, adaperiens et insinuans quia Christum oportuit pati" (Act 17, 3).[18]

Valor huius argumenti: a) Historice, haec dicta certo exprimunt persuasionem communem *Judaeorum* circa inerrantiam V.T. b) Probata historicitate dictorum et divinitate Christi, haec dicta fundant *fidem divinam*. c) Probata aliunde inerrantia Scripturae, est de fide divina haec esse *dicta* a Christo et Apostolis (munere suo fungentibus); hagiographi enim id asserunt.—Argumentum autem est incompletum, quatenus haec dicta referunt ad solum *V.T.* Potest compleri ex auctoritate *Patrum*, qui ea accommodant toti Scripturae.

Dices: In 2 Mach 2, 29 auctor diserte *negat* se curasse veritatem: "Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes".

R. Versio latina est manca. Uti elucet ex textu graeco (qui est originalis), auctor non loquitur de veritate eorum quae narraturus est, sed de *minuta eorum expositione*.[19]

Confirmatur:

a. Pius XI, in Motu proprio "In multis solaciis", queritur scientistas saec. 19 asseruisse contradictiones inter revelationem et scientias. Sed dein pergit: "Praeiudicatae istiusmodi opiniones —quod quidem haud mediocri cum animi solacio fateri licet—iam ita *obsoleverunt* ut nemo fere inveniatur unus qui digne pervestigando in physicarum rerum inquisitionem incumbat, huiusque erroris adsertor ac vindex evadat" (Acta Ap. Sedis, vol. 28 p. 422).

b. Plurima asserta historica hagiographorum, quae olim negata erant a rationalistis biblicis, plene *vindicata* sunt per modernas explorationes, excavationes etc. Unde cum hodie documenta vel monumenta antiquitatis inveniuntur, omnes (periti aeque ac rudes) quasi a priori exspectant Scripturam eis *confirmari*.

Appendo *literaturam recentem* de talibus confirmationibus: G. Milligan, Here and There among the Papyri (1923); S. A. Cook, The Religion of Ancient Palestine in the Light of Archeology (1930); R. A. S. Macalister, A Century of Excavation in

---

[18]van Laak, Insp. p. 236-243.
[19]Pesch, Insp. p. 429-431; Dorsch III p. 124-7.

Palestine (1930); J. G. Duncan, The Accuracy of the O.T. (1930); idem, Digging up Biblical History (1931); idem, New Light on Hebrew Origins (1936); J. Garstang, Joshua Judges (1931); idem, The Foundations of Bible History (1931); W. F. Albright, The Archeology of Palestine and the Bible (1933); C. Marston, New Bible Evidence (1934); idem, The Bible Comes Alive (1937); J. W. Jack, The Ras Shamra Tablets (1935); A. S. Yahuda, The Accuracy of the Bible (1935); S. L. Caiger, Bible and Spade (1935); idem, The O.T. and Modern Discovery (1938); idem, Archaeology and the N.T. (1939); L. Woolley, Abraham (1936); E. Grant, The Haverford Symposium on Archeology and the Bible (1938).

Corollaria

1. Ergo quidquid asseritur ab hagiographo, credi potest *fide divina.*

Nulla tamen est obligatio eliciendi actum fidei de *singulis* assertis dum legimus Scripturam. Saepe enim est dubium de textu authentico vel de sensu genuino. Hinc melius est elicere actum fidei *generalem*: Credo quidquid Deus dixit vel scripsit.

2. Ergo etiam *inspirata per accidens* (v.g. obiter dicta) et *res minimae,* si sunt asserta hagiographorum, necessario vera sunt.

3. Ergo Scriptura est *fons revelationis*—non tantum quatenus continet historiam revelationis (uti volunt Protestantes), sed a) quatenus singulae eius sententiae sunt verbum Dei, praesertim vero b) quatenus singula asserta hagiographorum sunt verbum Dei ab intrinseco.

Hinc Scriptura est "locus theologicus" amplissimus.

4. Ergo nequit esse contradictio a) inter varia asserta hagiographorum (v.g. 4 evangelistarum), b) inter asserta hagiographorum et res aliunde certas (v.g. inter Genesim et astronomiam). Verum enim vero contradicere nequit.

5. Ergo omnis *interpretatio* Scripturae quae supponit hagiographum errasse, mala est neque dat sensum eius genuinum.

6. Ergo etiam ea quae *logice conectuntur* cum assertis hagiographorum (scil. principia vel conclusiones), sunt necessario vera. Haec dicuntur *virtualiter* revelata. Cf infra p. 680.

7. Ergo nobis qua Catholicis inquirendum non est quomodo hagiographi cognoscere potuerint ea quae asserunt (uti fieri debet

in Apologetica). Scimus enim eos non potuisse errare, *undecunque* hauserunt suam cognitionem.

Obiectiones

Tria notanda:

a. *Innumerae* sunt obiectiones quae prolatae sunt et adhuc proferuntur contra inerrantiam Scripturae. Eas singulas solvere quantum solvi possunt, pertinet ad exegesim. Nostrum est respondere obiectionibus *generalioribus.*

b. Quoad obiectiones *particulares* haec teneantur: a) Ab eo qui Scripturam accusat erroris, statim tria quaerantur: num textus sit *authenticus,* num agatur de *asserto hagiographi,* num *constet* sensus obiectivus.[20] b) Generatim loquendo *sufficit solutio probabilis;* nam ex una parte, inerrantia Scripturae est certa; ex altera parte, tam longe distamus a compositione librorum sacrorum et a rebus ibi descriptis ut sequeretur skepticismus historicus si postularetur certa solutio omnium difficultatum. c) Cum a priori excludi nequeat legi in Scriptura *mysteria stricte dicta,* potest esse ut sufficere debeat solutio mere possibilis.[21]

c. *Simplici fideli* per se sufficit suam ignorantiam confiteri et referre obicientes ad peritos catholicos.

1. Contra factum non valet argumentatio. Atqui in Scriptura leguntur plurimi *errores* et *contradictiones.*

R. Cf. supra p. 598.

2. Tota disputatio de inerrantia Scripturae hodie est vana. Nam aut loquimur de autographis aut de hodiernis apographis et versionibus. Si de *autographis,* disputatio est pure academica; nam autographa Scripturae non iam exsistunt. Si de *apographis* et *versionibus,* disputationis non est locus; nam omnes concedunt esse errores in his.[22]

R. Disputatio non est vana. Directe probavimus autographa librorum sacrorum caruisse errore (supra p. 635). Sed ex horum inerrantia sequitur inerrantia copiarum et versionum quae sunt eis *conformes* saltem quoad sensum.

Nota. *Vulgatam latinam* esse autographis conformem (saltem quoad substantiam ac praesertim in rebus fidei et morum), scimus ex auctoritate magisterii (infra p. 707). Protestantes autem hanc difficultatem solvere nequeunt, atque inde ortus est deismus et rationalismus.

Urg. Si omnis error defuisset ab autographis, etiam deesset ab apographis et versionibus; secus Deus frustra intendisset libros sacros pro *omnibus.*

R. *N.ass.* Deus non est conservator Scripturae eodem modo quo est eius auctor. Neque intendit libros sacros pro omnibus nisi *sub ductu magisterii.*

3. Inspiratio non excludit *imperfectiones,* immo neque *defectus literarios.* Ergo neque errores.[23]

R. *N.par.* Non dedecet Deum, qui scripsit per hominem, permittere ut asserta hagiographi scribantur modo imperfecto; sed cum assertum ipsum sit etiam Dei, necessario verum est.

---

[20] Cf. verba S. Augustini citata a Leone XIII (D 1952).

[21] Hópfl, Insp. p. 79; DThC s.v. Antilogies bibliques col. 1385-9; DA II col. 754; Cerfaux, in BN p. 1040-3.

[22] Schaff, Theol. Prop. p. 393; Briggs, Study of Holy Scripture p. 615-620.

[23] Briggs l.c. p. 634-641.

Urg. Si errores essent *pauci*, ab omnibus haberentur ut merae imperfectiones.

R. *N.* vel *Dist.* in libris pure humanis *Tr.* in libris sacris, de quibus positive constat idem esse assertum hagiographi et Dei *N.* Assertum falsum Dei enim non esset mera imperfectio, sed absurditas.

Urg. Deus se *accommodare* potuit hagiographo quoad modum loquendi; ergo etiam quoad ipsa asserta.

R. *C.ant. N.cons.*[24]

Urg. Saltem concedi debet *possibilitas* erroris. Nam hagiographi non maiore inerrantia gaudebant quam alii scriptores veridici, qui errare poterant et errabant.[25]

R. *N.* vel *Dist.* hagiographi dum essent sub influxu inspirativo *N.* aliter *Tr.*[26]

Urg. *Verbum incarnatum* omnes imperfectiones humanas assumpsit quin hae refundantur in eius divinitatem. Ergo a pari, verbum Dei scriptum imperfectiones (inclusis erroribus) admittit quin hae destruant divinam inspirationem.

R. *Dist.ant.* imperfectiones quae componi possunt cum unione hypostatica *C.* alias *N.* Sic natura humana Verbi incarnati non admittit peccatum aut errores.[27]

4. *Veritas absoluta* in nullo libro inest. Ita Loisy.

R. *Dist.* i.e. nullus liber continet omnes veritates, vel etiam unam veritatem sub omni respectu *Tr.* i.e. nullus liber continet asserta non mixta cum errore *subd.* nullus liber inspiratus *N.* non-inspiratus *Tr.*[28]

Urg. "Sua cuique generi (literario) est veritas".

R. *Dist.* ita ut eadem veritas aliter et aliter exprimi possit *C.* ita ut veritas ipsa sit aliter et aliter definienda *N.* Dictum hoc enim refert ad *modum* quo dicitur, non ad id quod dicitur.

Urg. Non est una definitio veritatis (logicae).

R. *N.* vel *Dist.* accidentaliter una *Tr.* substantialiter una *N.* Scholastici, secuti sensum communem, definiunt veritatem ut "adaequationem intellectus cum re".

5. Si thesis esset vera, Scriptura esset *collectio thesium.* Atqui hoc consequens est absurdum.

R. *Dist.M.* i.e. sententiarum, quarum plurimae sunt asserta hagiographi *C.* i.e. thesium quae proponuntur defendendae (sicut pro disputationibus scholasticis) *N.* Theses scholasticae enim volunt sumi exacte et philosophice, sed hagiographi scripserunt sermone ordinario.[29]

6. Hagiographi interdum usi sunt *fontibus non-inspiratis* (v.g. auctor 2 Mach, Lucas). Atqui tales fontes poterant continere errores.

R. *C.M. C.min.* At non sequitur hagiographos ipsos errasse; Deus enim eos positive movit ut ex fontibus nihil describerent nisi vera.

---

[24]Dorsch III p. 311-4.

[25]Ita Lenormant, Briggs l.c. p. 614.

[26]Dorsch III p. 306-311.

[27]Dorsch III p. 302.

[28]Modernistae tribuerunt etiam Scripturae veritatem mere *relativam.* Uti patet ex distinctione data, Scriptura aliquo sensu dici potest relative vera, ita ut salva maneat eius inerrantia absoluta. Quia autem "veritas relativa" vulgo sumitur sensu sinistro (v.g. half-truth), praestat vitare hunc terminum. Cf. D 2187; EB n. 469; Merk p. 976; Bea p. 92; Dorsch III p. 317.

[29]Dorsch III p. 319-321; Tromp p. 116.

Urg. Multa quae leguntur in Genesi, ultimatim nituntur *traditionibus popularibus* quae per plura saecula (forte millennia) oraliter transmittebantur in hac vel illa familia, tribu etc. Atqui talia necessario permixta sunt erroribus.

R. Eadem est responsio.

7. Hagiographi quaedam asserunt *dubie* vel *approximative* (supra p. 622). Atqui talia absurde dicuntur necessario vera.

R. *C.M. N.min.* a) Vix est difficultas quoad asserta approximativa. b) Quoad dubia: Necessario verum est hagiographum dubitasse.[80]

8. In Scriptura dantur *libri pseudonymi,* in quibus auctor asserit se esse eum qui certo non erat. Sic a) Sap habet titulum **Σοφία Σαλομῶνος**, et in cap. 7 auctor se describit ut regem Salomonem; b) Eccl sic incipit: "Verba Ecclesiastae filii David, regis Jerusalem", i.e. Salomonis. Atqui certum est regem Salomonem non esse auctorem horum librorum.

R. ad a) Non est certum titulum esse genuinum; et titulus mere significare potest "Sapientia iuxta mentem Salomonis". Fictio literaria in cap. 7 autem ita adhiberi potuit ut (primi) lectores non deciperentur; liber enim est didacticus.—ad b) Idem fere dicatur de Eccl. Atque eius auctor se clare distinguit a Salomone in fine libri (12, 9-14).[81]

9. In Scriptura narrantur plurima *miracula* et *vaticinia.* Atqui haec non possunt esse vera.

R. *C.M. N.min.* Ii qui talia obiciunt, remittendi sunt ad sanam philosophiam et ad prima principia historiae.

Duo tamen notanda:

a. In singulis casibus *particularibus* accurate videndum est num id quod generatim putatur vel dicitur fuisse miraculum, revera tale fuerit. Nam a) potest esse ut liber (vel pars) in quo leguntur talia, non pertineat ad genus literarium historicum; b) Judaei facta extraordinaria pie adscripserunt Deo, causae primae, sive excedebant vires naturales sive non; c) miraculum distingui debet ab opere divinae Providentiae.

b. Etiam Catholici interdum quaerunt *explicationem naturalem* ubi agitur de vero miraculo, praesertim in V.T. His iam dixit S. Augustinus: "Ad hoc respondendum est quod aut omnia miracula credenda non sint, aut hoc cur non credatur, causa nulla sit" (Ep. 102, 30).

Unde breviter: Miracula Scripturae neque multiplicanda neque minuenda sunt sine ratione.[82]

---

[80]Bea p. 78; Merk, in IB p. 71.

[81]Merk p. 486, 495, 511, 583; Vosté p. 155; Podechard, L'Ecclésiaste p. 126-7.

[82]DA II col. 754, 1546-1550; III col. 1919; Höpfl, Insp. p. 50, 175-6.

Ad salvandam inerrantiam S. Scripturae, appellare licet ad apparentias sensuum et usum popularem loquendi, sed non nisi caute ad apparentias historicas aut ad citationes implicitas aut ad "genera literaria".

Cf. Bea p. 97-118; Billot, Insp. p. 133-156; Dorsch III p. 323-449; Durand, in DA s.v. Inerrance biblique; FelderA II p. 305-312; Fernandez, in IB p. 384-421; Fonck, Kampf etc. p. 86-206; Höpfl, Insp. p. 44-83; Lercher I p. 615-630; Lusseau p. 207-217; Muncunill III p. 60-6; van Noort, Font. p. 53-64; Pesch, Insp. p. 501-551; Prado p. 42-55; Schöpfer p. 8-25; Tromp p. 120-133; Vosté p. 111-148.

Thesis haec non tam agit cum rationalistis quam cum quibusdam *theologis catholicis,* qui, ut salvarent inerrantiam Scripturae et responderent rationalistis, varias theorias excogitaverunt. Neque loquimur de distinctionibus quas quidam introduxerunt ante encyclicam "Prov. Deus" (supra p. 637), sed de 5 theoriis postea propositis, quarum duae priores agunt de rebus "scientificis" (uti hodie dicitur), tres ultimae de rebus historicis. De eis agemus 5 partibus distinctis.[1]

Pars prima: **Apparentiae sensuum**

1. *Explicatur*

Haec theoria dicit hagiographos non descripsisse phaenomena naturalia modo "scientifico", sed *sicut apparent sensibus* (ut cum nos dicimus: sol oritur, sol occidit).

Exemplis ostendamus quomodo hac theoria *solvantur obiectiones* quaedam contra inerrantiam Scripturae: a) In Gen 1, 16 sol et luna dicuntur "duo luminaria magna", i.e. maiora ceteris stellis. Astronomi autem dicunt dari stellas multo maiores. Respondet igitur haec theoria: Recte Moyses scripsit; nam sol et luna sensibus nostris apparent maiores.[2] b) In Jos 10, 13 narratur miraculosa prolongatio diei sic: "Stetit sol in medio caeli et non festinavit occumbere spatio unius diei". Modum quo Deus id fecerit, hagio-

[1] Quae hic dicuntur de Scriptura, etiam applicari possunt *dictis Christi.* Cf. DA II col. 1554.
[2] LThK s.v. Schöpfungsbericht.

graphus non indicat, sed describit eventum iuxta ea quae sensibus apparuerunt. Si idem miraculum hodie fieret, omnes (exceptis fortasse scientistis) eventum eodem modo describerent.[3]

Patet igitur hac theoria commode solvi varias obiectiones. Sed quaeritur num talis "accommodatio" stare possit cum inspiratione?

2. *Probatur*

Bonam esse hanc theoriam et per se applicabilem etiam ad asserta hagiographorum, constat ex multis rationibus: a) *Christus* ipse interdum sic locutus est; v.g. "qui solem suum oriri facit super bonos et malos" (Mt 5, 45). b) *S. Thomas* iam tradit theoriam (I qu. 68 a. 3; I qu. 70 a. 1 ad 3). c) *Leo XIII* et post eum *Commissio biblica* eam approbavit (D 1947, 2127). d) Hodie consentiunt *theologi* (Höpfl, Insp. p. 47-9). Tandem e) *sic omnes loquimur* neque arguimur erroris.

Dices 1. Inerrantia postulat veritatem logicam. Atqui veritas logica est conformitas intellectus cum *re ipsa,* non tantum cum apparentia rei. Ergo hac theoria non salvatur inerrantia Scripturae.

R. *C.M. Dist. min.* quoad id quod dicitur *C.* quoad modum quo dicitur *N.*[4]

Dices 2. Saltem formulae istae ortae sunt ex errore. Ergo, licet fortasse errorem non exprimant, eum *insinuant* (contra D 2180).

R. *N.ant.* Ortae sunt ex apparentiis sensuum, neque per se plus intendunt dicere. Unde malum esset dilemma: Hagiographus aut scripsit assertum falsum de rebus naturalibus aut inepte de eis locutus est.[5]

Pars secunda: **Modus popularis loquendi**

1. *Explicatur*

Haec theoria dicit hagiographum scripsisse de rebus naturalibus *sicut eius coaevi* locuti sunt de eis.

Exemplis iterum ostendamus eius applicationem ad Scripturam. In Lev 11, 6 et Deut 14, 7 lepus numeratur inter ruminantia, et in Lev 11, 19 vespertilio inter aves; quae classificatio ab hodiernis zoologis falsa esse dicitur. Hodiernis medicis autem non placent ea quae leguntur in Sap 7, 2 "10 mensium tempore coagulatus sum in sanguine". Sed ex nostra theoria facile respondetur hagiographum secutum esse modum popularem loquendi suae aetatis.

Eandem theoriam dein extendunt ad *classes* hominum; v.g. ad poetas, magistros, legislatores etc. Singulae classes enim habent

---

[3]Sunt Catholici qui negant hic agi de miraculo; sed contextus omnino suadet fuisse verum miraculum. Cf. Fernandez, Comm. in Jos p. 143-152.

[4]Prado p. 226; Cerfaux, in BN p. 1043; Fernandez, in IB p. 390, 393; Dorsch III p. 329-330; Vosté p. 114.

[5]Fernandez, in IB p. 392.

suam terminologiam, suos modos arguendi etc.

2. *Probatur*

Bonam esse hanc theoriam et per se applicabilem etiam ad asserta hagiographorum, iisdem rationibus probatur ac prima theoria.

Magis adhuc patet *omnes ita loqui.* Sicut evangelistae, ita etiam nos loquimur de "lunaticis", sive credimus in influxum lunae (quem vox supponit) sive non.—Idemque valet de variis classibus hominum. Ipsi scientistae loquuntur de "atomis", de "altitudine solis", de "aberratione lucis" etc. neque quisquam eos arguit erroris.

Dices: Haec ultima ratio claudicat. Est magna *disparitas* inter scientistas hodiernos, qui bene norunt terminis istis non exprimi internam rerum naturam, et hagiographos, qui, pro errore suae aetatis, eundem errorem habuerunt in mente.

R. *Dist.* error in mente hagiographi comitabatur eius assertum *Tr.* hagiographus eum intendit aut expressit *N.* Errorem intendisset et expressisset si voluisset docere "scientias".

3. *Corollaria*

a. Nihil obstat quin hagiographi dicantur adhibuisse locutiones, descriptiones, imagines *vulgares* vel *poeticas* suae aetatis. Sic poterant describere caelum ut tentorium (Ps 103, 2; Is 40, 22) vel ut tectum solidum super quod congregatae sunt aquae (Gen 1, 6; 7, 11; 8, 2; Ps 148, 4; Job 37, 18) etc. Immo in descriptionibus poeticis induci poterant *animalia mythica*; v.g. leviathan (Job 3, 8; 40, 20; Is 27, 1), "pilosi" et "sirenes" (Is 13, 21-22), "regulus volans" (Is 30, 6), "fauni ficarii" (Jer 50, 39) etc.—sicut nos citamus ea quae vidit et audivit Alice in Wonderland.

b. Liber Job habet formam literariam *dialogi* seu disputationis; in tali forma autem multa minus recte asseri solent ut veritas tandem clarius eluceat.[6]

4. Duo notanda

a. Ne putaveris has theorias esse merum effugium excogitatum post et propter scientias modernas. Hae quidem fuerunt *occasio.* Sed propter obiectiones quas moverunt scientistae etc., exegetae accuratius investigaverunt quid praecise hagiographi intenderint dicere.[7]

b. Quamvis theoriae ipsae sint bonae, *non ubilibet* eas applicare

---

[6]Höpfl, Insp. p. 43; Merk p. 467-9.

[7]Bea p. 92-3.

licet—sicut neque nos semper loquimur iuxta apparentiam sensuum aut modo populari.

Pars tertia: **Apparentiae historicae**

1. *Explicatur*

Si hagiographus scribere poterat iuxta apparentiam sensuum, cur (aliqui inferebant) non etiam iuxta apparentiam historicam? Cur non potuit vestire historiam legendis, fabulis, anecdotis, traditionibus popularibus, midrashim etc.—sicut mos est orientalium?[8]

2. *Theoria reicitur*

a. *Benedictus XV* hanc theoriam explicite reiecit. Nam "lex historiae praecipua haec est, scripta cum rebus gestis, ut gestae reapse sunt, congruere oportere" (EB n. 470).

b. *Intentio historicorum,* etiam antiquorum et orientalium, erat narrare facta, non meras apparentias factorum (supra p. 156).

c. Haec theoria eo magis *obsolescit* quo magis veritas historica librorum sacrorum confirmatur hodie (supra p. 642).

d. Tandem triplex est *disparitas* inter hanc theoriam et theoriam apparentiae sensuum: a) Asserta de eventibus naturalibus per se non intendunt tangere intimam eorum naturam, nisi utique aliquis loquitur qua scientista (vel qua philosophus). Sed qui scribit historiam, supponitur per se narrare *facta,* non meras apparentias factorum. Quam disparitatem agnoscunt non solum periti, sed etiam vulgus. b) Uti constat ex experientia, modus popularis loquendi vel scribendi de rebus naturalibus per se non ducit in errorem. Sed historia quae non distinguit inter facta et ficta, ducit ad *skepticismum historicum.* c) Paucissimae sunt partes Scripturae quae ullo modo tangunt res scientificas. Sed plurimi libri sacri sunt historici; continent enim *historiam revelationis* (primitivae, mosaicae, christianae).

3. *Leo XIII*

Aliqui Catholici putaverunt Leonem XIII approbasse theoriam apparentiae historicae. Nam in encyclica "Prov. Deus", approbata theoria apparentiae sensuum, pergit: "Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, *iuvabit transferri*" (D 1949).

---

[8]Ita F. Lenormant (Les origines de l'histoire etc. 1880-4), Lagrange (Hist. Crit. of the O.T.). Cf. Cerfaux, in BN p. 1044.

At talis approbatio prorsus aliena erat a mente Leonis XIII. Id quod patet ex *contextu* encyclicae. Quaestio enim quam Leo sibi proposuit, haec erat: Quomodo arguendi sunt ii qui statuunt contradictiones inter Scripturam et scientias naturales? Atque suadet ut distinctio fiat inter certa et incerta, inter facta stabilita et meras hypotheses. Hanc distinctionem (pergit) "iuvabit transferri" etiam ad historiam. Quo consilio sane non est melius.

Atque sic intellegenda esse verba Leonis XIII, authentice declaravit Benedictus XV (EB n. 471).

4. *S. Hieronymus*

Ex operibus eius 3 loci citantur quasi faveant theoriae apparentiae historicae:

a. In Jer 28, 10 S. Hieronymus reprehendit LXX quod omiserint vocem "propheta", putantes hoc nomen male tribui Ananiae, atque pergit: "Quasi non multa in Scriptura dicantur *iuxta opinionem illius aetatis* qua gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat". Sed S. Hieronymus refert ad modum popularem loquendi; agitur enim de titulis usualibus (EB n. 472).

b. In Gen 46, 26 S. Hieronymus defendit S. Stephanum (Act 7, 14) quoad numerum eorum qui ingressi sunt Aegyptum: "Hoc autem generaliter observandum est quod, ubicunque Apostoli vel apostolici viri loquuntur ad populum, his plerumque testimoniis abutuntur quae iam fuerant *in gentibus divulgata*". Sed iterum S. Hieronymus refert ad modum popularem loquendi.

c. In Mt 14, 9 S. Hieronymus putat tristitiam Herodis fuisse fictam et scribit: "Consuetudinis Scripturarum est ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo tempore *ab omnibus credebatur*". Sed id non est favere theoriae apparentiae historicae (supra p. 640).

5. *Cor.* Ergo theoria apparentiae historicae nequit adhiberi ut principium *generale* interpretationis Scripturae.

Nihilominus a Benedicto XV numeratur inter eas theorias quae "si inter certos quosdam fines continentur", utiles esse possunt exegetae catholico. Scil. accuratius inquirendi sunt *modi* quibus genus literarium historicum excultum est apud Judaeos variis saeculis.

Pars quarta: **Citatio implicita**

1. *Explicatur*

Citatio implicita (tacita) est allegatio dicti alterius, ita ut is qui citat, non dicat explicite se citare.

Non nunc quaeritur num legantur in Scriptura citationes implicitae.[9] Sed agitur de nova theoria cuius *principium* sic olim statutum est a P. Prat (La Bible et l'Histoire 1904): Hagiographus tunc tantum sua facit dicta alterius si ea vel explicite vel modo aequivalente approbat; ubi deest approbatio explicita, lector ipse debet determinare quid verum sit, quid falsum.

2. *Theoria reicitur*

a. *Pius X* docet inspirationem Scripturae 'coangustari' per hanc theoriam (D 2090); et *Benedictus XV* reprehendit eos qui "nimis facile ad citationes implicitas" confugiunt (D 2188).

b. *Commissio biblica* (D 1979) non quidem totaliter reicit theoriam, sed postulat ut probetur a) hagiographum revera citare dictum alterius, et b) illud neque approbare neque suum facere.

c. Si auctor allegat dicta alterius neque id explicite dicit, *eo ipso* putandus est ea approbare; secus cur ea allegat? Unde loco principii a P. Prat statuti, potius dicamus: Hagiographus per se *sua facit* verba implicite citata aliorum; exceptio probanda est.

d. Sicut ex theoria apparentiae historicae, ita etiam ex hac, si indiscriminatim adhiberetur, sequeretur *skepticismus historicus.* Neque enim esset criterium obiectivum quo asserta auctoris discernerentur a citationibus implicitis.

Pars quinta: **"Genera literaria"**

1. *Explicatur*

a. Quaestio nunc non est de variis generibus literariis quae occurrunt in Scriptura, sed de solis libris *historicis.* Neque quaeritur qui libri sint historici aut quomodo id nobis possit innotescere. Sed supponimus aliquos libros sacros esse historicos, i.e. hagiographos eos intendisse ut tales. Et quaeritur utrum eorum conceptus historiae satis congruat nostro an habuerint conceptum *largiorem* et liberaliorem?

---

[9] Videtur esse affirmandum; v.g. ubi eadem narratio bis legitur, ut in Is 36-39 et 4 Reg 18-20. Cf. Bea p. 117-8; Merk, in IB p. 76.

In concreto, quaestio haec praecipue movetur de Pentateucho et de quarto evangelio.

b. Initio saec. 20, exegetae quidam catholici (duce Hummelauer) putabant scriptores antiquos atque etiam hagiographos fovisse conceptum historiae et historicae veritatis *minus strictum*. Unde statuerunt nova "genera literaria", praesertim "historiam antiquam" et "historiam religiosam". Atque pro his dixerunt sufficere conformitatem aliquam generalem seu *vagam* narrationis cum factis obiectivis. Vel statuerunt hoc principium: Ad veritatem historicam non requiritur conformitas narrationis cum factis obiectivis, sed sufficit conformitas eius cum *fontibus* quibus auctor usus est. Tandem admiserunt scriptores antiquos, in rebus minoris momenti, usos esse *libertate epica*, i.e. factis miscuisse ficta, traditiones populares etc.[10]

2. *Theoria reicitur*

a. *Commissio biblica* theoriam reicit tamquam principium generale interpretationis Scripturae (D 1980).

b. *Christus, Apostoli, Patres,* qui saepissime citaverunt libros historicos V.T., ne suspicati quidem sunt facta ibi narrata accipienda esse cum grano salis.

c. Etiam haec theoria ducit ad *skepticismum historicum*.

Dices: Nobis historia est scientia, sed antiquis erat *ars*; hinc parum scrupulosi erant de stricta veritate.

R. a) Auctor principalis librorum historicorum Scripturae est Deus, qui nec falli nec fallere potest. b) Etiam antiquis prima lex historiae erat "ne quid falsi dicere audeat" (Cicero). c) Veritas stricta librorum historicorum V.T. in dies magis confirmatur (supra p. 642).

Schol. Licet haec theoria sit reicienda, non sequitur libros historicos Scripturae esse *pure* historicos, i.e. scriptos sine ullo alio fine (supra p. 84). Porro licet Deus omnisciens sit eorum auctor, non sequitur eos continere *omnes* res religiosas aut *totam* revelationem publicam aut historiam *completam* eventuum, personarum etc.

Initio saec. 19 erant scientistae catholici (v.g. Cuvier, Ampère) qui putarent Moysen, cum describeret originem mundi, bene novisse astronomiam, geologiam etc.; eidemque theoriae favit Vaughan (Concerning the Holy Bible p. 227-239). Inde ortae sunt *theoriae "concordantiae"* inter Genesim et modernas scientias. Sed licet Deus omnisciens inspiraverit hagiographos, non sequitur eos etiam omnia scivisse.[11]

---

[10] Bea p. 101-3; Pesch, Suppl. p. 27-54; Steinmueller p. 38-45.

[11] Höpfl, Insp. p. 46-7; Cerfaux, in BN p. 1043; Schöpfer p. 99-100; Revue apol. 1935 p. 426-434; supra p. 79.

ALIAE SEQUELAE INSPIRATIONIS

Asserta hagiographorum, quorum inerrantiam (de facto et de iure) hucusque probavimus, constituunt tantum unam (licet maximam) partem Scripturae. Videamus nunc quid ex inspiratione sequatur a) quoad *citationes explicitas,* quae sunt sat numerosae, b) quoad *affectus personales hagiographi,* c) quoad varia *genera literaria.*

1. Citationes

Ex sensu communi, distinguendum est inter "citationem" et "rem citatam". Atque per se valet effatum: "Affirmatur veritas citationis, non vero veritas rei citatae". Seu, uti dicit S. Augustinus: "Quamvis verum sit omnino quod dicta sunt, non tamen omnia quae dicta sunt, vera esse creduntur" (Ad Oros. 12).

Idem principium etiam valet quoad libros *sacros.* Aliquomodo tamen modificatur ex inspiratione:

1. Quoad *veritatem citationis*

a. Cum veritas citationis *asseratur ab hagiographo,* ex thesi 49 sequitur eam semper ac *necessario* adesse in libris sacris. Verba igitur quae ab hagiographo citantur *ut* antea dicta (vel scripta), vere dicta (vel scripta) sunt antea, et quidem ab eo cui ab hagiographo tribuuntur. Sic evangelistae explicite tribuunt multos discursus Christo (cf. etiam D 2133). Est igitur *de fide divina* Christum haec dixisse. Id quod non valet v.g. quoad 'agrapha'.

At ex usu communi (antiquo et recenti), quaedam libertates conceduntur in modo citandi. a) Non est necesse ut citentur ipsissima verba alterius, sed sufficit ut recte citentur eius *sensa;* id quod valet non tantum pro discursu indirecto, sed etiam pro directo (quo solo utitur lingua hebraica); atque libertas haec fere necessaria est ubi sermo verti debet in aliam linguam. b) Longa oratio citari potest *compendiose* vel etiam *incomplete*; postulare vel exspectare plus in libro non-scientifico, esset pedanticum.

Ergo eaedem libertates concedendae sunt *hagiographis*; neque enim per se ducunt in errorem. Unde exspectandum non est hagiographos semper retulisse ipsissima verba aliorum, aut orationes citatas non fuisse longiores.

b. Quoad *citationes ex V.T.* quae leguntur in N.T., cf. Pesch, Insp. p. 543-7; Dict. de la Bible, Suppl. s.v. Citations; Prat, Theol. I p. 411-7; Bonsirven, in Nouvelle Revue Théol. 1938 p. 129-147; idem, Exégèse rabbinique et exégèse Paulinienne (1939).

c. Ubi inducuntur *plures simul loquentes* (v.g. Jos 24, 16-8; 1 Reg 12, 19; Mt 2, 5; 16, 14; Act 4, 24-30), non semper putandum est singulos usos esse iisdem verbis; potuit hagiographus referre sensum *communem* vel *praevalentem* multitudinis.

Huc pertinet *"pluralis categoriae"*, quo id quod dicitur ab uno ex multis, tribuitur toti multitudini. Qui modus citandi magis usitatus erat apud Semitas, apud quos non viguit individualismus noster et actio unius redundavit in laudem vel vituperationem omnium eiusdem categoriae.[1]

d. *Fingere orationes* (sive ex toto sive partim) quasi ab aliis habitas, evidenter repugnat inerrantiae Scripturae—nisi ex contextu appareat talem fictionem esse merum artificium literarium.[2]

2. Quoad *veritatem rei citatae*

Sicut quivis alius auctor, ita hagiographus alterius verba citare potest tripliciter: mere narrando vel approbando vel improbando.

Ex inspiratione nihil sequitur quoad veritatem vel falsitatem eorum quae hagiographus a) *mere narrat;* atque sic legi possunt in Scriptura errores, mendacia, blasphemiae etc. (verbum Dei ab extrinseco). At b) si hagiographus *approbat* (explicite vel implicite) verba citata, haec necessario vera sunt; id enim implicite asseritur in approbatione. c) Ubi hagiographus *improbat* (explicite vel implicite) verba citata, haec necessario falsa sunt vel mala; id enim implicite asseritur in improbatione.

Tria notanda:

a. Hagiographus censetur *approbare* a) dicta Dei, Christi, B.V. Mariae, angeli boni; b) dicta legati divini (prophetae vel Apostoli) dum actu fungitur munere suo;[3] c) ea quae dicta sunt sub inspiratione divina. Alia dicta citata ab hagiographo autem *per se* non censentur approbari, sed relinquuntur in suo valore naturali; v.g. 1 Esdras 4, 6-16; 5, 16-7; id quod valet etiam de dictis eorum qui sunt ceteroquin sancti et pii.[4]

---

[1]Holzmeister, in Biblica 1933 p. 68-95.
[2]supra p. 195; Tromp p. 124.
[3]Non autem si non loquitur ex munere suo; v.g. 2 Reg 7, 3; Act 20, 25.
[4]Dorsch III p. 181-2; Tromp p. 106-7.

b. Ex usu communi, approbatio (vel improbatio) *generalis* longi sermonis per se non valet de singulis assertis in eo contentis. Hoc principium applicari etiam hagiographis, patet ex libro Job. Job enim laudatur a Deo quod recte locutus sit (42, 7), et tamen concedit se in aliquibus insipienter locutum esse (42, 3). Ex altera parte, Deus improbat sermones amicorum Job (42, 7-8), sed non ex toto; nam S. Paulus (Rom 11, 35) approbat dictum Eliphaz (supra p. 649).

Nota. Idem aliqui putant valere de longo sermone eius qui modo generali dicitur fuisse "*plenus Spiritu s.*"; v.g. Paulus in Act 20, 18-35; Stephanus in Act 7, 1-56.[5]

c. Sicut in aliis libris, ita etiam in Scriptura induci possunt *personae fictae* ut loquentes (v.g. amici Job). Ut dignoscatur utrum earum dicta approbentur an improbentur ab hagiographo, videndum est cuius typi sit persona.[6]

2. Affectus hagiographi

1. Sicut alii auctores, ita etiam hagiographi interdum exprimunt suos affectus seu emotiones animae: desideria, iram, amorem et odium, preces, consilia etc. Ex inspiratione autem duo sequuntur quoad eorum *veritatem* et *moralitatem*:

a. Asserta quibus hagiographus mere narrat affectus suos *olim* habitos (v.g. Ps 30, 10; Jer 23, 9; Rom 9, 1), sunt necessario vera; affectus ipsi autem poterant esse moraliter boni vel mali.

b. Etiam asserta quibus hagiographus testatur affectus *praesentes* (i.e. quos experitur dum scribit), necessario vera sunt, i.e. affectus revera aderant tunc in hagiographo, et quidem tales quales ab eo exhibentur.—Quoad eorum moralitatem autem distinguere oportet: a) affectus *pure personales* (v.g. Rom 1, 11; Gal 3, 1) videntur semper fuisse boni; videtur enim dedecere Deum assumere hominem actu peccantem ut instrumentum suum; b) affectus quos hagiographus experitur *propter scriptionem* (i.e. ut excitet similes affectus in lectoribus; v.g. Ps 50), necessario boni erant; eorum exsistentia enim Deo debebatur.[7]

---

[5]Dorsch III p. 181; Ruffini p. 258-260; Prado p. 41-2; Vosté p. 132; Boudou p. 134-8; Rosadini II p. 31-2; Lattey, Act p. 44; Porporato, in VD 1936 p. 81-8.

[6]Billot, Insp. p. 38-9.

[7]Etiam hi affectus interdum dicuntur "inspirati". Sed eorum inspiratio essentialiter differt ab inspiratione Scripturae de qua agit noster tractatus. Cf. supra p. 605; Pesch, Insp. p. 405-6.

2. Specialem difficultatem creant *"psalmi imprecatorii"* (Ps 34, 51, 53, 54, 57, 58, 67, 68, 82, 136 etc.). Affectus enim quos hagiographus in eis expressit certo habiti sunt propter scriptionem, neque tamen videntur esse boni. Ps 108 non videtur huc pertinere, cum imprecationes non sint Davidis, sed eius inimicorum.

Ut eorum moralitas recte aestimetur, tria consideranda sunt:

a. Eorum moralitas non debet diiudicari ex sermone montano. Lex moralis V.T. *imperfecta* erat, et Christus venit ut eam perficeret.

b. Psalmi pertinent ad genus literarium *poeticum;* atqui a) "poetis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas" (Horatius); b) poetae orientales adhibere poterant imagines tunc usuales.

c. Psalmi sunt *preces*. Et quamvis occasio eos componendi fortasse fuerit experientia personalis hagiographi, non exprimunt odium personale, sed inimicorum Dei, cui etiam relinquitur poena. Quia igitur psalmi imprecatorii poetice exprimunt odium peccati, zelum gloriae divinae, amorem iustitiae etc., etiam a nobis adhiberi possunt ut preces et ut tales recitandi imponuntur sacerdotibus.[8]

3. Genera literaria

1. Loquimur nunc de generibus literariis *communiter receptis,* non de iis quae quidam finxerunt ad solvendas difficultates historicas Scripturae (supra p. 652-3).

2. Non est genus literarium proprium Scripturae; libri sacri enim pertinent ad varia genera (supra p. 625). Quaeritur autem nunc quasi in abstracto num liber sacer pertinere possit ad *quodlibet?*

Respondemus: Affirmative, dummodo genus literarium sit *per se honestum;* nam etiam genus literarium est inspiratum (supra p. 614). Excluduntur a) ea quae per se ducunt in errorem (v.g. caricatura), b) moraliter mala (lasciva, impia, calumniosa etc.).

Disputatur num Deo sat dignae sint fabulae, mythi etc. Multum pendet a *definitionibus* quae his terminis dantur. Speciatim quoad *fabulas*: a) Leguntur quidem duae in V.T. (Jud 9, 8-15; 4 Reg 14, 9); sed hae mere citantur ab hagiographo. b) Christus num-

---

[8] S. Thomas II II qu. 25 a. 6; qu. 83 a. 8; Pesch, Insp. p. 454; Dorsch III p. 74, 185-191; Bea p. 80-1; Merk, in IB p. 71-2; DA IV col. 493-5; CE s.v. Psalms; LThK s.v. Fluch; Bierbaum p. 49-55; Boylan, The Psalms II p. 216-7.

quam docuit in fabulis. c) S. Hieronymus quidem locutus est de "fabulis" Samsonis, Susannae etc., sed aliunde constat eum hac voce designasse facta historica.[9]

3. Quaestio ad *quod* genus literarium pertineat liber sacer vel pars eius, per se non solvitur ex eius inspiratione, sed (sicut in aliis libris) ex lectione, ex testimonio coaevorum vel peritorum etc.[10]

---

[9]Höpfl, Insp. p. 77; Tromp p. 125-6.
[10]Dorsch III p. 316-9; Tromp p. 122.

CAPUT TERTIUM

CRITERIUM INSPIRATIONIS

1. In se, libri sacri differunt ab aliis libris quia sunt inspirati et canonici, i.e. quia "Spiritu s. inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales Ecclesiae traditi sunt" (D 1787). Quaeritur autem quomodo Ecclesia eos ut tales *dignoscere* potuerit.

2. Quae quaestio est duplex. Nam inspiratio biblica sensu completo includit et *inspirationem* et *canonicitatem* (in actu primo). Porro de inspiratione qua tali tria quaeri possunt: a) quomodo in genere liber inspiratus *differat* ab aliis libris, b) in quo *consistat* inspiratio ipsa, c) quousque inspiratio se *extendat.*

Unde criterium inspirationis biblicae respondet quadruplici quaestioni: Quomodo Ecclesia cognovit, a) nudum *factum* inspirationis, b) *naturam* inspirationis, c) *extensionem* inspirationis, d) *canonicitatem.*

3. Quaerimus autem criterium *certum* et *universale.* Nam finis inspirationis biblicae absolute intentus erat liber inspiratus et canonicus et certo cognitus ut talis; ergo Deus curare debuit ut Ecclesia habeat criterium certum et universale, quod se extendat ad omnes libros inspiratos et canonicos.

Nota. Necessitas talis criterii etiam manifesta est ex *controversiis* inter Catholicos et Protestantes, atque olim etiam inter Catholicos ipsos. Cf. adversarios thesium 41-9.

4. Cognitio certa huius criterii necessaria erat *magisterio,* quod iam definivit responsa ad 4 quaestiones positas. Necessaria etiam est *theologo,* qui scire debet quod sit fundamentum ultimum doctrinae Ecclesiae de inspiratione biblica.

Thesis 51

Unicum criterium certum et universale inspirationis biblicae est originarie revelatio publica, ac proinde pro nobis Traditio.

Cf. Bainvel, Script. p. 164-171; Bea p. 118-138; DA II col. 908-911; Franzelin, Trad. p. 372-399; Humphrey ch. 3-4 et p. 136-142; Lercher I p. 583-5; Lusseau p. 179-188; Mazzella, Virt. p. 471-485; Merk p. 976-8; idem, in IB p. 88-96; Muncunill III p. 86-90; van Noort, Font. p. 18-20, 30-1; Pesch I n. 643-650; idem, Insp. p. 591-636; Prado p. 12-4; de San p. 301-329; Straub II p. 214-251; Tromp p. 25-33; Vosté p. 18-30; Zarb p. 495-526.

Quid sit inspiratio biblica, cf. supra p. 659.—Quid sit revelatio publica, cf. supra p. 25.—Quid sit Traditio, cf. supra p. 545.

Duo notanda:

a. Dicitur *'unicum'*. Non quidem negamus alia esse vel posse esse criteria (probabilia vel particularia) inspirationis biblicae, sed asserimus nullum aliud esse *simul* certum et universale.

b. Dicitur *'originarie'*, quatenus Deus revelare debuit inspirationem biblicam antequam homines (sive magisterium sive simplices fideles sive alii) eam certo cognoscere potuerint.

Thesis est *certa et communis*.

Adversarii

1. *Protestantes* generatim dicunt Scripturam esse **αὐτόπιστον,** i.e. *legitimare seipsam* ut verbum Dei. Quomodo id autem fiat, non uno modo explicant:

a. Lutherus posuit *doctrinam* libri ut criterium. Scil. secundum eum, religio christiana consistit in iustificatione per solam fidem; si igitur liber continet hanc doctrinam, est inspiratus; secus non.[1]

b. Calvinus, Zwingli etc. appellaverunt ad "testimonium Spiritus", i.e. ad *illuminationem privatam* qua Spiritus s. singulis legentibus testetur librum esse inspiratum.[2]

c. Alii dixerunt Scripturam ipsam (vel hagiographos) *testari* suam inspirationem (v.g. 2 Tim 3, 16)—idque sufficere.

---

[1] W. F. Farrar p. 331-8.

[2] supra p. 419; Schaff, Creeds etc. I p. 767; Briggs, Study etc. p. 142, 163-8; J. Orr, Problem of the O. T. p. 29-51; Concordia Cycl. s.vv. Bible, Inspiration.

d. Multi appellant ad *gustum internum,* i.e. ad affectus pios et sanctos quos Scriptura producat in legentibus.

e. Anglicani potius appellant ad *res prorsus singulares* (revelationes, prophetias, miracula) quae leguntur in Scriptura, vel ad eius *dictionem* simplicem ac sublimem, vel ad alia id genus.

f. Multi theologi Protestantes criterium inspirationis ponunt in *unitate doctrinali* omnium librorum Scripturae.[3]

2. *Rationalistae,* quibus deest conceptus distinctivus inspirationis biblicae (supra p. 583), solum quaerunt criterium *canonicitatis* (in actu secundo).

Speciatim *Harnack* saepius egit de formatione canonis N. T. Secundum eum, Ecclesia statuit suum canonem post et propter Marcionem. Criterium autem quo Ecclesia discernebat libros canonicos a non-canonicis, erat triplex: a) origo libri apostolica, b) usus libri diuturnus, c) praesertim doctrina eius; scil. in canone N. T. Ecclesia posuit solos eos libros qui continent genuinam doctrinam Christi. Rediit Harnack igitur ad Lutherum.[4]

Prima pars probatur

Nota. Primo probamus criterium debere esse revelationem, dein eam debere esse publicam. Unde prima probatio potius agit de certitudine criterii, altera de eius universalitate.

A. Inspiratio biblica (sub quadruplici aspectu) active sumpta est *actio Dei libera.*

Ergo pro certo cognosci nequit nisi aut ex *effectu* aliquo huius actionis divinae aut ex *revelatione.*

Atqui inspiratio biblica nequit certo cognosci ex effectu suo.

Ergo non nisi ex revelatione.

Ad ant. Merito incipimus ab inspiratione active sumpta. Nam inspiratio biblica ultimatim est actio Dei libera, qua Deus ut causa principalis voluit ut hi libri scriberentur et qua tales traderentur Ecclesiae. Scil. indoles peculiaris Scripturae est eius origo et finis (operantis) *praeternaturalis.*

Ad prim.cons. Actio libera Dei certo cognosci potest a) si Deus ipse eam testatur, vel b) si effectus explicari nequit nisi ex libera actione divina.

Dices: Datur tertium, scil. *scientia infusa.*

R. Scientia infusa deberet dare evidentiam internam rei. Atqui hanc non possumus habere de actione Dei libera, saltem non ita ut fiamus certi.

---

[3] Ita Westcott, J. Orr. l.c. p. 30-1.

[4] Harnack, Hist. of Dogma II p. 38-67; idem, Entstehung etc. p. 21-8; Knopf p. 165, 175; Suppl. I col. 1040-1.

Prob.min. Triplex effectus inspirationis adduci potest: a) inspiratio passive sumpta, i.e. in hagiographo; b) inspiratio terminative sumpta seu ipse liber (doctrina, dictio, unitas etc.); c) effectus quem liber producit in legentibus (gustus internus).

Atqui nullus ex his effectibus est criterium certum. Nam

1. *Non inspiratio passive sumpta.* Nam hagiographus non necessario conscius fuit suae inspirationis (supra p. 623-4). Sed etiamsi omnes hagiographi fuerint conscii suae inspirationis, talis conscientia a) deberetur influxui divino speciali, qui aequivaleret revelationi, b) per se non includeret canonicitatem, c) difficile probaretur aliis.

2. *Non liber sacer ipse.*

a. Non *doctrina* vel *res* quas continet. Nam a) eaedem res etiam continentur in libris quos Protestantes non habent ut inspiratos; v.g. in libris apocryphis, in commentariis Patrum et exegetarum, in hodiernis vitis Christi etc. b) Eaedem res disci poterant per revelationem vel aliter, ac dein scribi ab hagiographo ut auctore principali; atqui talis liber non esset inspiratus sensu nostro. c) Longae partes librorum sacrorum continent inspirata per accidens, quae tamen sunt vere inspirata.

b. Non eius *dictio*. Nam a) nulla est dictio (stilus, lingua, genus literarium) propria Scripturae (supra p. 625). b) Dictio non semper eadem est neque perfecta (classica). c) Dictio sublimis quae adest in aliquibus locis, etiam explicari potest per ingenium naturale hagiographi (v.g. Isaiae) vel per artem infusam.[5]

c. Non *organica unitas* omnium librorum Scripturae. Nam a) etiam alii libri (sive singuli sive multi simul), quos nemo dicit inspiratos, gaudent unitate organica; v.g. Summa S. Thomae. b) Probare hanc unitatem per totam Scripturam, difficile est neque gigneret certitudinem.

Dices: Inspiratio debet libro conferre *aliquam* perfectionem peculiarem, quaecunque tandem est. Haec igitur potest esse criterium inspirationis.

R. *Dist. ant.* ita ut certo manifestet originem et finem (operantis) praeternaturalem *N.* aliter *Tr.* Origo et intentio praeternaturalis rei non semper dignosci potest ex re ipsa. Sic sanitas restituta per miraculum et quidem ob finem apologeticum *in se* non differt a sanitate naturaliter restituta.

Urg. "Nobody could ever show where such a thing as the Gospel came from, unless from God" (Hogan p. 89).

---

[5]McClorey, in EcclR 1929 I p. 586-592.

R. *Dist.* doctrina evangeliorum, quae est Christi *Tr.* ipsa evangelia qua libri *N.* Cur auctor non-inspiratus non potuit scribere libros similes? Cf. L 1, 1 "multi".

3. *Non gustus internus.* Nam a) non soli libri Scripturae producunt in legentibus affectus pios. Aeque piae sunt epistolae S. Ignatii M., Imitatio Christi etc.; neque negandum est Mahometanos experiri emotiones religiosas intensas in legendo Koran. b) Libri Scripturae non excitant hos affectus in omnibus legentibus, neque in iisdem legentibus semper. S. Augustinus confitetur se magis excitatum esse ad amorem sapientiae legendo Hortensium Ciceronis quam legendo Scripturam.[6] Atque recte arguit Reimarus rationalista: Cur Judaei, Turcae, pagani et omnes qui negant divinitatem Scripturae, non sentiunt hos affectus et convertuntur? c) Cum sane non sufficiat quilibet gradus pietatis, saltem statui deberet gradus qui non possit explicari nisi ex inspiratione.

Nota. Etiam apologetae *catholici* interdum appellant ad eosdem effectus (v.g. Hogan, Clerical Studies p. 88-9; Glenn, Apologetics p. 292; Lunn, The Flight from Reason p. 21-2); possunt aliquomodo sumi ut criterium vagum vel negativum inspirationis.[7]

Dices: Etiam inspiratio est revelatio. Ergo nostrum criterium involvit *circulum vitiosum.*

R. Inspiratio est species revelationis (supra p. 590, 624); una species autem confirmari potest per aliam melius cognoscibilem.

Urg. Unicum criterium certum revelationis est *miraculum* (supra p. 78); ergo etiam inspirationis biblicae.

R. *Dist. ant.* ita ut unaquaeque veritas revelata confirmari debeat suo miraculo *N.* ita ut sufficiant miracula pro veritatibus logice fundamentalibus *C.*

Urg. Saltem esset criterium sufficiens si Deus confirmaret inspirationem per miraculum.

R. *N.* vel *Dist.* sine revelatione inspirationis *N.* cum revelatione inspirationis *Tr.* Sine revelatione enim nemo suspicaret nexum logicum inter miraculum et inspirationem v.g. huius libri.

B. Revelatio qua cognoscitur inspiratio biblica, aut est privata ("testimonium Spiritus") aut publica aut assertio Scripturae.

Atqui non revelatio privata neque assertio Scripturae.

Ergo revelatio *publica.*

Prob.min.

a. *Non revelatio privata.* Quamvis enim talis modus revelationis sit possibilis, tamen a) improbabilis est post institutionem Ecclesiae et magisterii; b) contradicit historiae, quae narrat controversias de omnibus elementis inspirationis biblicae.

---

[6] Conf. 3, 4-5; cf. HE IV p. 48.

[7] Humphrey p. 63-4; Tromp p. 27-8.

b. *Non assertio ipsius Scripturae.* Imprimis enim non licet supponere inspirationem; secus incurreretur circulus. Non supposita autem inspiratione Scripturae, assertiones sive Christi sive Apostolorum sive ipsorum hagiographorum sunt valde incompletae (supra p. 566, 587-9, 596).

Schol. 1. Quaeres *cui* Deus revelaverit inspirationem biblicam? Paucis respondeamus:

a. Quoad *libros V.T.* distinguendum est: a) Dubitari vix potest quin inspiratio biblica fuerit olim revelata *Judaeis.* V.T. enim proxime et immediate a Deo intendebatur pro eis; unde conveniens erat ut non penitus ignorarent eius dotes praeternaturales, quas cognoscere non poterant absque revelatione. Accuratius loqui vix licet. b) *Christus* oretenus testatus est indolem praeternaturalem V.T. Apostolis (supra p. 566, 587). Neque hic accuratius loqui licet.[8]

b. Quoad *libros N.T.*: Horum inspirationem *Spiritus s.* revelare debuit *Apostolis;* eis enim traditum est totum depositum fidei. At inspiratio et canonicitas omnium librorum N.T. non videtur esse revelata singulis Apostolis; secus vix orta essent dubia de canone.[9]

Schol. 2. Quaeres ulterius *qualis* fuerit revelatio inspirationis. Aliquid enim revelari potest formaliter vel virtualiter, et revelatio formalis iterum potest esse explicita vel implicita.

1. Finlay (Divine Faith p. 46-7) supponit inspirationem tantum virtualiter (mediate) revelatam esse: "God has not told me that the Epistle to the Hebrews is an inspired Epistle. He has told me that all Scripture is inspired, but He has not told me that the Epistle to the Hebrews is part of Scripture". Quodsi ita esset, inspiratio biblica esset "factum dogmaticum" (supra p. 427).

Sed certum est inspirationem biblicam esse *formaliter revelatam.* Etenim Ecclesia eam *definivit;* ergo aut habuit formalem revelationem de ea aut certitudinem naturalem (non datur tertium). Atqui non habuit certitudinem mere naturalem; eam enim non aliter acquisivisset nisi sicut ceteri homines, scil. ex effectibus, qui non ducunt ad certitudinem (supra p. 662-3). Ergo Ecclesia definivit inspirationem biblicam propter revelationem formalem.

Hinc tria sequuntur: a) inspiratio biblica (sub quadruplici re-

---

[8]Merk p. 1019; Tromp p. 11; Höpfl, Introd. p. 31-2.
[9]Tromp p. 11; Merk p. 1019.

spectu) pertinet ad ***depositum fidei;*** b) etiam *canon* Scripturae (canonicitas in actu primo) est de fide divina, non mere ecclesiastica (supra p. 574); c) nullus liber inspiratus et canonicus compositus est post mortem ***ultimi Apostoli;*** fuisset enim additio ad depositum fidei (thes. 37).

2. Cum autem fere omnes theologi haec admittant, aliqui putant revelationem inspirationis fuisse implicitam. Atque rem sic explicant:

a. Quoad V.T., aliqui putaverunt inspirationem implicite contineri in munere prophetico, ita ut liber V.T. sit inspiratus si sit scriptus a ***propheta.***

At a) aliud est propheta (sensu stricto), aliud hagiographus (supra p. 623). b) Historice neque dogmatice constat omnes hagiographos V.T. fuisse prophetas sensu stricto; saepe nescitur qui fuerint (v.g. auctor Tob).

b. Quoad N.T., sat multi theologi catholici (v.g. Lamy, Ubaldi, Szekely, Schanz, van Noort, Lagrange, Joüon, Höpfl, Sickenberger, Zarb) putant eius inspirationem implicite contineri in munere apostolico, ita ut liber sit inspiratus si sit scriptus ab aliquo *Apostolo.*[10]

Porro aliqui dicunt apostolicitatem esse saltem criterium ***positivum*** inspirationis.

At a) aliud est Apostolus, aliud hagiographus. b) Duo evangelia (Mc et L) et Actus non sunt scripta ab Apostolis, et tamen numquam dubitabatur de eorum inspiratione; e contra, "Epistola Barnabae", cuius auctor putabatur Barnabas Apostolus, non habebatur ut inspirata nisi a paucis.[11]

Dices 1. Marcus et Lucas iure adnumerantur Apostolis hac in re; nam iuxta traditionem, eorum evangelia scripta sunt *quasi dictantibus Apostolis,* scil. Petro et Paulo.

R. a) Traditio ista nullo modo innuit Marcum et Lucam fuisse meros amanuenses Petri et Pauli; et si fuissent, eorum evangelia sine dubio sub horum nomine vulgata essent.—b) Quid de Actibus? Nemo umquam dixit hunc librum scriptum esse dictante Apostolo.

Dices 2. (cum Michaelis): Prophetae V. T. erant inspirati; ergo a fortiori Apostoli.

R. 1. *Dist. ant.* inspirati qua prophetae *Tr.* sensu nostro *subd.* vi muneris

---

[10] Idem senserat Michaelis, theologus Protestans (Einleitung I p. 79-101). Argumenta habes apud Dorsch III p. 224; de San p. 303; van Noort p. 31; Zarb p. xxii-xxiii; Lagrange, in Revue biblique 1935 p. 212-9.

[11] Alias rationes habes apud Dorsch III p. 224-8; de San p. 307-310.

prophetici *N.* vi charismatis specialis *Tr.* Dein quid de libris V. T. qui non sunt scripti a prophetis vel quorum auctores ignorantur?

R. 2. *Tr.ant. N.cons.* Neque enim maior dignitas apostolica necessario includit omnia charismata inferiora.

Dices 3. Apostoli habuerunt non tantum assistentiam divinam, sed etiam motionem divinam ad praedicandum. Ergo sive praedicabant ore sive scriptis, moti sunt a Spiritu s. Atqui inspiratio biblica est ***motio divina ad scribendum.***

R. 1. Hoc argumento ad summum probatur omnia scripta apostolica esse inspirata. Quid autem de Mc, L, Act?

R. 2. Argumentum deficit ob duo: a) Apostolis datum est mandatum ad praedicandum, quod per se sufficiebat; sed mandatum exercet merum influxum moralem (externum), cum inspiratio biblica sit influxus *physicus* (supra p. 631-2). b) Mandatum ad praedicandum se extendit tantum ad res fidei ("quaecunque mandavi vobis"); ergo si sufficeret ad inspirationem biblicam, inspiratio se extenderet tantum ad inspirata per se; atqui inspiratio se extendit etiam ad ***inspirata per accidens.***[12]

c. Ergo sententia communior recte tenet inspirationem biblicam sub quadruplici respectu fuisse ***explicite revelatam.***[13]

d. Quodsi ita est, tria sequuntur *corollaria*: a) Potuit aliquis esse propheta vel Apostolus, neque unquam gaudere dono inspirationis biblicae (v.g. Andreas, Philippus). b) Librum esse "sacrum et canonicum", non statim sequitur ex eo quod scriptus est ab Apostolo—neque etiam ex eo quod Apostolus voluit munus suum exercere scripto—immo neque ex eo quod Apostolus in eo praedicare voluit novam revelationem. c) Licet Paulus alias epistolas scripserit praeter 14 canonicas (supra p. 172), non est certum eas fuisse inspiratas sensu nostro.

Schol. (dogm.) Inspiratio biblica igitur est ***charisma distinctum.*** Charisma enim a theologis definitur: Donum Dei indebitum, gratis datum, transiens, extraordinarium. Atqui inspiratio biblica a) nulli debetur, b) primarie confertur in bonum legentium, non ipsius hagiographi, c) non datur per modum habitus, sed hinc inde, d) neque datur secundum legem aliquam, ne ita quidem ut adnexa sit alteri muneri; v.g. prophetae vel Apostoli.[14]

---

[12]Straub I p. 163; Vaccari, in Gregorianum 1934 p. 456-466; 1935 p. 296.—Aliter huic difficultati respondent Vosté (p. 24) et Bea (p. 123-4): Apostoli munus suum exercuerunt tantum *viva voce;* unde cum scripserunt, non scripserunt qua Apostoli. Quae responsio minus placet. Nam sicut hodiernum magisterium praedicat ore et scripto, ita etiam Apostoli. Sane et S. Petrus (1 Petr 1, 1; 2 Petr 1, 1) et S. Paulus (Rom 1, 1; 1 Cor 1, 1 etc.) suas epistolas scripserunt qua Apostoli.

[13]Pesch, Insp. p. 611-636; Dorsch III p. 228-234; Franzelin, Trad. p. 372-8; de San p. 308-310; Venard, in Revue apol. 1935 p. 477-481; K. Smyth, in Cath. Bibl. Qu. 1940 p. 229-244.

[14]Humphrey p. 56-60.

SECUNDA PARS PROBATUR

1. *Ex doctrina Patrum*

Patres explicite vel implicite docent inspirationem biblicam pertinere ad magisterium. Etenim:

Id supponitur in *Fragmento muratoriano* (lineis 66, 73, 77).

S. Irenaeus tamquam principium statuit homines non posse "Dominicis Scripturis nutriri nisi in Ecclesia" (Adv. haer. 5, 20). Quod principium dein *repetitur* a pluribus Patribus.

S. Cyrillus Hieros.: "Studiose quoque et ab Ecclesia disce quinam sint V.T. libri, quinam N.T. (Cat. 4, 33)".

Notum est dictum S. Augustini: *"Ego evangelio non crederem nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas"* (Contra ep. Man. 5, 6). Quod dictum iam in *proverbium* abiit. Similia S. Augustinus habet in 'Contra Faustum' 33, 9 et 'De civ. Dei' 18, 41.[15]

Dices: Aliqui Patres putaverunt etiam libros *extra* canonem Tridentinum esse inspiratos, et multi habuerunt LXX ut inspiratam. Ergo Patribus defuit bonum criterium.

R. *Tr.ant. N.cons.* a) Aliud est criterium ipsum vel eius cognitio, aliud eius applicatio. b) Datur progressus dogmaticus.

2. *Ex constanti praxi Ecclesiae*

Inde ab initio, magisterium sibi vindicavit ius a) decernendi qui libri sint "sacri et canonici", qui non, b) definiendi conceptum inspirationis eiusque extensionem, c) obligandi fideles ad eadem accipienda. Patet ex multis documentis quae magisterium edidit circa haec.[16]

3. *Ex ratione theologica*

Praedicatio magisterii est fons totius revelationis, cuius inspiratio biblica est pars.—Neque est aliud criterium certum simul et universale. a) Non traditio Judaeorum: Haec enim deficit quoad totum N.T., neque clare proponit naturam aut extensionem inspirationis, neque dat certitudinem quoad canonem V.T. b) Neque traditio mere historica: Haec enim non dat certitudinem de canone V.T. et N.T., neque de natura et ambitu inspirationis.

Cor. 1. Ergo probatio principalis inspirationis biblicae sub quadruplici respectu debet esse *dogmatica.*

Speciatim quoad probationem *canonis* duo notentur:

a. Probatio dogmatica non neglegit aut detorquet facta historica

---

[15] Bea p. 131-4.
[16] Bea p. 134-6.

(v.g. dubia magnorum Patrum). At cum rationalistae omnibus his factis aequalem vim (pro vel con) tribuant, nos distinguimus. Cum enim canon sit res fidei, *maiorem* vim dogmaticam tribuimus praedicationi (explicitae et implicitae) magisterii.

Unde etiam patet cur Conc. Trid. non solverit *obiectiones* historicas antequam definiret canonem.[17] Documenta praedicationis praeteritae magisterii enim ei praebuerunt argumentum *positivum* plene sufficiens ad definitionem. Solutionem obiectionum (quantum possibilis est) transmisit ad theologos.

b. Sunt qui putent traditionem mere historicam dare *certitudinem* de canone.[18] Id quod omnino negandum videtur; nisi enim fiat distinctio dogmatica, omnia facta historica sunt eiusdem valoris.[19]

Cor. 2. Ergo nulla datur revelatio publica quae non sit conservata per *Traditionem.* Atque etiam Scriptura pertinet ad obiectum primarium Traditionis.

Schol. 1. Cum omnis revelatio publica data sit Apostolis, et cum Traditio fundetur in eorum testimonio, quaeres quomodo aut quando Apostoli *testati sint* inspirationem biblicam? Paucis respondeamus:

a. Quoad V.T.: Dubium vix est quin Apostoli explicite testati sint inspirationem librorum *protocanonicorum V.T.* Eorum attestatio librorum *deuterocanonicorum V.T.* autem videtur fuisse potius implicita; v.g. quatenus ecclesiis tradiderunt LXX, in qua libri utrique permixti erant; si enim eorum attestatio fuisset explicita, vix ortae essent controversiae postea.

b. Quoad N.T.: Documentatio historica huius attestationis est valde manca (supra p. 589).

Schol. 2. Quaeres tandem num canon Trid. sit *exclusivus?*

Responsio affirmativa videtur esse *certa,* licet non explicite contineatur in D 784. Nam Ecclesia nihil amittere aut oblivisci potest eorum quae pertinent ad depositum fidei. Atqui nulla est traditio (historica aut dogmatica) in Ecclesia de alio libro tamquam "sacro et canonico". Ergo nullus alius liber pertinet ad Scripturam.[20]

---

[17]Zarb p. 253-262.
[18]Prado p. 94; Schiffini p. 741; de San p. 330; Rosadini I p. 33.
[19]van Noort, Font. p. 17; Dorsch III p. 234-7, 242.
[20]Bea p. 137-8; Pesch, Insp. p. 600; Prado p. 112-4; Straub II p. 218-220.

Ergo si inveniretur alia epistola S. Pauli, non esset ponenda in canone Scripturae (quamvis aliter sentiant Schiffini p. 569-571 et Zarb p. 535). Talis epistola potuit esse inspirata quidem, sed ei defuisset canonicitas (in actu primo).[21]

Ergo apostolicitas non est criterium positivum inspirationis complete spectatae.

---

[21] Rosadini II p. 67; Tromp p. 24-5; Holzmeister, Introd. p. 112.

CAPUT QUARTUM

HERMENEUTICA BIBLICA

Introductio

1. *Hermeneutica* (ab ἑρμηνεύειν interpretari) est scientia et ars recte interpretandi. Recta interpretatio autem est ea quae patefacit verum seu *genuinum sensum* libri, i.e. sensum subiectivum auctoris; opponitur interpretationi malae, qua interpres vendit suas ideas pro ideis auctoris. Sicut igitur Logica statuit leges recte cogitandi, ita hermeneutica statuit leges seu *normas* iuxta quas libri (scripta, documenta etc.) interpretandi sunt ut eruatur verus eorum sensus.

Ab hermeneutica differt *exegesis* (ab ἐξηγεῖσθαι explicare, enarrare); illa mere statuit normas, haec eas practice *applicat*. Atque exegesis diversimode fieri potest: per simplicem versionem in aliam linguam (etiam versio enim est interpretatio), per paraphrasim, homiliam, commentarium, glossam, scholion etc.[1]

2. Hermeneutica est *generalis* vel *specialis*, prout statuit vel normas communes omni interpretationi, vel eas quae observandae sunt in interpretatione certae classis librorum.

3. Hermeneutica *biblica* est specialis; est enim scientia et ars recte interpretandi *Scripturam*.

Eius necessitas autem patet ex indole speciali Scripturae, scil. ex inspiratione biblica. Libri Scripturae enim sunt "sacri et canonici", i.e. habent Deum auctorem principalem et qua tales traditi sunt Ecclesiae. Hac indole praeternaturali Scriptura discernitur ab omnibus aliis libris mundi. Cf. supra p. 589.

4. Hermeneutica biblica generatim in 3 partes dividitur:

a. *Noematica* (νοῦς sensus) statuit quotuplex in genere sit sensus Scripturae et quomodo exprimatur.

b. *Heuristica* (εὑρίσκειν invenire) statuit normas quibus invenitur verus sensus Scripturae.

c. *Prophoristica* (προ-φέρειν proponere) statuit methodum qua sensus Scripturae sit aliis communicandus.

5. Cum prophoristica potius pertineat ad Theologiam pastoralem, eam omittimus. Agimus de sola noematica et heuristica.

[1] Höpfl, Insp. p. 210-221.

Sed antea nobis probanda est exsistentia typorum, qui sunt aliquid proprium Scripturae.

Unde 3 erunt articuli huius capitis:

a. Exsistentia typorum
b. Sensus S. Scripturae
c. Inventio sensus S. Scripturae.

ARTICULUS 1

EXSISTENTIA TYPORUM

Thesis 52

Exsistunt typi in S. Scriptura, saltem in V. T.

1. Etymologice, vox 'typus' (a τύπτω stamp) significat impressionem seu figuram factam ictibus, verberibus etc.; dein etiam exemplar cui simile aliquid fit vel fieri debet. Cf. Zorell s.v. τύπος.[1]

2. *In usu Ecclesiae*: a) sensu lato, typus saepe vocatur res quaelibet V.T. quae et quatenus prae se fert aliquam similitudinem cum re N.T.; b) sensu *stricto* (theologico) autem, typus est res (i.e. institutum, persona, res, actio, dictum etc.) quae non tantum habet exsistentiam absolutam, sed ex intentione Dei etiam praefigurat rem aliam (futuram). Res praefigurata (futura) vocatur '*antitypus*'.

Tria igitur sunt elementa typi sensu stricto: a) Res praefigurans debet habere suam *propriam* exsistentiam, i.e. exsisteret vel haberet rationem exsistendi etiamsi non esset typus; b) debet esse *similitudo realis* inter rem praefigurantem et praefiguratam; c) haec similitudo debet esse *intenta a Deo*.

Nota. Secundum elementum interdum dicitur esse similitudo vel *oppositio* (v.g. inter Adam et Christum—Rom 5, 14).—Interdum additur quartum elementum, scil. quod typus debeat pertinere ad ordinem *inferiorem*, antitypus ad superiorem.

3. Ergo patet quomodo typus sensu stricto differat a rebus affinibus:

a. Differt a *symbolo*, cuius tota ratio exsistendi est in praefigurando, i.e. quod non haberet rationem exsistendi nisi praefiguraret' aliquid aliud.[2] Unde typus dicitur res et signum, symbolum merum signum.

b. Differt a *prophetia*, quae non habet similitudinem realem cum re praedicta.

c. Differt etiam a similitudine *naturali*, quam Deus non specialiter intendit.

---

[1]Variae significationes vocis anglicae 'type' inde derivantur: emblem, mark, ideal, representative etc.

[2]v.g. duo calathi pleni ficis in Jer 24, vel actio Agabi in Act 21, 11; cf. Jer 13, 1-11; Is 20, 2.

d. Differt tandem ab *allegoria,* quae abstrahit a successione rerum neque specialiter intenditur a Deo.

4. "Exsistunt", i.e. *de facto*. Non probamus thesim a priori.

Thesis non est definita; at potest dici *proxima fidei;* saltem est *certa et communis.*[3]

ADVERSARII

Marcionitae, Montanistae, Manichaei negaverunt omnem *nexum* inter V.T. et N.T.—Lutherus et Socinus reduxerunt omnes typos V.T. ad similitudinem *naturalem,* quae nihil speciale habeat. Locos N.T. in quibus res V.T. supponuntur esse typi, dixerunt esse exempla hermeneuticae rabbinicae.—Eos sequuntur deistae et rationalistae.[4]

Nota. Protestantes 'orthodoxi' vix a nobis dissentiunt.

THESIS PROBATUR

1. *Sensus Ecclesiae* patet ex D 712 ("significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta") et ex liturgia; v.g. in Missa SS. Corporis:

"In figuris praesignatur (scil. Eucharistia)
Cum *Isaac* immolatur,
Agnus Paschae deputatur,
Datur *manna* patribus".

2. Ex consensu *Patrum* et *Theologorum*

a. Ait Cornely: "Ne unum quidem ex celebrioribus Patribus sive orientalibus sive occidentalibus inveniri puto quin hanc doctrinam teneat" (Introd. I p. 588). Atque dictum S. Augustini *"N.T. in vetere velabatur, V.T. in novo revelatur"* quasi in *proverbium* abiit.

b. Eadem est doctrina Theologorum. Speciatim *S. Thomas* existentiam typorum in V.T. docet in I qu. 1 a. 10 (cf. Quodl. VII a. 14-6; Comm. ad Gal IV lectio 7).[5]

3. Ex *S. Scriptura*

Quidquid asserunt *Christus* et *hagiographi,* necessario verum est.

Atqui et Christus et hagiographi N.T. saepe asserunt in V.T. contineri typos.

---

[3]Cornely, Introd. I p. 556, 558; Prado p. 205; Vaccari, in IB p. 352; Kortleitner p. 25.

[4]Maas, in CE s.v. Types in Scripture.

[5]Maas, in CE s.v. Exegesis; Cornely, Col p. 284; Billot, Insp. p. 85-6; Kortleitner p. 24.

Ergo V.T. continet typos.

Prob.min.

Nota. Terminologia quidem sumpta est ex N.T.; sic Paulus utitur vocibus τύπος (Rom 5, 14; 1 Cor 10, 6) et τυπικῶς (1 Cor 10, 11); Petrus et Paulus utuntur voce ἀντίτυπος (1 Petr 3, 21; Hebr 9, 24). At non probamus thesim ex meris vocibus. Nam a) voces istae habent significationem multiplicem in N. T. et diversimode vertuntur in Vulgata latina (cf. Act 7, 43-4; Rom 6, 17; 1 Cor 10, 6; Phil 3, 17; 1 Tim 4, 12); b) veri typi etiam designantur aliis vocibus; v.g. Gal 4, 24 ἀλληγορούμενα; Col 2, 17 σκιὰ τῶν μελλόντων; Hebr 8, 5 ὑπόδειγμα καὶ σκιά; Hebr 9, 9 παραβολή.

Minorem igitur probamus potius ex assertis *implicitis*.

a. *In genere*: In Col 2, 16-7 Paulus asserit instituta et legalia V.T. fuisse "umbram futurorum, corpus autem Christi". Et in 1 Cor 10, 11 ait: "Haec omnia in figura (τυπικῶς) contingebant illis".

b. *Typi particulares*: a) Ex dictis Christi ("sicut—ita oportet"), serpens aeneus in deserto praefiguravit mortem eius (J 3, 14), Jonas eius mortem et resurrectionem (Mt 12, 40), manna Eucharistiam (J 6, 31-2) etc. b) Secundum S. Paulum, Adam fuit typus Christi (Rom 5, 14; cf. 1 Cor 15, 45); Melchisedech praefiguravit sacerdotium Christi (Hebr 7, 3) etc.[6] c) S. Petrus dicit arcam Noe fuisse typum baptismi (1 Petr 3, 21). d) Evangelistae saepe asserunt quaedam facta esse *"ut* impleretur Scriptura" (i.e. V.T.), quae tamen originarie aliquid aliud significabant. Compara J 19, 36 ("non fregerunt eius crura") cum Exod 12, 46 et Num 9, 12; vel J 13, 18 (proditio Judae) cum Ps 40, 10; vel Mt 27, 9 (30 argentea) cum Zach 11, 12-3 et Jer 32, 6-9 etc.

Nota. *Dictum* aliquod V.T. quod respicit *futurum,* potest esse prophetia vel typus. Sic Isaias multa praedixit de Messia futuro (supra p. 337-9). Sed hagiographi etiam asserunt dicta quaedam V. T. impleta esse, quae tamen originarie prorsus *alia* significaverant. Compara Mt 2, 17 (ululatus mulierum Bethlehem) cum Jer 31, 15; vel Mt 3, 3 (verba Ioannis Bapt.) cum Is 40, 3; vel Mt 13, 35 ("sine parabolis non loquebatur eis") cum Ps 77, 2 etc. Talia dicta V.T. igitur sunt veri typi.

Cor. Ergo locus V.T. quo describitur typus, est a) inspiratus per se et b) verbum Dei ab intrinseco. Typus enim specialiter intenditur a Deo ob finem religiosum.

Schol. 1. *Causa typorum*

Solius Dei est ordinare res quae habent exsistentiam propriam, ita ut praefigurent aliquid futurum. Solus Deus enim, cuius providentiae omnia subsunt, sic *ordinare* potest res historicas ut una praefiguret aliam. Cf. S. Thomas, Quodl. VII a. 16.

---

[6] Cornely, Rom p. 290; Ogara, in Gregorianum 1936 p. 135-142.

Schol. 2. *Cognitio typorum*

Rem aliquam fuisse typum, pro certo cognosci nequit nisi ex *revelatione*. Typus enim non oritur ex mera similitudine naturali inter duo eventus, sed ex intentione Dei. Nobis igitur typi non constant nisi ex *Scriptura* vel *Traditione*.

Duo tamen addi possunt:

a. Praeter typos qui explicite vel implicite proponuntur in his fontibus, *alii* statui possunt (saltem cum probabilitate). Id sequitur a) ex eo quod Paulus (Col 2, 16-7) asserit V.T. *in universum* fuisse figuram N. T.; b) ex dicto generali *S. Augustini* (supra p. 673); c) ex analogia fidei.[7]

b. Postquam semel constat rem aliquam V.T. fuisse typum, praefiguratio probabiliter *extendi* potest. Sic postquam constat David fuisse typum Christi, arguere licet eius victoriam de Goliath praefigurasse victoriam Christi de Satana.

Nota. Num *Judaei* cognoverunt typos V.T.? Distinguendum est: Modo generali Judaei potuerunt ac debuerunt intellegere sibi non esse salutem nisi per Messiam futurum, et legem mosaicam esse *praeparationem* ad eum; id quod patet ex multis locis evangeliorum (L 24, 44-7; J 4, 19-26; 5, 39; 5, 45-7). Sed dubium est num Judaei noverint typos *particulares*.[8]

Schol. 3. *Compenetratio*

Sunt quibus haec theoria placet: In eodem contextu V. T. typus et antitypus interdum miscentur seu se compenetrant, i.e. in eodem contextu agitur nunc de uno, nunc de altero, vel de typo dicuntur ea quae soli antitypo conveniunt. Tali compenetratione dicunt exprimi unitatem typi et antitypi quae est in mente divina.[9]

Schol. 4. *Typi in N. T.*

Disputant Theologi num sint typi etiam in N.T. At non est ratio cur negetur, praesertim cum a multis Patribus supponatur. Sic destructio Jerusalem iure videtur dici typus ultimi iudicii, cum Christus utrosque eventus tam arcte coniunxerit (in sermone eschatologico). Etiam navicula Petri fluctibus exagitata (Mt 14, 24) a multis Patribus habetur ut typus Ecclesiae militantis etc.

Utique non datur typus post-apostolicus; indigeret enim nova revelatione. Neque typi N. T. praefigurant Messiam, sed vitam futuram. Hinc dixit S. Thomas: "Sicut dicit Apostolus, lex vetus

---

[7] Prado p. 231-3.
[8] Pesch V n. 487.
[9] Pesch, Insp. p. 506; Prado p. 231; R. Hull, in Irish Eccl. Rec. 1922 II p. 594-601; Dean, Gospel acc. to St. Mark p. 57.

est figura novae legis, et ipsa nova lex . . . est figura futurae gloriae" (I qu. 1 a. 10).[10]

Nota. Noli confundere typum cum *causa exemplari* aut cum *exemplo imitando*. Sic resurrectio Christi minus recte dicitur typus nostrae resurrectionis; typus enim est imperfectior antitypo.

---

[10]Maas, in CE s.v. Exegesis; Pesch, Insp. p. 569; Bainvel, Script. p. 199; Cornely, Introd. I p. 562-3; Prado p. 205-6.

ARTICULUS 2

SENSUS S. SCRIPTURAE

Thesis 53

Sensus genuinus S. Scripturae alius est "literalis", alius typicus. Sensus "literalis" adest ubique et in singulis locis est unicus; sensus typicus fundatur quidem in "literali", sed non adest ubique.

Cf. Bainvel, Script. p. 193-200; Billot, Insp. p. 81-94; Cornely, Introd. I p. 539-563; DA s.v. Exégèse; Dorsch III p. 295-311; de Groot p. 716-722; Höpfl, Insp. p. 90-143; Kortleitner p. 8-34; Lesêtre, in Dict. de la Bible s.v. Littéral (Sens); Maas, in CE s.v. Exegesis; Merk p. 235-250; Muncunill III p. 97-101; van Noort, Font. p. 67-72; Pesch, Insp. p. 552-573; Schultes p. 553-7.

1. Quid sit sensus *genuinus* libri, cf. supra p. 670.

2. Loquimur de *sola Scriptura.* Haec enim differt ab omnibus aliis libris a) quatenus duplex est eius auctor, scil. Deus et hagiographi, et b) quatenus in ea dantur typi. Unde mirum non est quod de eius sensu moveantur quaestiones quae non moventur de aliis libris.

3. Sensus "literalis" et typicus

Sicut hodie in usu ordinario, ita etiam apud paucos Patres, sensus literalis est sensus proprius seu non-metaphoricus, vel sensus exactus et verbalis. Sed ubi theologi catholici hodie loquuntur de Scriptura, sensus "literalis" est ille quem verba ex contextu *immediate* prae se ferunt; non opponitur sensui metaphorico, sed tantum typico, quem verba exprimunt *tantum mediate,* i.e. *mediantibus rebus* quae alias res ex intentione Dei praefigurant.

Nota. Olim sensus "literalis" vocabatur historicus, grammaticalis etc., sensus typicus autem allegoricus, mysticus, spiritualis etc. Ne hodie quidem omnes his duobus terminis contenti sunt.

4. **Quinque** quaestiones moventur de sensu genuino Scripturae:

a. Quotuplex sit?

b. Num omnes loci Scripturae habeant sensum "literalem"?

c. Num unicus sit sensus "literalis" in singulis locis?

d. Quae sit relatio sensus typici ad "literalem"?

e. Num omnes loci Scripturae habeant sensum typicum?

His 5 quaestionibus respondebimus per 5 partes thesis.

Prima pars thesis dici potest *proxima fidei;* tertia pars est *probabilior et hodie communior.*[1] Ceterae partes sunt *certa et communis.*

Prima pars

1. *Explicatio*

a. Non asserimus alios locos Scripturae habere sensum "literalem" et non typicum, alios typicum et non "literalem." Sed in genere asserimus *adesse* duplicem hunc sensum (sive in iisdem sive in diversis locis) et utrumque esse *genuinum.*

Cum tamen nemo neget adesse sensum "literalem" saltem in aliquibus locis Scripturae, sufficit ut probemus adesse etiam sensum *typicum* in aliquibus locis eumque esse genuinum.

b. Adesse duplicem hunc sensum genuinum in Scriptura, asserimus sensu aiente. In Scholio dicemus num admittendi sint alii sensus genuini, seu num divisio nostra sit adaequata.

c. Copula "est" dicit tantum *'de facto'.*

2. *Adversarii* sunt iidem ac in thesi 52. Praeterea Loisy dicit sensum typicum tribui quibusdam locis ab Ecclesia, sed eis inesse negat.

3. *Probatio*

Si dantur in Scriptura typi, in ea datur etiam sensus typicus, qui etiam est genuinus. Atqui verum est antecedens. Ergo etiam consequens.

Prob.M. Si enim dantur in Scriptura typi, eius verba *mediate* exprimunt res futuras, quibus res narratae sunt similes. Porro hic sensus est *genuinus;* nam Deus voluit ut verba exprimerent res futuras.

Unde dicit S. Thomas: "Auctor rerum non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam potest res disponere in figuram. Et secundum hoc in Scriptura manifestatur veritas dupliciter: uno modo secundum quod res significantur per verba, et in hoc consistit sensus "literalis"; alio modo secundum quod res sunt figurae aliarum rerum, et in hoc consistit sensus spiritualis" (Quodl. VII 14).

4. *Corollaria*: a) Haec divisio sensus genuini est propria Scrip-

---

[1] Pesch, Insp. p. 565 negat oppositam sententiam esse vere probabilem.

turae; b) sensus typicus est inspiratus per se et verbum Dei ab intrinseco (supra p. 674).

5. *Obiectiones*

a. Duplex sensus creat *confusionem*. Ita rationalistae.

R. "Multiplicitas horum sensuum non facit aequivocationem aut aliam speciem multiplicitatis, quia . . . isti non multiplicantur propter hoc quod una vox multa significet, sed quia res ipsae significatae per voces aliarum rerum possunt esse signa" (S. Thomas I qu. 1 a. 10 ad 1). Unde *Dist.* duo sensus immediati *Tr.* vel *C.* duo sensus quorum unus est immediatus, alter mediatus *N.*

b. Non est sensus genuinus quem *hagiographus ignoravit;* ipse enim est verus auctor sui libri. Atqui hagiographus ignoravit sensum typicum.

R. *N.M.* Hagiographus neque est unicus auctor libri sacri neque principalis. Potuit igitur Deus, auctor principalis, intendere et exprimere sensum quem non intendit hagiographus.

Nota. Quia hagiographus potuit ignorare sensum typicum, aliqui tradunt has definitiones: Sensus "literalis" est ille quem Deus *et* hagiographus intenderunt et expresserunt; sensus typicus est ille quem Deus *solus* intendit et expressit.

c. Non est sensus genuinus libri quem *primi lectores* non potuerunt invenire. Atqui talis est sensus typicus.

R. *Dist.M.* libri profani *Tr.* libri sacri *N.* vel *subd.* neque primi neque posteriores lectores *Tr.* soli primi *N.*

d. Loci omnes qui adducuntur ut exempla sensus typici, explicari possunt ut exempla *sensus accommodati.* Atqui sensus accommodatus non est genuinus (cf. Schol.).

R. *Dist.M.* si ex fontibus revelationis constat agi de veris typis *N.* aliter *Tr.* Concedimus autem interdum difficile esse dicere utrum Christus vel hagiographi N.T. referant ad locos V.T. sensu typico an consequenti an accommodato.[7]

6. Scholion: *Alii sensus Scripturae*

Praeter sensum "literalem" et typicum, loquuntur de sensu pleniore, consequente, accommodato. Unde quaeritur a) quid sint, b) num sint genuini, c) quomodo se habeant ad sensum "literalem" et typicum?

a. Sensus *plenior* (extensivus) est sensus amplior, quem tamen hagiographus non clare intendit et quem primi lectores non plene cognoverunt. Sic prophetiae messianicae V.T. clarius et melius a nobis intelleguntur quam a prophetis V.T. vel a Judaeis. Ad rem S. Thomas: "Quia mens prophetae est instrumentum deficiens, etiam veri prophetae non omnia cognoscunt quae in eorum visis aut verbis aut etiam factis Spiritus s. intendit" (II II qu. 173 a. 4).[8]

Sensus plenior est quidem *genuinus;* nam certo intendebatur a

[7] Cornely, 1 Cor p. 246-9; 2 Cor p. 228.
[8] DA I col. 1832-5; Fernandez, in IB p. 354-5, 357-8.

Deo, auctore principali. Sed non est sensus tertius; nam eruitur a lectoribus posterioribus ex sensu obiectivo verborum comparato cum revelatione ulteriore.

b. Sensus *consequens* dupliciter sumitur: pro eo quod *formaliter implicite* vel *tantum virtualiter* continetur in verbis Scripturae. Primus sane est sensus *genuinus;* nam omnis auctor intendit ea quae formaliter implicite continentur in eius verbis. Sed non est sensus alius a "literali" vel typico.

Multum autem disputatur num alter sensus sit genuinus. Ratio affirmandi haec est: Spiritus s. optime novit conclusiones omnes quas homines ex verbis Scripturae legitime deducturi essent; ergo si voluit ut haec verba scriberentur, omnes has conclusiones intendit; atqui id quod Spiritus s. intendit verbis Scripturae, est eius sensus genuinus. At multo *probabilior* est sententia negans. Nam, ex *usu communi* hominum, non est sensus genuinus libri nisi qui exprimitur; atqui conclusiones istae non exprimuntur.

Verae conclusiones tamen vocari possunt verbum Dei sensu *lato*.[4]

Nota. Huc pertinent *practicae conclusiones* quas Patres continenter hauriunt ex verbis Scripturae, et quas nos deducimus pia meditatione.

c. Sensus *accommodatus* (accommodatitius, applicatus, allegoricus) habetur cum verbis hagiographi *aliud supponitur* atque hagiographus ipse intenderat.

Duplex est accommodatio: a) *per extensionem,* scil. cum verba ipsa quidem sumuntur in sensu hagiographi, sed *extenduntur ad res alias* quas hagiographus numquam intenderat; sic Eccli 44, 20 "non est inventus similis illi qui conservaret legem Excelsi" originarie refert ad *solum Abraham* (uti constat ex contextu), sed ab Ecclesia applicatur ad *episcopos sanctos;* similis accommodatio habetur ubi 2 Tim 3, 16 extenditur ad N. T. (supra p. 588, 596); b) *per allusionem,* scil. cum verba sumuntur *sensu alio* ac intendebantur ab hagiographo; sic Ps 17, 26 "cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris" saepe intellegitur "ex consortio bonorum homo fit melior, ex consortio malorum peior", cum tamen sensus "literalis" sit: Deus se exhibet benignum erga pios, terribilem erga malos.

Uti patet, neuter sensus accommodatus est genuinus.

---

[4] S. Thomas, De pot. qu. 4 a. 1; DA I col. 1144-5; Prado p. 233-7; Fernandez, in IB p. 355; Goossens, in BN p. 1153; Cornely, Introd. I p. 551; DeVine, in Cath. Bibl. Qu. 1940 p. 145-155.

d. Ergo sensus genuinus Scripturae (multo probabilius) *adaequate* dividitur in "literalem" et typicum; alii sensus enim vel non sunt genuini vel reducuntur ad alterutrum.

Dices: Aliqui loci Scripturae habent sensum *metaphoricum*. Atqui sensus metaphoricus neque est "literalis" neque typicus.

R. *C.M. N.min.* Sensus metaphoricus (improprius, allegoricus etc.) cadit sub sensu "literali". "Non enim cum Scriptura nominat 'Dei brachium', est "literalis" sensus quod in Deo est membrum huiusmodi corporale, sed quod per hoc membrum significatur, scil. virtus operativa" (S. Thomas I qu. 1 a. 10 ad 3).

Secunda pars

1. *Origenes* putavit in Scriptura contineri locos qui careant sensu *'corporali'* (σωματικά); inter quos numeravit leges quasdam mosaicas; v.g. quod esus vulturum prohibeatur (cum nemo velit edere animalia ista).

Sunt tamen qui dicant per sensum 'corporalem' Origenem intellexisse sensum proprium seu *non-metaphoricum;* atque si ita sit, Origenes non est adversarius; dubium vix est quin locutus sit confuse et ambigue. Sed non est alius Pater qui negaverit ubiquitatem sensus "literalis"; si aliqui videntur eum negare, excludere volunt sensum proprium vel efferre sensum typicum aut pleniorem.[5]

2. "Adest", i.e. *de iure,* ideoque etiam *de facto.*

3. *Probatio*

Deus nobis loquitur (et scribit) *modo humano;* secus enim a nobis non intellegeretur, et frustra esset Dei locutio (vel scriptio).

Atqui cum nos aliis loquimur (vel scribimus) semper aliquid immediate verbis nostris exprimere volumus; i.e. adhibemus verba sensu proprio vel metaphorico.

Ergo etiam Deus cum nobis loquitur (vel scribit).

Confirmatur: Sensus typicus, (probabiliter) solus alius sensus genuinus Scripturae, *fundatur* in sensu "literali" et ex eo procedit (uti statim probabitur). Ergo locus qui careret sensu "literali", careret omni sensu.[6]

Dices: Loci qui si sumerentur "literaliter", enuntiarent absurda vel indecentia, carent sensu "literali". Atqui sunt tales loci in Scriptura (supra p. 598-9).

R. *Tr.M. N.min.* vel *Dist.* in iis quae hagiographus asserit vel approbat *N.* in aliis *Tr.*

---

[5]Cornely, Introd. I p. 541-3; Pesch, Insp. p. 63; Höpfl, Insp. p. 102, 104, 226-8; Fernandez, in IB p. 343-4; Fabbi, in Biblica 1933 p. 331, 344-5; Tixeront, Hist. of Dogmas I p. 260-1.

[6]Hoc argumento etiam Patres usi sunt contra Origenem.

Tertia pars

1. *Explicatio*

a. Loquimur de sensu *genuino* Scripturae, non de sensu accommodato. Et quaeritur num unus idemque locus habeat sensus "literales" plures certos. Scil. a) quaestio agitur de solo sensu *"literali"*, non de sensu typico; b) sensus autem sunt plures si sunt *disparati,* ita ut nullus sit nexus inter eos nisi verbalis; unde deest vera pluralitas ubi alius sensus est plenior vel consequens; c) sensus tandem est *certus* si evidenter eruitur ex textu et contextu iuxta regulas hermeneuticae biblicae; quae evidentia deest ubi exegetae eundem locum diversimode interpretantur, scil. cum maiore vel minore probabilitate.[7]

b. Quaestio haec de unicitate vel multiplicitate sensus "literalis" non est inutilis *exegetae*. Si enim tantum unus sensus est genuinus, a) hoc sensu determinato, inutiliter quaeruntur alii; b) ex interpretationibus disparatis (etiam Patrum) tantum una vera est. E contra, si admittitur theoria sensus "literalis" multiplicis, a) semper alius et alius sensus Scripturae quaeri potest (sicut scriptores ascetici inveniunt alias et alias accommodationes et applicationes); b) interpretationes disparatae eiusdem loci verae esse possunt.

2. "Est", i.e. *de iure,* ac proinde *de facto*. Agimus autem primarie de sensis hagiographorum, tantum indirecte de iis citationibus quae sunt verbum Dei ab extrinseco (supra p. 605, 655).

3. *Opiniones*

a. Unum eundemque locum Scripturae non habere nisi unum sensum "literalem", erat sententia fere communis *Patrum*. Eam S. Chrysostomus praesertim defendit contra scholam alexandrinam. Si quidam Patres interdum videntur favere sensui multiplici, aliter explicari possunt; terminologia enim in hac materia numquam erat uniformis.[8]

Difficultatem creat solus *S. Augustinus*. Multi enim putant eum tenuisse multiplicitatem sensus "literalis", atque appellant ad varios locos: Conf. xii 31; De doctr. christ. iii 27, 38; i 36, 37-41; De

---

[7]Bonfrère olim excogitavit hoc exemplum sensus vere duplicis: *"Lege facienda disces"*. Quod significare potest: legendo disces facienda, vel lex te docebit facienda.

[8]Fabbi, in Biblica 1933 p. 344-5; Fernandez, in IB p. 348.

Gen. ad lit. i 21, 41; Sermo vii 3. Alii id negant. Saltem dicendum est S. Augustinum non fuisse firmum in sua sententia.[9]

b. Etiam veteres *Scholastici* docuerunt unicitatem sensus "literalis" Scripturae.

S. Thomas quidem, secutus S. Augustinum, pluries videtur admittere sensum multiplicem; at in opere suo ultimo, scil. Summa Theologica (I qu. 1 a. 10), ubi rem ex professo tractat, unicum sensum "literalem" docet.[10]

Nota. Nihilominus multi Thomistae tenuerunt multiplicitatem sensus "literalis" ob auctoritatem S. Thomae.

c. Saec. 16-18 plurimi Scholastici admiserunt sensum multiplicem: Caietanus, M. Canus, Salmeron, S. Bellarminus, Suarez, Vasquez, Molina, Bonfrère, Billuart, Banez, Wirceburgenses (I p. 64) etc.—Hodie sunt pauci: Schmid, Zanecchia, Zapletal, de Groot, Simon (Scripture Manual I p. 77-80).

4. *Probatio*

a. Nihil hac de re docet Scriptura; Patres et Theologi autem non consentiunt.

b. Mens Ecclesiae favet *unicitati* sensus "literalis". Nam a) Concilia, ubi arguunt ex Scriptura, semper supponunt quemlibet locum habere unum sensum determinatum. b) In encyclicis recentibus quas Leo XIII et Benedictus XV ediderunt de rebus biblicis (supra p. 583-4), numquam fit mentio vel levissima sensus multiplicis, quamvis occasio non defuerit.

c. Deus nobis loquitur *modo humano*. Atqui inter homines, is qui *serio* loquitur, uni sententiae non tribuit sensum nisi unum; si quis autem profert sententiam quae de facto habet sensum multiplicem, is aut iocatur (pun) aut decipere vult; atque si quis profert sententiam ambiguam, eum statim interpellamus de vero sensu. Ergo idem valet cum Deus nobis loquitur (vel scribit).

Dices: Etiam absque ioco aut intentione decipiendi possibilis est sensus "literalis" multiplex. Sic a) J 2, 19 "solvite templum hoc" aliter a Judaeis sumebatur quam a Iesu intendebatur; b) J 11, 50 "expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo" uno sensu prolatum est a Caipha, sed alius erat sensus Spiritus s.

R. ad a) Uti constat ex J 2, 21, Iesus intendit sensum unum; sed illo tempore nondum clare loqui voluit, ita ut Judaei eum male intellegere possent.—ad b) Providentia factum est ("non a semetipso") ut Caiphas

---

[9] Merk p. 238-240; Höpfl, Insp. p. 110-6; Fernandez, in IB p. 348-9; DA I col. 1827; Vitti, in VD 1930 p. 150.

[10] Merk p. 240-2; Höpfl, Insp. p. 116-120; Fernandez, in IB p. 346, 349, 350.

uteretur verbis quibus exprimeretur et intentio eius mala et sensus Dei longe diversus; sed nemo hunc sensum Dei cognovisset nisi Spiritus s. eum revelasset per evangelistam.[11]

d. Ergo multiplex sensus "literalis" *Deum dedecet;* nam per se creat ambiguitatem et confusionem.

5. *Obiectiones*

a. "Ad *dignitatem* divinae Scripturae pertinet ut sub una litera multos sensus contineat" (S. Thomas, De pot. qu. 4 a. 1).

R. a) Quoad doctrinam S. Thomae, cf. supra p. 683. b) *Dist.* multos sensus qui sint verbum Dei sensu stricto vel lato *Tr.* vel *C.* sensu stricto *subd.* multos sensus "literales" *N.* sensum "literalem" et typicum *Tr.* vel *C.*

b. Deut 18, 15 "Prophetam de gente tua et de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus". Ex contextu patet hic promitti munus propheticum tamquam institutum ordinarium V.T., i.e. vox 'propheta' hic habet sensum collectivum. Sed et Petrus (Act 3, 22) et Stephanus (Act 7, 37) hunc locum referunt ad Messiam. Qui sensus sunt disparati.

R. Sensus non sunt disparati. Nam inter prophetas promissos erat etiam Messias.[12]

c. Ps 2, 7 "Filius meus es tu; ego hodie genui te". S. Paulus huic loco tribuit triplicem sensum: a) in Act 13, 33 eum intellegit de resurrectione Christi; b) in Hebr 1, 5 de generatione aeterna Filii; c) in Hebr 5, 5 de sacerdotio Christi .

R. Num S. Paulus ubique dare voluit sensum "literalem"? Potuit enim uti sensu pleniore, consequenti, accommodato.[13]

d. Is 53, 4 "Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit". Qui locus a S. Matthaeo sumitur de morbis corporeis (Mt 8, 17), a S. Petro autem de peccatis nostris" (1 Petr 2, 24).

R. Sensus non sunt disparati. Isaias ipse loquitur de peccatis nostris; unde Petrus citat iuxta sensum "literalem". Matthaeus autem dat sensum consequentem; nam cum Christus plene satisfecerit pro peccatis nostris, potuit etiam auferre poenas eorum, scil. morbos corporales.[14]

e. Is 53, 8 "Generationem eius quis enarrabit"? Patres hunc locum tripliciter interpretantur: a) de generatione aeterna Filii; b) de eius generatione temporali; c) de Judaeis coaevis Christi.

R. Nullus est sensus certus.

Quarta pars

1. *Schola alexandrina* putavit multos locos V.T. habere tantum sensum typicum, non "literalem".[15]

2. *Probatio* ·

a. Ex definitione typi

---

[11]Knabenbauer J p. 380; Höpfl, Insp. p. 108; Dorsch III p. 265; Oudenrijn p. 215-6.

[12]Oudenrijn p. 122-131.

[13]Vaccari, in VD 1935 p. 82-3; Murillo p. 542, 549-554; Bonsirven, Exégèse etc.

[14]Lagrange, Mt p. 169; Simón I p. 273; Knabenbauer, Mt I p. 375.

[15]Höpfl, Insp. p. 235-8.

Sensus typicus est *mediatus,* i.e. non habetur nisi mediantibus rebus quae gaudent exsistentia propria, et quae describuntur ab hagiographo secundum suam propriam exsistentiam (v.g. manna in deserto) ; hagiographus enim non cognovit sensum typicum.

Atqui descriptio rerum secundum propriam earum exsistentiam est sensus "literalis".

Ergo sensus typicus habetur mediante sensu "literali".

b. Ex doctrina Patrum et Theologorum

S. Hieronymus: "Verborum S. Scripturae intellegentia imprimis quaerenda est et constituenda—non quia tropologicam intellegentiam condemnemus, sed quia spiritualis interpretatio debet sequi ordinem historiae" (In Is 13, 19).

S. Augustinus: "Ante omnia, fratres, hoc in nomine Domini et admonemus quantum possumus et praecipimus—ut quando auditis exponi sacramentum Scripturae narrantis quae gesta sunt, prius illud quod lectum est, credatis sic gestum quomodo lectum est—ne subtracto fundamento rei gestae, quasi in aere quaeratis aedificare" (Sermo ii 6).

S. Gregorius M.: "In verbis sacri eloquii, fratres carissimi, prius servanda est veritas historiae, et postmodum requirenda spiritalis intellegentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter carpitur cum prius per historiam in veritatis radice solidetur" (Hom 40, 1).

S. Thomas: "Illa prima significatio qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel "literalis". Illa vero significatio qua res significatae per voces iterum alias res significant, dicitur sensus spiritualis, qui super "literalem" fundatur et eum supponit" (I qu. 1 a. 10).

3. *Corollaria*: Ergo a) sensus typicus nequit recte intellegi nisi prius recte intellegatur sensus "literalis"; b) quidquid non exprimitur sensu "literali", nequit sumi typice; c) sensus typicus numquam adversatur sensui "literali".

Quinta pars

1. Loquimur tantum de typis *certis* (supra p. 675).
2. "Non adest", i.e. *de facto.*
3. Philo et exegetae Judaei, dein *schola alexandrina,* duce Origene, docuerunt adesse sensum typicum fere ubique in V.T. Eundem errorem postea recoxerunt multi Protestantes (v.g. Coc-

ceius, Bengel, de Wette) atque etiam Catholici quidam, qui proinde "figuristae" vocabantur.[16]

4. *Probatio*

a. Sensus typicus non est certus nisi constet ex fontibus revelationis. Atqui fontes revelationis non tribuunt sensum typicum locis omnibus ac singulis V.T., sed tantum *paucis;* neque certum est typos contineri in N.T. Ergo non quilibet locus Scripturae habet sensum typicum.

b. Quid praefigurarent *inspirata per accidens;* v.g. canis Tobiae, aut asini Sauli, aut cameli Eliezeris?

c. *S. Augustinus*: "Mihi autem, sicut multum videntur errare qui nullas res gestas in eo genere literarum aliquid aliud praeter id quod eo modo gestae sunt, significare arbitrantur—ita multum audere qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt" (De civ. Dei xvi 2).

Eadem est doctrina *S. Thomae* in Quodl. vii a. 15 ad 5.

5. *Obiectiones*

a. 1 Cor 10, 11 "Haec *omnia* (*ταῦτα πάντα*) in figura contingebant illis". Unde "merito concludunt interpretes in omnibus eventibus V.T. mysteria ac typos contineri" (Schouppe).

R. a) Quid de *N.T.?* b) Ex contextu patet verba Pauli non esse extendenda ad totum V.T. (uti volunt figuristae); Paulus enim loquitur tantum de *poenis* Israelitarum, quibus praefigurabatur punitio peccatorum Christianorum: "scripta sunt ad correptionem nostram".[17]

Nota. In 1 Cor 10, 11, aliqui codices et Patres graeci omittunt *πάντα*; videtur esse genuinum.

b. Col 2, 16-7

R. S. Paulus non loquitur de omnibus quae leguntur in V.T., sed de *institutis* et *legalibus* foederis veteris (supra p. 674).

c. L 24, 44 "Necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me". Atqui his terminis (Lex, Prophetae, Psalmi) Christus comprehendit totum V.T.

R. Christus tantum loquitur de vaticiniis messianicis ("quae scripta sunt . . . *de me*").

---

[16]Cornely, Introd. I p. 741; Mangenot, in Dict. de la Bible s.v. Mystique (Sens); Maas, in CE s.v. Types in Scripture; Höpfl, Insp. p. 133; Kortleitner p. 28-9.

[17]Cornely, 1 Cor p. 270, 283; Höpfl, Insp. p. 135.

ARTICULUS 3

INVENTIO SENSUS S. SCRIPTURAE

Thesis 54

Interpres authenticus S. Scripturae est magisterium Ecclesiae et consensus Patrum. Ceterum S. Scripturam interpretari licet secundum regulas grammatico-historicas, dummodo ratio habeatur inspirationis et analogiae fidei.

Cf. Bainvel, Script. p. 201-4; Billot, Insp. p. 157-174; Dorsch III p. 266-279; Durand, in DA s.vv. Critique biblique; Exégèse; Fernandez, in IB p. 422-443; Franzelin, Trad. p. 215-226; Höpfl, Insp. p. 144-210; Humphrey p. 172-182; Kortleitner p. 35-125; Maas, in CE s.v. Hermeneutics; Mangenot, in DThC s.v. Interpretation de l'Ecriture; Merk p. 251-264; Muncunill III p. 101-7; van Noort, Font. p. 72-81; Pesch, Insp. p. 573-8; Prado p. 217-222; Schiffini p. 584-608; de San p. 87-121; Schultes p. 562-571; Tanquerey I p. 786-9; Wirceburgenses I p. 39-47.

Quid sit *interpretari,* cf. supra p. 670.

Interpretatio dicitur *authentica* si fit ab ipso auctore vel ab eo cuius est munus seu officium interpretandi; haec per se postulat assensum. Interpretatio *scientifica* (privata, grammatico-historica) fit ab alio ope principiorum hermeneuticorum; haec per se non postulat assensum, sed tantum valet quantum valent rationes.

Thesim probabimus per 4 partes, quarum primae duae agunt de interpretatione authentica, duae ultimae de scientifica. Duae primae partes sunt *de fide definita* (D 1788), duae ultimae partes saltem *certa et communis* (D 1943, 2012).

Prima pars

1. *Explicatio*

Sicut praedicatio magisterii in genere (supra p. 426), ita etiam eius interpretatio Scripturae variis modis fieri potest. Quae autem sit eius interpretatio, non est determinandum ex nudis verbis seu sine contextu. Consulatur etiam historia, scil. disputationes tunc habitae, errores contra quos magisterium tunc pugnavit, argumenta quae tunc adducebantur ab adversariis etc.

Nota. Distinguimus inter interpretationem authenticam et *infallibilem* (contra de San p. 87-8). Quandocunque et quomodocunque magisterium interpretatur Scripturam, interpretatur authentice; sed eius interpretatio non est infallibilis nisi sub 3 condicionibus positis supra p. 370, 382, 389, 403.

2. Huic parti *adversantur* rationalistae, Protestantes liberales, modernistae (D 2002, 2004).—Protestantes orthodoxi tenent normam unicam interpretandi Scripturam esse 'iudicium privatum'; aliqui admittunt etiam analogiam fidei biblicae; multi de facto sequuntur suas "confessiones" tamquam normam positivam vel saltem negativam (supra p. 415-9).

3. *Probatio*

a. Ex doctrina et praxi magisterii

Etenim a) magisterium sibi semper *vindicavit* ius authentice interpretandi Scripturam (cf. D 786, 995, 1788, recentes encyclicas de rebus biblicis). b) Magisterium hoc ius *exercuit,* scil. declarando sensum Scripturae, immo et anathematizando eos qui noluerint sensum sic definitum admittere ut genuinum (cf. D 2008, exempla in Schol.). Quae praxis patet praesertim ex *versionibus* Scripturae; nam magisterium non tantum aliquas approbavit ("imprimatur"), alias reprobavit, sed etiam adoptavit *Vulgatam latinam* ut textum officialem Ecclesiae latinae.

Nota. In decretis adductis occurrit phrasis *"in rebus fidei et morum."* Quaeritur qui sit eius sensus? Aliqui enim theologi (v.g. Ubaldi, Patrizi, Franzelin, de San) putaverunt hac phrasi designari solos "textus dogmaticos" seu inspirata per se. Alii eam extendunt ad totam Scripturam. Sed melius dicitur: Phrasis illa non tam refert ad locos seu textus, sed ad *respectum dogmaticum,* quatenus res "ad aedificationem doctrinae christianae pertinent".[1]

b. *Patres* et *Theologi* hanc doctrinam incessanter inculcant. Cf. locos apud de San p. 88-9.

c. Ex ratione theologica

Magisterium est interpres et iudex authenticus *depositi fidei.*

Atqui Scriptura pertinet ad depositum fidei.

Ergo magisterium est eius interpres et iudex authenticus.

4. *Cor.* Ergo "sensus Ecclesiae" consulendus est etiam quoad ea quae *conexa* sunt cum interpretatione Scripturae; v.g. quoad genus literarium ad quod liber sacer pertinet.[2]

---

[1]Fernandez, in IB p. 424-9; Höpfl, Insp. p. 188-192; Dorsch III p. 375-9; Straub II p. 243-251; Billot, Virt. p. 240-2; Schultes p. 297-8, 663; Vacant I p. 525-545; Granderath, Const. etc. p. 54-61; DA I col. 1836-8.

[2]D 1980; Merk p. 417-420.

Schol. 1. *Commissio biblica*

Ex variis modis praedicationis authenticae magisterii speciatim consideremus decreta Commissionis biblicae. Atque tria de eis notentur: a) Haec decreta non sunt pure disciplinaria, sed vel interpretantur Scripturam vel saltem tangunt interpretationem. Hinc non sufficit ut Catholicus eis non contradicat ("silentium obsequiosum"), sed per se requirunt *assensum* externum et internum. b) Nihilominus decreta per se *non sunt infallibilia.* Unde assensus internus, licet firmus, non debet esse irrevocabilis. Et si viro perito ac prudenti appareant rationes vere sufficientes dubitandi, potest suspendere assensum; immo si hae rationes certo probent contrarium, potest dissentire. c) Externa reverentia semper servari debet quamdiu viget decretum. Potest autem vir peritus coram legitima auctoritate modeste proponere rationes dubitandi.[3]

Schol. 2. *Exempla interpretationis magisterii*

Tria notanda:

a. Interpretatio dicitur a) *directa,* si fertur in ipsum sensum textus; quae est positiva vel negativa, prout declarat hunc esse vel non esse eius sensum genuinum. b) Dicitur *indirecta,* si potius fertur in doctrinam aliquam; quae est positiva, si doctrina tenenda exprimitur verbis Scripturae; est negativa, si doctrina reicitur ut male deducta ex verbis Scripturae.[4]

b. Generatim magisterium interpretatur textum tantum *sub uno respectu;* v.g. quod historice vel proprie sumendus sit.

c. Nisi ex contextu vel adiunctis aliud constet, sensus non putatur definiri eo solo quod textus *includitur* in aliqua definitione, aut adhibetur ut probatio vel illustratio definitionis.—Neque textus critice vel exegetice dubius ex simili inclusione fit certus (v.g. J 10, 29 in D 432).[5]

1. *Ex V.T.*

Gen 2, 24 "erunt duo in carne una"—declaratur indirecte et negative in D 224.[6]—Exod 20, 4 "non facias tibi sculptile"—a Conc. Nicaeno II positive declaratur dictum esse solis Israelitis.—Exod 20, 17 "non concupisces"

---

[3]D 1684, 1864, 2113; CE s.v. Biblical Commission; Fernandez, in IB p. 434-6; Coppens, in Nouvelle Revue Théol. 1938 p. 794-807; idem, in BN p. 1095-6.

[4]Kortleitner (p. 122) etiam distinguit inter 'interpretari' (declarare posi-ti..) et 'iudicare' (explicare negative).

[5]K..abenbauer, J p. 251; Lagrange, J p. 288.

[6]..rnandez, in IB p. 432.

—negative declaratur in D 1075.—Is 7, 14 negative declaratur a Pio VI.[7]—Cant negative declaratur a Conc. Const. II.[8]

2. *Ex N.T.*

Mt 6, 12 "dimitte nobis debita nostra"—etiam a Sanctis "veraciter" dici, positive declaratur in D 107, 108.—Mt 16, 16 "tu es Petrus etc."—his verbis Petro promissum esse primatum, positive ac directe definitur in D 1833.—Mt 18, 18 indirecte ac negative definitur in D 902, 920, 925.—Mt 26, 26-8 "hoc est corpus meum etc."—directe ac positive definitur in D 874, 877.[9]—Mc 14, 22-4, cf. Mt 26, 26-8.—L 22, 19 "hoc facite in meam commemorationem"—directe et positive definitur in D 874, 949.[10]—L 22, 31-2 "ego rogavi pro te etc.", cf. D 246, 351, 387, 1836.[11]—J 3, 5 "nisi quis renatus fuerit etc."—haec sumenda esse sensu proprio, directe ac positive definitur in D 858.[12]—J 6, 54 et 6, 57—his verbis non praecipi communionem sub utraque specie, directe et negative declaratur in D 930.[13]—J 20, 22 "accipite Spiritum s."—indirecte et negative declaratur in D 224, 894.[14]—J 20, 23 "quorum remiseritis etc."—indirecte et negative declaratur in D 894, 902, 920; positive in D 913; cf. D 2047.—J 20, 28 "Dominus meus et Deus meus"—indirecte et negative declaratur in D 224.—J 21, 16 "pasce agnos meos etc."—his verbis Petro collatum esse primatum, positive ac directe definitur in D 1822.[15]—Rom 3, 22 positive definitur in D 801.—Rom 5, 12 positive et indirecte definitur in D 789, 791.[16]—1 Cor 11, 23 sqq.—vide L 22, 19.—Jac 5, 14 "infirmatur quis in vobis"—directe et positive definitur in D 908, 926.—1 J 1, 8 directe et positive definitur in D 106.

Secunda pars

1. *Explicatio*

Qui sint Patres, cf. supra p. 523-4. Qualis debeat esse eorum consensus ut gignat certitudinem, cf. supra p. 528-9.

In Conc. Vat. multum disputabatur de relatione inter magisterium Ecclesiae et "consensum Patrum," scil. disputabatur num aut quomodo addenda sit regula de sequendo consensu Patrum in interpretatione Scripturae. Revera consensus Patrum nihil aliud est nisi *modus particularis* praedicationis magisterii.

Hoc igitur sensu sumitur vox *"et"* in thesi.

---

[7] Höpfl, Insp. p. 191.
[8] Kortleitner p. 116.
[9] Merk p. 263; Kortleitner p. 116.
[10] de San p. 90; Prado p. 220.
[11] Manning, Vat. Council p. 85-90; Granderath, Const. p. 170-1, 232.
[12] Merk p. 263; de San p. 90; Fernandez, in IB p. 431; Prado p. 220.
[13] Fernandez, in IB p. 431; Kortleitner p. 117.
[14] de San p. 89; Kortleitner p. 116.
[15] Merk p. 263; Höpfl, Insp. p. 193; Kortleitner p. 117.
[16] Fernandez, in IB p. 431-3; Höpfl, Insp. 191; Kortleitner p. 116.

2. Adversarii sunt iidem ac supra p. 529-530.

3. *Probatio*

a. Decrevit *Conc. Trid.* "ut nemo . . . contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat" (D 786). Hoc decretum est quidem formaliter negativum ("contra") et disciplinare; sed eius fundamentum positivum asseritur in professione fidei Tridentinae (D 995) ac definitur a *Conc. Vat.* (D 1788). Idem iterum inculcatur a *Leone XIII* (D 1942, 1944) et a *Pio* X (EB n. 168). Cf. D 2146.[17]

Nota. Cum opera Patrum praecipue versentur circa interpretationem Scripturae, approbatio magisterii (supra p. 530) eam praecipue respexit. Ergo magisterium sibi constat si postulat ut Catholici adhaereant communi interpretationi Patrum.

b. Contra malas interpretationes Scripturae quas haeretici protulerunt, *Patres* ipsi docuerunt veram interpretationem Scripturae hauriendam esse ab Ecclesia vel ab unanimi consensu Patrum praecedentium.[18]

4. *Cor.* Ergo auctoritas Patrum etiam valet quoad ea quae *conexa* sunt cum interpretatione Scripturae; v.g. ubi agitur de indole literaria librorum sacrorum.

5. *Notanda ad interpretationem Patrum*

a. Si Patres quidem consentiunt in *reicienda* aliqua interpretatione, sed dissentiunt quoad sensum positivum—tenemur reicere illam, sed non tenemur amplecti ullum ex sensibus positivis.

b. Si Patres quidem consentiunt quoad sensum *genericum*, sed non quoad sensum specificum—non videmur teneri ad amplectendum etiam sensum genericum. Exempla nota sunt: Is 53, 8 "generationem eius quis enarrabit", et Mt 24, 34 "non praeteribit generatio haec".[19]

c. "Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est cum hisce de rebus munere doctorum quasi *privatim* funguntur" (EB n. 96).[20]

6. *Exempla consensus Patrum*[21]

a. *Ex V.T.*: Gen 2, 1 agit de creatione.[22]—Gen 3, 15 continet primam

---

[17] Granderath, Const. p. 53, 56-61; DA I col. 1836; Fernandez, in IB p. 438-9.

[18] de San p. 89; DA I col. 1835; Kortleitner p. 115.

[19] Fernandez, in IB p. 440; Ceuppens p. 299-301; Boudou p. 179-180; Pesch, Insp. p. 564; Prat, J.-Chr. II p. 525-6.

[20] supra p. 534; Fernandez, in IB p. 451-3.

[21] DThC VII col. 2328-9.

[22] Bainvel, Script. p. 204.

promissionem Redemptoris.—Is 7, 14 annuntiat conceptum virginalem Messiae.—Is 52-3 "servus Yahwe" sensu "literali" est Messias.[23]—Prov 8-9 et Eccli 24—"Sapientia" est Filius Dei.—Mal 1, 11 refert ad sacrificium Missae.[24]—2 Mach 12, 43 probat exsistentiam purgatorii.

b. *Ex N.T.*: Mt 16, 18 continet promissionem indefectibilitatis Ecclesiae. —J 1, 1 enuntiat consubstantialitatem Patris et Verbi.—J 15, 4-10 docet necessitatem gratiae ad actum salutarem.[25]—J 20, 23 agit de sacramento poenitentiae (cf. D 894).—Act 8, 17 et 19, 6 referunt ad sacramentum confirmationis.—Rom 1, 20-21 agit de cognitione Dei naturali.—Rom 2, 14-5 docet omnibus inesse conscientiam moralem.—1 Cor 4, 7 docet gratuitatem electionis divinae.[26]—1 Tim 2, 4 docet voluntatem divinam efficacem salvandi omnes homines.

7. Quoad auctoritatem *Theologorum* hac in re, i.e. exegetarum catholicorum, cf. D 1945; CIC can. 1391.

8. Rara est communis interpretatio Patrum et Theologorum quoad *inspirata per accidens.* Unde hodiernis exegetis facilius discedere licet ab eorum solutione difficultatum.[27]

Tertia pars

1. *Explicatio*

a. Dicitur *'ceterum'*, i.e. vel ubique (scil. sub respectu scientifico) vel saltem in iis locis de quibus non exstat interpretatio authentica.

b. *Regulae grammatico-historicae* sunt normae quae valent pro sana interpretatione cuiusvis libri.

Nota. Apud Protestantes, interpretatio privata, de qua loquimur, saepe intellegitur *arbitraria,* i.e. quae fiat sine attentione ad normas generales interpretationis bonae (supra p. 416-7). Quae est nimis absurda. Sed vocamus privatam eam quae fit a *viro privato,* i.e. qui non gaudet iurisdictione.

2. *Adversarii*: Harnack (Hist. of Dogmas VII p. 43) putat interpretationem scientificam Scripturae vetari per D 786.

3. *Probatio*

a. Scientifica interpretatio Scripturae licita est, si magisterium a) eam numquam vetuit, immo b) urget theologos ut ei incumbant.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

---

[23]Suppl. III col. 92.
[24]Höpfl, Insp. p. 195.
[25]Prat, J.-Chr. II p. 301.
[26]Höpfl, Insp. p. 195.
[27]Höpfl, Insp. p. 78.

Prob.min. a) D 786 non habet sensum quem Protestantes ei supponunt. Neque datur aliud documentum magisterii quo prohibeatur talis interpretatio. b) Cf. D 1942.

b. Si Deus conscripsit libros sacros per *psychologiam* hagiographorum, quae est communis omnibus auctoribus, immo eo fine ut *alii intellegerent* eorum verba—libros sacros interpretari licet sicut alios libros. Secus enim frustra fuisset talis conscriptio.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.[28]

4. Schol. *Interpretatio scientifica*

a. Oportet ut interpres bene cognoscat *significationes usuales* vocum, phrasium, constructionum etc. quae occurrunt in libro explicando. Nam voces etc. generatim habent plures significationes, et tamen auctor exprimere voluit unum determinatum sensum. Hunc interpres bonus *seliget* ex variis significationibus possibilibus. —Ut eum autem inveniat, non erit contentus cognitione generali, sed inquiret in usus speciales et individuales. Nam voces etc. non tantum mutant suas significationes cum tempore et loco, sed saepe etiam adhibentur ab auctoribus significationibus sibi propriis.

Oportet etiam ut interpres bene cognoscat *leges scribendi,* i.e. modos usuales scribendi. Quae leges sunt generales (reducendae ad sensum communem, logicam naturalem, psychologiam humanam), speciales (v.g. pro compositione poematis vel historiae in determinata regione vel aetate), individuales (propriae huic auctori).[29]

b. Regulae *generales* interpretationis duae: a) Verba libri sumenda sunt *sensu proprio* nisi evidens aut probabilis ratio aliud suadeat. b) Is est verus sensus verborum qui solus (vel melius) *congruit contextui.*

Contextus est mutua relatio vocum, sententiarum, argumentorum, partium etc. alicuius libri. Quae relatio per se sequi debet significationes et leges scribendi supra statutas; secus enim liber non posset intellegi a lectoribus, et frustra fuisset labor auctoris.

Quadruplex contextus distinguitur:

Contextus *grammaticalis* est mutua relatio vocum etc. secundum

---

[28] DA I col. 1834-5; BillotE I p. 55.

[29] Feder p. 193-205; Merk p. 251-7; Kortleitner p. 36-75; Cornely, Introd. I p. 572-592.

grammaticam et syntaxim. Unde prima regula: "Is est verus sensus qui solus (vel melius) congruit contextui grammaticali". Auctorem libri aliud intendisse, non est praesumendum, sed positive probandum.

Hic contextus utique eruitur ex grammaticis, dictionariis etc. linguae in qua liber scriptus est, atque est fundamentum omnis bonae interpretationis.

Contextus *logicus* est mutua relatio partium libri (sententiarum, argumentorum, capitum etc.) secundum regulas communes cogitandi. Unde secunda regula: "Is generatim est sensus verus qui congruit contextui logico". Auctorem illogice scripsisse, non est quidem impossibile, sed non est nimis facile concedendum; interdum contextus psychologicus vel technicus ostendit absentiam contradictionis verae vel sophismatis.

Contextus *psychologicus* est mutua relatio partium secundum regulas rhetoricae, historiae, poesis etc. Unde tertia regula: "Is generatim est sensus verus qui congruit indoli auctoris, adiunctis externis et internis (auctoris vel primorum lectorum), occasioni scribendi etc."

Hic contextus eruitur ex legibus communibus associationis idearum, ex genere literario ad quod liber pertinet etc.

Contextus *technicus* est mutua relatio partium talis ut omnes convergant ad scopum libri. Unde regula quarta: "Is est verus sensus qui congruit fini operis".

Quarta pars

1. *Explicatio*

a. *Inspiratio* sumitur sub quadruplici respectu (supra p. 659).

b. *Analogia fidei* (terminus technicus ex tempore Reformationis; cf. W. F. Farrar p. 332-3) est congruentia (convenientia, harmonia) alicuius interpretationis Scripturae cum reliquis doctrinis Ecclesiae. Unde interpretari Scripturam iuxta analogiam fidei, est ei supponere sensum qui congruat cum reliqua praedicatione magisterii.[80]

Non autem dicimus "analogiae fidei biblicae", uti quidam Protestantes (v.g. Briggs, Study etc. p. 458-9). Nam non tantum textus obscuri explicandi sunt secundum clariores, sed *tota fides catholica* sumenda est ut norma interpretationis; atque consideranda etiam est doctrina 'theologice certa' vel 'certa et communis'.

---

[80] Ipse terminus occurrit in Rom 12, 6, ubi tamen habet prorsus aliam significationem. Cf. Cornely, Rom p. 655-6.

c. *"Ratio habeatur"*, i.e. quatenus exegeta catholicus haec habeat ut normas negativas vel etiam positivas.

2. *Adversantur* rationalistae, Protestantes liberales, modernistae, qui postulant ut exegeta ad Scripturam accedat nulli dogmati inhaerens, nulla fide imbutus: D 1943, 2012, 2023, 2024.

3. *Probatio*

Si *idem Deus* est auctor a) S. Scripturae, b) totius depositi fidei, c) rationis humanae—exegeta respicere debet et inspirationem S. Scripturae et analogiam fidei.

Atqui verum est antecedens.

Ergo etiam consequens.

Prob.M. Si enim idem Deus est auctor horum fontium cognitionis, non tantum a) nulla vera contradictio inter eos umquam esse potest, sed debet etiam esse b) *congruentia* positiva ac obiectiva inter res quae his fontibus continentur (formaliter vel virtualiter). Cf. D 1796-7.

Dices: Si exegeta catholicus observare debet omnes has normas, a) eius libertas nimis coarctatur, b) nihil ei manet agendum, c) ipse retrahitur a studiis biblicis.

R. ad a) *Dist.* libertas vera *N.* falsa *Tr.* Vera libertas enim non est nisi ad veritatem; atqui normae istae securiorem reddunt assecutionem sensus veri.—ad b) *N.* Cf. D 1942.—ad c) De facto, plurimi semper erant et hodie sunt exegetae catholici, qui pro viribus sequuntur has normas.[31]

Schol. *Introductio in S. Scripturam*

Sic hodie vocatur disciplina quae agit de elemento *humano* librorum sacrorum. Circa quod hae quaestiones moventur: Quando et ubi ortus est liber, quis fuerit eius auctor humanus (hagiographus), quae fuerit eius lingua originalis, ad quod genus literarium pertineat, qualis sit conformitas textus hodierni cum autographo etc.[32]

Cum tamen iidem libri sint inspirati atque pertineant ad depositum fidei, nobis inquirendum est num hae et similes quaestiones tractari possint (vel debeant) dogmatice an historice?

Breviter respondeamus distinguendo:

1. Per se hae quaestiones tractari possunt *historice*. Nam per se

---

[31] D 2019; Fernandez, in IB p. 446-453; Franzelin, Trad. p. 221, 225; DA I col. 813-8, 1840; J. Coppens, in Nouvelle Revue Théol. 1938 p. 783-808; Fillion, Study of the Bible ch. 40-1.

[32] Gigot, in CE s.v. Introduction; Ruffini p. 8-12; Rosadini I p. 1-2; Merk p. 4.

non pertinent ad inspirationem aut canonicitatem (in actu primo).[33]

Hinc est quod Patres, postquam canon semel statutus erat, parum curaverunt has quaestiones. Sic S. Gregorius M. dixit de auctore (ignoto) libri Job: *"valde supervacanee quaeritur"*. Et S. Augustinus solvit difficultatem ex Mt 27, 9 dicendo parum referre *substitutionem* unius hagiographi pro alio, cum idem Spiritus sit auctor omnium librorum Scripturae.[34]

Ex principiis generalibus autem patet praedicationem magisterii (explicitam vel implicitam), si quae exstat, semper esse *normam negativam,* etiam ubi hae quaestiones tractantur pure historice.

2. Per accidens praedicatio magisterii debet esse *norma positiva,* ita ut aliqua ex his quaestionibus debeant primarie tractari *dogmatice*. Etenim:

a. Aliquae ex his quaestionibus *intime conexae* sunt cum deposito fidei. Sic Christus est Deus, et quidquid asserit hagiographus, necessario verum est; idemque valet de Apostolo vel propheta ubi munere suo fungitur. Ergo si exstant dicta genuina et historica in quibus hi responderunt ulli ex istis quaestionibus, responsio accipienda est ut certa.[35]

Similiter praedicatio magisterii valet quoad canonem Scripturae. Nam canon Scripturae pertinet ad depositum fidei. Atqui depositum fidei augeri nequit post mortem ultimi Apostoli. Ergo nullus liber canonicus scriptus est *post mortem ultimi Apostoli.*[36]

b. Aliquando hae quaestiones minus intime quidem, at *vere conexae* sunt cum deposito fidei; v.g. ob finem apologeticum. Sic si nostra evangelia non sunt stricte genuina, vel si substantialiter corrupta sunt in transmissione, vel si non pertinent ad genus literarium historicum, Apologetica damnum patitur. Simile quid dici potest de Pentateucho, de libris propheticis V.T. etc.[37]

Haec tamen non possunt dici de omnibus libris sacris, neque de omnibus istis quaestionibus. Sic parum refert apologetice (et dogmatice) qui fuerint auctores librorum didacticorum V.T. (v.g. Sap, Eccl, Prov).

---

[33]Pesch, Insp. p. 403-6.

[34]Multa alia dicta Patrum habes apud Lusseau-Collomb IV p. 24.

[35]D 2021; Bea p. 12-8; Vosté p. 156-9; DA II col. 911.

[36]Haec applicationem habere possunt etiam in critica textuali. Scil. ubi agitur de lectionibus variantibus, eae reiciendae sunt quasi a priori quae his contradicant. Cf. Rosadini I p. 88.

[37]Bea p. 9; Vosté p. 152-4; Billot, Virt. p. 66-80; DA I col. 792.

3. Inde tria patent: a) Patet cur *magisterium* (hodie praesertim) agat de his quaestionibus; v.g. per Commissionem biblicam, et cur Benedictus XV eos accuset qui "de Bibliorum origine ita opinantur ut eorundem labet vel prorsus pereat auctoritas" (EB n. 474). b) Patet cur in his quaestionibus etiam valeat auctoritas dogmatica *Patrum* et *Theologorum* (exegetarum catholicorum). c) Patet tandem magisterium responsa ad has quaestiones *definire* posse—sive ut de fide divina sive ut "facta dogmatica".

CAPUT QUINTUM

AUTHENTIA S. SCRIPTURAE

1. Vox 'authentia' (sicut 'authenticitas', 'authenticum') multipliciter sumitur; v.g. ut genuinitas, integritas, credibilitas historica, auctoritas dogmatica.[1] Nobis nunc authentia est ea indoles documenti qua *sibi facit fidem* quasi iuridicam (fere sicut 'documentum legale') quoad verba vel sensum (subiectivum) auctoris.

2. Summa utique esset authentia *autographorum* Scripturae; sed quantum scimus, nulla hodie exstant. Attamen eandem fidem merentur *apographa* (exemplaria, copiae) et *versiones*, dummodo aliunde constet eas esse *conformes autographis* seu fideles.

Atqui exstant multa apographa et versiones Scripturae.

Unde quaeritur num et quantum apographa et versiones hodiernae sint conformes autographis. Atque vox 'authentia' proxime nunc sumitur ut *conformitas cum autographo*.

Nota. a) Apographa, quamvis non sint originalia sub omni respectu, etiam dicuntur *"textus originalis"*; non ita versiones. b) In apographis quaeritur conformitas quoad *voces*, in versionibus quoad *sensum*. Apparatus criticus in hodiernis editionibus dat difformitatem quoad *voces*.

3. Duplex est haec authentia: *interna* et *externa*. Apographa et versiones gaudent authentia interna, si sunt *autographis conformes;* gaudent etiam authentia externa, si eorum conformitas *attestatur* a competente auctoritate.

Quae auctoritas potest esse *privata* (scil. peritorum) vel *publica* (scil. auctoritatis publicae). Auctoritas privata etiam dicitur 'critica' vel 'scientifica', auctoritas publica 'officialis' vel 'iuridica'.

Ne legentes opprimantur multitudine quaestionum, tria tantum investigabimus: a) Quae sit authentia *textus originalis* seu apographorum Scripturae? b) Quae sit authentia versionis graecae *LXX?* c) Praesertim quae sit authentia *versionis latinae;* hac enim cotidie utimur.

Unde 3 erunt articuli:

1. Authentia textus originalis
2. Authentia versionis LXX
3. Authentia versionis latinae.

[1] supra p. 98; Dict. de la Bible s.v. Authenticité; etiam in Suppl.

ARTICULUS 1

AUTHENTIA TEXTUS ORIGINALIS

A. *Libri V.T.*

1. Libri V.T. originarie compositi sunt *hebraice*. At a) 3 pericopae scriptae sunt *aramaice,* scil. Dan 2, 4-7, 28; 1 Esdras 4, 8-16, 18; 7, 12-26. b) Sap et 2 Mach scripti sunt *graece*.

Exstat textus originalis omnium librorum V.T. praeter Eccli, partes deuterocanonicas Esther, 1 Mach. Nescitur quae fuerit lingua originalis libri Tobiae.

2. *Authentia*

a. Authentia *interna*: Dubium non est quin hodierna apographa V.T. sint *substantialiter* conformia autographis. Id constat ex diligenti cura qua Judaei, ex antiquissimis temporibus, vigilabant ne textus V.T. corrumperetur.

Tria tamen notanda: a) Ne exaggeretur haec conformitas. Olim exstiterunt *duae 'recensiones'* librorum hebraicorum: una est noster textus masoreticus, aliam supponit LXX.[1] b) Probari non potest Judaeos *consulto* mutavisse textum V.T. sive ob odium Christianorum sive ob alias rationes.[2] c) Schola rabbinica *Iamniae* videtur revidisse et fixisse textum hebraicum V.T.[3]

b. Authentia *externa*: a) Apud *Judaeos,* textus originalis V.T. fuit utique officialis usque ad Christum. *Christus* ipse eo usus est (v.g. L 4, 16-20 in synagoga Nazareth); etiam *Paulus* eum commendavit Timotheo (2 Tim 3, 15-7).—b) *Magisterium* numquam officialiter testatum est conformitatem textus originalis V.T., prout hodie exstat, cum autographis. Unde textus hic fere relinquitur in sua authentia interna.

B. *Libri N.T.*

1. Omnes libri N.T. originarie scripti sunt *graece;* sed Mt scriptum est *hebraice* vel *aramaice,* qui textus originalis hodie deperditus est.[4]

---

[1]Oesterley-Robinson p. 18-21; Schöpfer p. 715-8; Swete p. 319, 438; LThK s.v. Bibeltext.

[2]Merk p. 114; DA IV col. 1956.

[3]Swete p. 320, 439-440.

[4]Goodspeed, New Chapters etc. p. 127-168.

2. *Authentia*

a. Authentia *interna*: Textus originalis librorum N.T. non tantum *substantialiter,* sed plerumque *absolute* incorruptus ad nos pervenit, saltem in familiis optimis codicum graecorum.[5]

b. Authentia *externa*: Textus originalis N.T. numquam publice declaratus est conformis autographis a magisterio Ecclesiae. At a) *Ecclesia graeca* (unita) eum solemniter adhibuit et adhibet tamquam authenticum; b) Ecclesia *occidentalis* eum adhibuit in emendatione Vulgatae.

[5]Prado p. 124; LThK s.v. Bibeltext.

ARTICULUS 2

AUTHENTIA VERSIONIS LXX

1. *Origo* huius versionis

Secundum "epistolam Aristaeae", tempore Ptolemaei II Philadelphi (285-247 ante Christum), 70 vel 72 viri graece verterunt libros hebraicos et aramaicos V.T. Quae versio hodie exstat et vocatur *"Septuaginta"*.

Nota. Post Christum, 3 aliae versiones graecae factae sunt: ab Aquila (ca. 130), a Theodotione (ca. 185), a Symmacho (ca. 200). 4 has versiones, simul cum textu originali (in scriptione hebraica et graeca), Origenes collegit in magno suo opere "Hexapla".[6]

2. *Authentia huius versionis*

a. Authentia *interna*: Dubium non est quin LXX fideliter reddiderint *substantiam* textus originalis. At a) adsunt multae ac graves *lectiones variantes* (v.g. in Jer); b) loci paralleli saepe multum inter se *differunt;* c) in *Dan* LXX ita differt a textu hebraico (masoretico) ut Ecclesia substituerit versionem Theodotionis.[7]

b. Authentia *externa*: LXX gaudet aliqua *approbatione* Ecclesiae. Nam a) hac versione usi sunt Apostoli et Ecclesia primitiva; eaque adhuc utitur *Ecclesia graeca* (unita); b) primae *versiones latinae* V.T. factae sunt secundum LXX, non secundum textum hebraicum; c) hanc versionem interpretati sunt ut Scripturam magni *Doctores* Ecclesiae graecae: S. Basilius, S. Gregorius Naz., S. Chrysostomus etc.

---

[6]CE s.vv. Hexapla, Septuagint; Lagrange, Le Judaisme p. 524-532; Swete p. 59-86.

[7]Schöpfer p. 719-721.

ARTICULUS 3

AUTHENTIA VERSIONIS LATINAE

Agemus primo de versionibus latinis quae factae sunt *ante* Conc. Trid., dein de decretis quae *Conc. Trid.* tulit circa Vulgatam latinam, tandem de Vulgata *hodierna.*

I. Versiones Veteres

A. *Itala* seu *vetus latina*

Iam *saec.* 2 libri aliqui (fortasse omnes) Scripturae versi sunt latine, et quidem (ut videtur) in Africa proconsulari. Libri V.T. versi sunt ex LXX, libri N.T. ex textu graeco.

Versio ipsa erat valde servilis seu literalis, adeo ut saepe retineret vocabula originalia; unde factum est ut multa eorum abirent in usum communem Christianorum; v.g. baptismus, mysterium, amen, scandalum, anathema, holocaustum.

B. *Opus S. Hieronymi*

Decursu temporum, Itala varias mutationes subierat. In fine saec. 4, S. Hieronymus queritur "tot esse exemplaria quot codices", i.e. unumquemque codicem differre ab aliis. S. Damasus, Rom. Pontifex, igitur iussit S. Hieronymum (331-420) versionem hanc *"graecae fidei reddere"*, i.e. emendare secundum textum graecum.

Novae huic editioni librorum sacrorum S. Hieronymus incubuit per 20 annos (383-405). Atque quid de facto praestiterit, sic breviter describi potest: a) primo emendavit N.T. et psalterium; b) dein emendavit V.T. atque denuo psalterium; c) tandem vertit plurimos libros V.T. (atque etiam psalterium) ex textu hebraico.

Haec tamen notanda sunt quoad singula stadia:

a. *Emendatio prima,* Romae facta, in eo consistebat ut S. Hieronymus corrigeret *N.T.* secundum textum graecum, sed tantum ubi erat discrepantia in sensu. Atque eum sic emendasse 4 evangelia, certum est;[1] fere certum est eum eodem modo correxisse ceteros libros N.T.—Emendatio prima *psalterii* transiit in usum Ecclesiae Romanae; hinc vocatur psalterium *'Romanum'*.

---

[1]S. Hieronymus etiam adoptavit ordinem evangeliorum communem apud Graecos: Mt, Mc, L, J; in Itala ordo fuerat: Mt, J, L, Mc.

b. *Emendatio secunda,* facta in Palaestina, in eo consistebat ut S. Hieronymus corrigeret *V.T.* secundum textum hexaplarem Origenis. Ipse quidem sic correxit omnes libros protocanonicos V.T., sed tantum 6 publice prodierunt, scil. Ps, Job, Prov, Eccl, Cant, Par. De reliquis libris V.T. ipse ait: "fraude cuiusdam amisimus". De facto non exstant nisi "Praefationes" et pauca fragmenta.[2]

c. *Versio V.T.*

Cum Judaei pertinaciter recusarent argumenta ex LXX, S. Hieronymus tandem *vertit V.T. ex textu hebraico.* Textus quo usus est, proxime accedit ad nostrum textum masoreticum (qui utique tunc caruit vocalibus). Ut autem versionem suam redderet fideliorem, etiam consuluit doctos rabbinos et versiones graecas Aquilae et Symmachi.

Quoad hanc versionem V.T., tria notanda sunt: a) In partibus deuterocanonicis librorum Esther et Daniel, S. Hieronymus inseruit *notas personales* (7 in Esther, 3 in Daniel). Quae notae retinentur in Vulgata hodierna, sed aliis typis imprimuntur, neque sunt canonicae (supra p. 572); additamenta graeca autem ad quae referunt, sunt canonica. b) In libro *Tobiae* etiam adsunt additamenta, interdum sat longa, ad textum graecum. Quae non statim reicienda sunt ut spuria; licet enim desint in omnibus aliis codicibus et versionibus, non possunt dici interpolationes ipsius S. Hieronymi; obstat probitas eius manifesta in vertendo. c) Concedi potest S. Hieronymum interdum clarius vertisse *vaticinia messianica.*[3]

C. *Post S. Hieronymum*

1. Emendatio *N.T.* quam paravit S. Hieronymus, mox transiit in usum Ecclesiae occidentalis.

Idem dici nequit de nova versione *V.T.* Ii enim qui habebant LXX ut inspiratam, reprobaverunt versionem factam ex textu *hebraico;* inter quos Rufinus (345-410) erat accerrimus eius impugnator. Unde per duo saecula, Itala et versio S. Hieronymi aequo favore fruebantur. Gradatim tamen versio S. Hieronymi praevaluit, et, teste S. Isidoro (mort. 636), iam saec. 7 ecclesiae occidentales ea generaliter utebantur.

---

[2]Psalterium sic emendatum transiit in usum ecclesiae Galliae; hinc vocatur psalterium *'Gallicanum'*.

[3]supra p. 341; Merk p. 415; Knabenbauer, Is I p. 314; LThK s.v. Tobias.

Tandem sub finem *saec. 8* facta est "vulgata" (i.e. ubique adhibita in occidente), licet nondum gauderet hoc titulo.

2. In decursu saeculorum autem, textus utriusque Testamenti, prout prodierat e manibus S. Hieronymi, varie *corruptus* est; atque ortae sunt variae 'familiae' seu typi textus S. Hieronymi.

Ob multitudinem 'lectionum variantium', periti igitur conati sunt redire ad textum ipsius S. Hieronymi. Atque saec. 13 orta sunt *"correctoria biblica"*, i.e. vel biblia cum largo margine in quo notatae sunt lectiones corrigendae, tenendae etc., vel libri qui continebant tantum has lectiones. Cum tamen correctoria ipsa inter se differrent, et cum Ecclesia nullum ex eis approbaret, corruptio "vulgatae editionis" sic potius aucta est.

3. Novus fons corruptionis apparuit *saec. 14*. Cum enim periti tunc inciperent discere linguas biblicas, scil. graecam, hebraicam, aramaicam, *comparare* poterant versionem latinam cum textu originali. Unde Laurentius Valla (ca. 1414) emendavit N.T. secundum textum graecum (quam emendationem Erasmus edidit anno 1505).

4. Anno 1450 apparuit primus liber *typis impressus,* quae erat Vulgata S. Hieronymi; atque ante 1500 fere 100 editiones eiusdem Vulgatae typis impressae sunt.

Anno 1516 Erasmus edidit textum graecum N.T., eique addidit suam versionem latinam (classicam). Tandem totam Scripturam ex textu originali *latine verterunt* et publicaverunt S. Pagnini, Card. Caietanus, Protestantes aliqui.—Alii periti contenti erant *emendare* textum "vulgatae latinae", collatis variis manuscriptis. Inter quos eminet Robertus Stephanus (Etienne), qui eam pluries edidit inde a 1528.[4]

II. Decreta Tridentina

Cf. Bainvel, Script. p. 187-192; Brodrick, Bellarmin I p. 298-302; DA IV col. 1970-1980; DThC s.v. Authenticité; Franzelin, Trad. p. 512-563; de Groot p. 698-715; Humphrey p. 233-252; Lercher I p. 609-615; LThK s.v. Vulgata; Mazzella, Virt. p. 568-583; Merk p. 181-7; Muncunill III p. 91-7; van Noort, Font. p. 85-91; Prado p. 88-94, 175-8; Schiffini p. 741-750; Schultes p. 558-561; Straub II p. 222-241; Vacant I p. 423-456; Vaccari, in IB p. 321-5; Wirceburgenses I p. 29-38.

---

[4]Hodierna divisio librorum sacrorum in *capita* fere aequalia debetur Stephano Langton, qui eam primus adhibuit in "Vulgata latina" (1214). Divisio hodierna in *versiculos* autem debetur R. Stephano, qui eam adhibuit in sua editione "Vulgatae latinae" anni 1555. Cf. Kenyon, The Story of the Bible p. 51.

A. *Tria decreta*

Tria sunt decreta Tridentina quae referunt ad Vulgatam latinam: a) in D 784 "vetus vulgata Latina editio" statuitur ut *norma* seu criterium librorum "sacrorum et canonicorum" (supra p. 571); b) in D 785 "haec ipsa vetus et vulgata editio" praescribitur ut *authentica;* c) in D 786 statuitur ut eadem Vulgata posthac "quam emendatissime *imprimatur*".

Tria notanda quoad sensum terminorum:

a. Vox *'editio'* non significabat unum aliquem codicem seu librum, sed versionem publicatam.

b. Terminis "vetus vulgata Latina editio" (D 784) et "vetus et vulgata editio" (D 785) Concilium distinguere voluit unam versionem a versionibus latinis nuper factis (v.g. a Valla, Pagnini etc.). Haec versio autem non erat a) Itala, neque b) emendatio vel versio Scripturae prout prodierat e manibus S. Hieronymi, neque c) Vulgata Sixto-Clementina (quae nondum exstabat). Sed Concilium locutum est de versione latina totius Scripturae quae iam per saecula "in Ecclesia legi consuevit" (D 784) seu quae "longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est" (D 785). Haec versio latina, *prout circumferebatur tempore Concilii,* terminis istis designabatur.

c. Quodsi quaeras relationem huius editionis ad opus S. Hieronymi, haec dicenda sunt: Editio haec continebat totum N.T. secundum *primam emendationem* S. Hieronymi, et libros protocanonicos V.T. (excepto psalterio) simul cum Judith secundum eius *versionem* ex textu originali. Reliqui libri V.T. (excepto psalterio) sumpti erant ex *Itala.* Psalterium erat *'Gallicanum'.*

B. *Valor dogmaticus.* a) D 784 est *definitio,* sed non directe tangit Vulgatam latinam. b) D 785 est decretum *disciplinare.* Fuerunt quidem qui dicerent etiam hoc decretum esse dogmaticum. Communior tamen sententia id negat. Idque iure. Decretum esse disciplinare patet ex eius verbis, motivo, scopo. c) D 786, saltem prout urget editionem emendatam Vulgatae latinae, est evidenter *disciplinare.*

C. *Authentia* huius Vulgatae latinae

Quid decreta haec statuant vel supponant quoad authentiam Vulgatae latinae (scil. prout exstabat tempore Concilii Trid.), 6 assertis declarabimus.

1. Conc. Trid. declaravit Vulgatam *authenticam* in D 785 (i.e. non ulterius distinguendo authentiam). Neque est qui neget Con-

cilium, utpote oecumenicum, habuisse auctoritatem ad hoc.

2. Conc. Trid. ***non*** declaravit Vulgatam unice seu ***exclusive*** authenticam, i.e. quasi nulla alia editio (sive textus originalis sive versionis) sit approbata aut conformis autographis.

Id patet 3 argumentis: a) Ex verbis D 785: "ex omnibus *latinis* editionibus quae circumferuntur"; Conc. nihil dicit de editionibus hebraicis, graecis, syriacis etc. b) Ex occasione ob quam D 785 latum est, scil. ob abusus ortos ex multitudine et varietate novarum versionum *latinarum*. c) Ex natura rei; nam saltem textus originalis nequit privari authentia sua ***interna,*** neque Ecclesia umquam dissuasit usum textus originalis, etiam in rebus fidei; Leo XIII enixe hortatur ad eius usum (D 1941).

Nota. *Salmanticenses* olim putabant Conc. Trid. declarasse Vulgatam latinam exclusive authenticam, et quidem a) externe, quatenus Catholico non iam liceret consulere textum originalem, b) interne, quatenus omnia alia apographa vel versiones corrigenda essent secundum eam. Atque hunc esse sensum decreti Trid., Protestantes adhuc repetunt.—*M. Cano* (Loci theol.II 13) prohibitum esse voluit recursum ad textum originalem ubi agitur de rebus fidei.—Utraque opinio est obsoleta.

3. Conc. Trid. neque declaravit neque supposuit Vulgatam latinam esse ***absolute*** authenticam, i.e. quasi Vulgata approbata sit quoad omnia et singula aut declarata conformis autographis etiam quoad minima. Nam ex historia Concilii constat Patres Tridentinos bene scivisse legi multa ***menda*** in ea, neque haec approbare voluisse. Unde etiam statuerunt (D 786) ut posthac imprimeretur "quam emendatissime".

Dices 1. a) Secundum D 784 libri sunt sacri "prout" leguntur in Vulgata; b) secundum D 785 Vulgatam non licet reicere "quovis praetextu". Atqui his verbis continetur authentia absoluta.

R. *C.M. N.min.* ad a) Cf. supra p. 571. ad b) Ex D 785 sequitur nulli licere reicere Vulgatam temere, propria auctoritate, ultimo iudicio.[5]

Urg. Patres Trid. declaraverunt authenticam Vulgatam ***posthac*** edendam. Ergo voluerunt eam declarare absolute authenticam.

R. *N.ant.* Patres Trid. locuti sunt de Vulgata tunc exsistente.

Dices 2. Anno 1571, ***Congregatio Concilii*** statuit "nihil posse asseverari quod repugnet Vulgatae editioni, etsi esset sola periodus, sola clausula vel membrum, vox vel dictio sola, vel syllaba iotave unum".

R. *Pius IX,* vivae vocis oraculo, declaravit hoc responsum non valere nisi pro rebus fidei.[6]

4. In D 785 Conc. Trid. declaravit Vulgatam textum ***officialem,*** sed tantum a) ***in usu publico*** b) ubi adhibetur lingua ***latina.***

---

[5]EB n. 121; Merk p. 184; Prado p. 93.

[6]Vacant I p. 435-456; Bainvel, Script. p. 188; DA IV col. 1978; Biblica 1932 p. 3.

Ergo a) Conc. non reprobavit textum originalem neque alias versiones, ne haereticorum quidem. b) In usu privato non restringitur libertas exegetae catholici; neque in usu publico prohibetur ne simul cum Vulgata adhibeatur textus originalis vel versio approbata. c) Ecclesia orientalis ne in usu publico quidem tenetur adhibere Vulgatam latinam.

5. Conc. Trid. nihil explicite docuit quoad authentiam *internam* Vulgatae latinae.[7] At Concilium duo *supposuit*: a) Vulgatam esse autographis *substantialiter* conformem quoad sensum, ac b) eam *carere errore in rebus fidei et morum.* Id quod patet ex tribus: a) Vulgata proposita est ut *norma inspirationis biblicae;* atqui non posset esse norma nisi esset saltem substantialiter conformis autographis quoad sensum.[8] b) Conc. tulit decretum D 784 praesertim ut haberet *fundamentum* solidum "in confirmandis dogmatibus et instaurandis moribus"; atqui Vulgata non esset fundamentum nisi careret errore in his rebus. c) In D 785 Conc. praescripsit usum Vulgatae pro lectionibus etc. *publicis;* atqui in his tunc praecipue agebatur de rebus fidei et morum; ergo Conc. supposuit Vulgatam esse autographis conformem et carere errore in his rebus.

Nota. Protestantes olim dixerunt Vulgatam esse versionem maxime vitiosam. Hodie multi aliter sentiunt.[9]

6. Conc. Trid. utrumque *merito* supposuit. Substantialem conformitatem Vulgatae cum autographis suasit praxis Ecclesiae occidentalis per 1000 annos (supra p. 576). Magisterii autem, quod est custos revelationis, est iudicare num versio librorum sacrorum sit bona necne.

Dices: *S. Augustinus* non approbavit versionem V.T. quam paravit S. Hieronymus (Ep. 104, 3-6; 116, 35).

R. 1. *Tr.* Non nunc loquimur de Vulgata prout prodierat e manibus S. Hieronymi, sed qualis exstabat tempore Conc. Trid.

R. 2. *Dist.* ob defectus internos *N.* ob rationes externas *C.* vel *subd.* initio *C.* semper *N.* Initio enim cum primo appareret nova versio V.T., S. Augustinus timuit ne "plebes Christi, quarum aures et corda illam (i.e. veterem) interpretationem audire consueverant, Hieronymi versione

---

[7]Ita probabilius contra Méchineau, Manning (Vat. Council p. 74), Höpfl, (Introd. p. 311) etc.

[8]Omittimus eos theologos (v.g. J. Morinus) qui olim putabant in D 784 Vulgatam latinam declaratam esse inspiratam qua versionem. Nemo iam tenet hanc opinionem.

[9]Höpfl, Introd. p. 318; Brodrick l.c. p. 289-297; de Groot p. 708; Kirchenl. s.v. James; H. Pope, in Clergy Review, Oct. 1939 p. 310-325.

perturbarentur" (cf. Ep. 82, 35; De civ. Dei 18, 43); in operibus suis ultimis autem S. Augustinus ipse usus est versione S. Hieronymi.[10]

D. Quaeres: Qualis *difformitas* inter Vulgatam latinam (prout exsistebat tempore Conc. Trid.) et autographa admitti potest?

In genere, admitti potest difformitas *accidentalis* (v.g. quoad ipsissima verba, quoad stilum etc.). Potest etiam admitti *pauca verba* addita esse vel omissa vel etiam mutata, praesertim ubi agitur de inspiratis per accidens (v.g. numeri annorum quibus vixerunt patriarchae). Idemque dici potest de una alterave sententia nullius momenti in contextu.[11]

Quoad *res fidei et morum*:

a. Admitti potest differentia *modalis* (uti auctores loquuntur); scil. potest eadem res exprimi clarius vel obscurius vel sub alio respectu. Exempla classica sunt: Gen 3, 15 ("ipsa conteret caput tuum"), Job 19, 25-7 (resurrectio carnis).[12]

b. "Potest fortasse *deesse* in Vulgata aliqui textus dogmaticus qui fuerit in autographis" (Mazzella, Virt. p. 575). Ei consentiunt: Merk p. 186; Humphrey p. 250; Höpfl, Insp. p. 314; Hurter I p. 199; Muncunill III p. 96; Prado p. 178; van Noort, Font. p. 91.

Sed etiamsi "textus dogmaticus" exciderit e Vulgata latina, non sequitur veritatem ipsam excidisse e deposito fidei. Nam a) idem textus conservatus esse potest in textu originali et aliis versionibus, b) eadem veritas contineri potest in aliis locis Scripturae vel in Traditione.

c. Potest *adesse* in Vulgata latina "textus dogmaticus" spurius, sed *non firmus,* i.e. qui "in Ecclesia legi consuevit" ut Scriptura. Tales, secundum iudicium peritorum, sunt a) 1 J 5, 7 et b) Act 8, 37.[13]

Magna semper erat disceptatio quoad *1 Cor 15, 51.* Textus genuinus est: πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Sed lectio varians codicis Bezae (πάντες μὲν ἀναστησόμεθα, οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα) per S. Augustinum transiit in usum latinum. Theologi tamen semper sibi erant conscii dubii.[14]

---

[10] de Groot p. 714; DA IV col. 1953-4.

[11] Ruwet, in IB p. 156.

[12] Merk p. 185, 971; DA IV col. 1966, 1978; Höpfl, Insp. p. 313; Bainvel, Script. p. 191.

[13] EB n. 121; Merk p. 778-780; Höpfl III p. 403-411; Rosadini III p. 66-72; Fernandez, in IB p. 437; DA IV col. 1973; Boudou p. 181; Jacquier p. 276-7; Lattey, Acts p. 60; supra p. 250.

[14] Brandenhuber, in Biblica 1937 p. 303-333, 418-438; Romeo, in VD 1934 p. 142-8, 250-5, 267-275; Straub II p. 231-240; Merk p. 186.

III. Vulgata hodierna

1. *Editio Sixto-Clementina*

Conc. Trid. etiam decrevit "ut *posthac* S. Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur" (D 786). Sperabant quidem Patres Trid. talem editionem fieri posse durante Concilio, ita ut eam approbare et in suis decretis adhibere possent. Sed res lentius processit. Tandem anno 1590 *Sixtus V* imprimi fecit editionem Vulgatae a seipso revisam.[15] Opere suo non contentus, hanc suam editionem iterum emendare coepit, sed inter labores emendationis morte abreptus est.

Anno 1592 tandem, sub *Clemente VIII,* impressa est editio Vulgatae latinae definitiva. Quae cum non multum differret a Sixtina, postea vocata est editio Sixto-Clementina. Authentia *interna* huius editionis vix maior est quam Vulgatae qualis exstabat tempore Conc. Trid.; atque theologi generatim admittunt easdem *difformitates ab autographis.*[16]

Nota. Conc. Vat. (D 1787) nihil fecit nisi *renovavit* decreta Tridentina. Unde etiam terminus "vetus vulgata latina editio" quo utitur, non significat editionem Sixto-Clementinam, sed eam quae exstabat tempore Conc. Trid.[17]

2. Hodie textus *officialis* Vulgatae latinae est *editio Sixto-Clementina;* patet ex literis "Cum sacrorum Bibliorum" Clementis VIII, quae legitur in capite cuiusvis editionis catholicae.

De qua tria notanda: a) Editionem Sixto-Clementinam esse substantialiter conformem editioni Vulgatae approbatae a Conc. Trid., constat ex auctoritate Rom. Pontificum qui eam publicaverunt. b) Varias editiones Vulgatae latinae a Catholicis factas (v.g. a Hetzenauer) esse copias fideles editionis officialis, constat ex earum "Imprimatur". c) Editiones ab aliis factas (v.g. a Nestle) esse copias fideles, non constat nisi scientifice.

Nota. Quoad versionem *anglicam* (Douay Version), quae facta est secundum Vulgatam latinam, cf. W. L. Newton, in EcclR 1938 I p. 42-50; idem, in Cath. Bibl. Qu. 1940 p. 215-228; H. Pope, in Clergy Rev., Oct. 1939 p. 311-325.

3. *Emendatio Vulgatae*

Textus Vulgatae Sixto-Clementinae non est perfectus, sive spec-

---

[15] Bulla *"Aeternus ille"*, quam Sixtus V praemittere voluit suae editioni (et quam Hetzenauer ponit in fine), non fuit iuridice promulgata ac proinde caret auctoritate. Cf. Vaccari, in IB p. 317; Dorsch II p. 320; Straub II p. 913-4; Kneller, in ZkTh 1928 p. 202-224; Merk, in Scholastik 1927 p. 515 sqq.

[16] CE s.v. Versions of the Bible; Brodrick, Bellarmin I p. 277-309.

[17] Granderath, Const. p. 47.

tas eius relationem ad S. Hieronymum sive ad textum originalem sive ad autographa. Id ipsi editores admiserunt (in Praefatione ad Lectorem) et periti statim senserunt. Saec. 19 igitur coeperunt adlaborare emendationi Vulgatae: Vercellone in Italia, Tischendorf in Germania, J. Wordsworth et J. White in Anglia etc.

Tandem anno 1907, *Pius X* instituit Commissionem pontificiam quae pararet novam editionem criticam Vulgatae. Eius scopus est restaurare, quantum est possibile, editionem quae prodiit e manibus S. Hieronymi.[18]

Huius revisionis hucusque (1940) in lucem prodierunt 5 libri Pentateuchi, Josue, Judices, Ruth.

[18]CE s.v. Vulgate; Merk, in StZ 1938 p. 195-9.

CAPUT SEXTUM

STUDIUM S. SCRIPTURAE

Sicut fecimus quoad Traditionem (supra p. 554-560), ita nunc breviter considerabimus relationem S. Scripturae a) ad magisterium Ecclesiae, b) ad theologos, c) ad sacerdotes omnes, d) ad simplices fideles.

A. Magisterium

1. *Magisterium pendet a S. Scriptura.* Nam Deus ei tradidit S. Scripturam ut fontem amplissimum revelationis publicae. Hinc magisterium eam neque reicere neque neglegere neque mutare potest, sed adhibere eam debet "ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia" (2 Tim 3, 16).[1]

2. *S. Scriptura pendet a magisterio.* Nam a magisterio nos accipimus a) ipsam Scripturam, b) doctrinam de Scriptura, c) doctrinam Scripturae. Scil. a) magisterium custodit ac conservat S. Scripturam eamque nobis tradit; b) magisterium nobis testatur eius naturam, i.e. inspirationem biblicam sub quadruplici respectu; c) magisterium eam nobis interpretatur eamque vivificat seu reducit in praxim Catholicorum. Quae omnia continentur in celebri dicto S. Augustini: "Ego evangelio non crederem nisi me commoveret Ecclesiae auctoritas" (supra p. 667).

Neque ideo magisterium dicendum est esse *supra* Scripturam —sicut neque iudex est supra legem.[2]

Nota. *Inspirata per se* quae clare et perspicue leguntur in S. Scriptura, videntur esse "de fide divina et catholica". Id enim sequi videtur ex eo quod magisterium nobis proponit totam Scripturam ut verbum Dei. Ita theologi communiter.[3]

3. *Ius regulandi lectionem S. Scripturae*

Hoc ius competere magisterio, patet ex eo quod a) Ecclesia

---

[1]In sua oratione "In Vig. Nat. Domini", S. Bernardus dicit Ecclesiam posse mutare ordinem verborum Scripturae ut accommodaret textum suae praedicationi. Et E. F. Scott (Lit. etc. p. 14) asserit hanc fuisse praxim communem Ecclesiae primitivae. Sed magisterium numquam sibi vindicavit hoc ius, neque ullus theologus secutus est opinionem S. Bernardi.

[2]Bainvel, Script. p. 44-7; Pesch, Insp. p. 586-590; Fillion, Study of the Bible ch. 44; Vaughan p. 216-222.

[3]Mazzella, Virt. p. 189; DThC VII col. 2336-2340.

discens accipit Scripturam a magisterio, et b) quod magisterium est unicus eius interpres authenticus.

Praxis regulandi lectionem Scripturae autem *non semper eadem* erat. Magisterium quidem numquam absolute prohibuit eam, sed prout maius vel minus erat periculum perversionis ex tali lectione, alia in aliis adiunctis erat praxis. Atque distinguere possumus 5 stadia historica:

a. Ante saec. 13 nulla erat restrictio. Immo Patres enixe hortati sunt fideles ut legerent Scripturam. Et licet essent sectae quae ea abutebantur, abusus generatim tangebat paucos textus.

b. Inde a saec. 13 autem sparsae sunt *malae versiones* Scripturae. Unde synodi quaedam provinciales ediderunt prohibitiones locales; v.g. synodus Tolosana anno 1229, Tarraconensis anno 1233. Anno 1408, synodus Oxoniensis (Oxford) vetuit versiones anglicas—nisi essent approbatae.

c. Reformatores saec. 16 non tantum proclamaverunt Scripturam ut regulam fidei et unicum fontem revelationis, sed simul coeperunt spargere novas versiones.

Iam *Leo X* in duabus bullis ("Inter sollicitudines" 1515, "Supernae maiestatis" 1516) restrinxit facultatem imprimendi Scripturam atque inculcavit obligationem eam interpretandi iuxta doctores "quos Ecclesia vel usus diuturnus approbavit".

Anno 1564 *Pius IV* edidit "Indicem librorum prohibitorum", quo generatim prohibebatur lectio Scripturae in lingua *vulgari* (non autem in textu originali aut in Vulgata latina). Recte quidem. Sic quoad versiones anglicas tunc factas dicit Vaughan (l. c. p. 81): "The early English Protestant translations, known as those of Tyndale, of Coverdale, and of Queen Elizabeth's Bishops, were so notoriously corrupt as to cause a general outcry against them, even among learned Protestants".[4]

Nota. Initio episcopi vel inquisitores concedere poterant facultatem legendi Scripturam in lingua vulgari; postea (sub Sixto V et Clemente VIII) concessio huius facultatis reservabatur Rom. Pontifici (i.e. Congregationi Indicis).

d. Imminuto periculo, disciplina haec mitigata est. Uti videtur, Benedictus XIV permisit lectionem versionum modernarum, dummodo approbatae essent a magisterio vel annotatae dictis Patrum.

---

[4]Wirceburgenses I p. 55-7; Hefele-Leclercq, Hist. des Conciles X 1 p. 11-12.

e. Legem quae *hodie* viget in Ecclesia, habes in CIC can. 1391, 1399, 1400.

B. Theologi

I. *Generalia*

1. Leo XIII S. Scripturam vocat *"animam" Theologiae* (EB n. 99). Et Benedictus XV monet theologos: "Argumenta *ex Scripturis* petenda sunt, quibus fidei dogmata illustremus, confirmemus, tueamur" (EB n. 496). Nec mirum; Scriptura enim est fons revelationis amplissimus.[5]

2. Quoad *dispositiones animi* pro legendis et exponendis Scripturis, cf. Wirceburgenses I p. 47-8; Cornely, Introd. I p. 592-4; Holzmeister, in VD 1939 p. 3-10.

3. Recte monet Caietanus: "Considera, prudens lector, evangelii textum, et *teipsum evangelio,* non evangelium tuo accommoda sensui" (In Mt 5, 31). Et S. Augustinus nos monet ne "velimus sententiam Scripturarum esse quae nostra est, cum potius eam quae Scripturarum est, nostram esse velle debeamus" (De Gen. ad lit. I 18, 37).

4. *Exegeta catholicus* tria semper prae oculis habeat: a) interpretationem authenticam ac praesertim infallibilem magisterii et (tamquam casus specialis) consensum Patrum, b) inspirationem ac speciatim inerrantiam omnimodam autographorum Scripturae, c) analogiam totius fidei catholicae.

Atque haec tria ei sint imprimis normae *negativae*. Sic ne dicat "fratres" Christi (Mt 12, 46) fuisse uterinos; nam fides catholica tenet perpetuam virginitatem B.V. Mariae. Sed eadem tria ei etiam sint normae *positivae*. Scil.

a. Is est verus sensus Scripturae "quem tenuit ac tenet sancta mater *Ecclesia*" (D 1788).—Sanctorum Patrum autem "summa auctoritas est" (D 1944).

b. Ex inspiratione duo sequuntur: a) admitti debet ut genuina interpretatio quam dat vel *Deus* ipse (v.g. Is 5, 1-7) vel *Christus* (v.g. Mt 13, 4-23) vel *hagiographus* (v.g. Mt 1, 22); b) admitti etiam debet sensus implicitus, typicus, plenior tamquam genuinus.

c. Ex analogia fidei duo sequuntur: a) is est verus sensus qui solus congruit analogiae fidei; b) si locus certo authenticus

---

[5] EB n. 68-71; DThC IV col. 2099-2101; Fillion l.c. ch. 13.

est clarus, iuxta eum interpretandi sunt alii loci obscuri qui agunt de eadem re. Sic cum Maria vocat Josephum "patrem" Iesu (L 2, 48), id intellegendum est de patre legali vel putativo; conceptus virginalis enim clare constat ex L 1, 34-5 et Mt 1, 20.[6]

II. *Argumentum scripturisticum*

Argumentum dicitur scripturisticum seu biblicum si deducitur ex loco *authentico* Scripturae secundum sensum eius *genuinum*. Potest utique esse certum vel probabile.

Plura notanda:

1. Non omnes theses Theologiae (etiam positivae) debent aut possunt probari argumento scripturistico. Neque enim tenemus Scripturam continere *totum* depositum fidei aut esse *unicum* fontem revelationis.[7]

2. Argumentum ut sit *certum,* supponitur a) locum esse authenticum, et b) sensum esse genuinum et clarum. Sed merae probabili interpretationi inhaerendum non est tamquam certae aut omnibus tenendae "ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi praecludatur" (S. Thomas I qu. 68 a. 1).[8]

Nota. Quaeritur num argumentum dici possit scripturisticum quod trahitur ex loco *obscuro.* Affirmat de San (p. 44). Sed videtur esse distinguendum: Si locus est obscurus in se, sed non in contextu *C.* si est obscurus cum in se tum in contextu *N.* vel *subd.* ad argumentum certum *N.* probabile *Tr.* Contextus autem intellegitur quadruplex (supra p. 693-4). Attendatur etiam ad progressum revelationis, si qui est.

3. Quae sit authentia textus hodierni (sive originalis sive versionum), cf. supra p. 698-710. Argumentum scripturisticum autem generatim fiet ex *Vulgata latina,* qui est textus officialis Ecclesiae latinae.

Iamvero Vulgata latina haud raro est obscura, ambigua, mendosa, ita ut exegeta erret nisi diligenter consulat textum originalem. Unde dicit Leo XIII: "Quamvis, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, inspectio praecedentis linguae, suasore Augustino, proficiet" (D 1941).

Hinc Ecclesia commendat theologis studium linguarum "bibli-

---

[6]Eadem principia adhiberi possunt pro solutione obiectionum.
[7]Goossens, in BN p. 1143-5.
[8]Fillion l.c. ch. 45.

carum" (hebraicae, aramaicae, graecae); neque enim theologus contentus esse debet versionibus magis vel minus perfectis.[9]

4. *Argumentum ex diversis sensibus*

Cum duplex sit sensus genuinus Scripturae, et cum etiam alii sensus distinguantur, videndum est quid valeant argumenta ex singulis.

a. Argumentum ex sensu *"literali"* sane est optimum; neque refert utrum locus sumendus sit proprie an metaphorice.

b. Argumentum ex sensu *typico* per se est eiusdem valoris atque ex sensu "literali". Hinc videmus hagiographos eo saepe uti. Sic S. Paulus (Hebr 1, 5) probat Christum antecellere angelis ex 2 Reg 7, 14 ("Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in filium"), quae verba "literaliter" referunt ad Salomonem.[10]

Nihilominus argumentum hoc est parvae utilitatis theologicae. Idque ob duplicem rationem: a) Sensus typicus alicuius loci aut est certus aut tantum probabilis; si est certus, tantum certus est ex fontibus revelationis (v.g. 2 Reg 7, 14); si est tantum probabilis, argumentum ex eo est tantum probabile (v.g. si Immaculata Conceptio probetur ex Esther 15, 13). b) Sensus typicus fundatur in similitudine inter typum et antitypum. Iamvero eadem res similis esse potest alteri sub uno respectu, non sub alio, vel similis esse potest multis aliis rebus. Hinc similitudo sub uno respectu non semper involvit similitudinem sub aliis, et incertum saepe est quinam ex diversis respectibus praefiguratus sit per typum.

Inde est quod S. Thomas neget (I qu. 1 a. 10 ad 1) ex sensu typico trahi argumentum efficax, et quod theologi vix umquam probent thesim ex solo sensu typico.[11]

Nihil autem obstat quin sensus typicus adhibeatur ad *illustrandam* doctrinam aliunde certam.[12]

c. Argumentum ex sensu *pleniore* est infirmum. Nam ipse hic sensus non eruitur nisi indirecte, scil. ex comparatione utriusque Testamenti.[13]

---

[9]Höpfl, Insp. p. 146-150; Cornely, Introd. I p. 574-5; Fillion l.c. ch. 27-8; G. Milligan p. 63-81.
[10]Höpfl, Insp. p. 138; Merk p. 246-7; Kortleitner p. 27.
[11]Höpfl, Insp. p. 139; Pesch, Insp. p. 167; Billot, Insp. p. 90; Kortleitner p. 28.
[12]Pesch, Insp. p. 569; Cornely, Introd. I p. 560; Dorsch III p. 260.
[13]DA I col. 1834.

d. Argumentum ex sensu *consequente* est omnino certum; nam ex vero non sequitur nisi verum. Neque Christus aut Apostoli dubitaverunt arguere ex eo; v.g. Mt 22, 32; Rom 4, 13-24; 1 Cor 9, 9-14.

e. Cum sensus *accommodatus* non sit genuinus, neque verba Scripturae hoc sensu citanda sunt ut biblica, neque argumentum ex hoc sensu dici potest scripturisticum. Neque argumentum fit scripturisticum si trahitur ex sensu accommodato prout adhibetur ab Ecclesia.

Nihilominus Leo XIII dicit de accommodatione *"per extensionem"*: "Talem interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti" (EB n. 97). Sic in precibus *nobis* laudabiliter accommodamus verba biblica; v.g. "adiuva nos, Domine Deus noster" (Ps 78, 9); "Pater, si vis, transfer calicem istum a me" (L 22, 42).[14]

Nota. Parum laudanda est accommodatio *"per allusionem"*; nam vim infert textui sacro. Et reprobanda est quaevis accommodatio quae nititur in falsa interpretatione textus sacri, praesertim si textus detorqueatur ad vana, profana, scurrilia etc. Hinc Leo XIII (l.c.) supponit accommodationem semper "ex literali descendere et multorum auctoritate fulciri".[15]

C. Sacerdotes

1. Sacerdotibus omnibus usus continuus Scripturae non tantum valde utilis, sed prorsus *necessarius* est. Unde lectionem Scripturae S. Hieronymus sic commendat Nepotiano sacerdoti: "Divinas Scripturas saepius lege; immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur" (Ep. 52).[16]

Atque lectio Scripturae sacerdoti necessaria est a) pro *vita spirituali propria.* Nam, ut utamur verbis Benedicti XV: "Cibus quaerendus est unde vita spiritus ad perfectionem alatur"; et: Christi amor, qui est perfectio vitae spiritualis, "scientiae Scripturarum praecipuus ac dulcissimus omnium fructus habendus est" (EB n. 504). b) Quoad *ministerium verbi* idem Rom. Pontifex.

---

[14]EB n. 499; Mangenot, in Dict. de la Bible I col. 113-4.

[15]Merk p. 249; Höpfl, Insp. p. 142-4; Fernandez, in IB p. 356-7; Holzmeister, in VD 1938 p. 272-8.

[16]Fillion, Study of the Bible ch. 10-2, 20-1.

dicit: "Praecipuus Scripturae usus ad divini verbi ministerium pertinet sancte fructuoseque exercendum". Cf. 1 Tim 4, 13 "attende lectioni", i.e. Scripturae; 2 Tim 3, 16-7.[17]

2. *Modus utendi Scriptura*:

a. *Simplex lectio*. Legantur singuli libri sacri *cursorie*, i.e. ita ut vix attendatur ad obscuritates vel difficultates quae forte occurrunt. Attamen *antequam* liber incipiatur, inspiciatur eius argumentum et divisio (quae datur in Introductione); dum liber legitur, *scriptis* notentur ea quae videntur esse maioris momenti; libro tandem finito, *revocetur* argumentum et divisio, ut quasi memoriae imprimantur ea quae lecta sunt.[18]

Nota. Quamvis versio anglica utilis esse possit ad hoc, praestat adhibere Vulgatam latinam, quae est textus officialis Ecclesiae occidentalis, et editionem quae continet divisiones textus logicales (v.g. Hetzenauer, Merk).[19]

b. *Studium serium*. Lectioni cursoriae addat studium diligens, praesertim N.T. ac imprimis 4 evangeliorum. Legat igitur hanc vel illam "vitam Christi", consulat probatos exegetas, neque neglegat magnos commentarios Patrum. Finis primarius huius studii autem sit cognitio sensus "literalis". Hoc enim cognito, praedicator non vendet suas ideas pro ideis Dei ipsius.[20]

Haec valent praesertim pro parabolis evangelicis.[21]

c. *Thesaurus biblicus*. Opus personale sacerdotis est sibi parare collectionem textuum Scripturae qui referunt ad varia dogmata, praecepta, virtutes, vitia etc.[22]

D. Simplices Fideles

1. Neque simplex lectio neque studium Scripturae his necessarium est. Nam a) non datur ullum praeceptum divinum; b) regula fidei catholicae non est Scriptura, sed praedicatio magisterii semper vivi.

Hinc magisterium iure damnavit theses quae talem obligationem

---

[17] Fillion l.c. ch. 14-6.
[18] Fillion l.c. ch. 23.
[19] Fillion l.c. ch. 22.
[20] Fillion l.c. ch. 24-6; Bainvel, Les contresens bibliques des prédicateurs. Recte queritur Höpfl: "Scriptores ascetici qui haec ignorant, interdum modo vere horribili sacram Scripturam tractant" (Insp. p. 147).
[21] Fonck, Parables etc. p. 42-52; Dict. prat. s.v. Bible.
[22] Fillion l.c. p. 95-6; Divine Armory.

inculcant vel supponunt (D 1429-1435, 1567), et "societates biblicas" quae etiam eam supponunt.[23]

2. Nihilominus lectio Scripturae eis est *pia* et *utilis*. Id patet a) ex cohortationibus Patrum, b) ex praxi Ecclesiae, quae adhibet Scripturam in sua liturgia, eam praelegit fidelibus, eam vertit in linguas vulgares, c) ex indulgentiis quas Ecclesia donat eos qui Scripturam cotidie legunt.[24]

Tria tamen notanda:

a. "Omnis Scriptura sacra eo spiritu debet legi quo facta est. Quaerere potius debemus *utilitatem* in Scripturis quam subtilitatem sermonis" (Imitatio Christi I 5).[25]

b. Cum Scriptura sit in multis obscura, eius lectio non caret omni *periculo*. Facile enim fit ut fideles eam male interpretentur, vel ut putent eam esse regulam fidei. Hinc serventur normae a magisterio praescriptae.[26]

c. Non omnium librorum par est utilitas, neque ulla est ratio legendi eos ex ordine. De *evangeliis* autem ait Pius X: "Evangelium est liber omnium, ex quo etiam humilium animae haurire possunt instructiones utiles simul et dulces". Sed, uti testatur S. Paulus (Rom 15, 4), etiam lectio V.T. Christianis utilis est.[27]

3. *Fructus* huius lectionis: Magis aestimatur Scriptura, fides roboratur, dogmata catholica fiunt magis concreta, augetur amor Christi et Ecclesiae, facilius oratur etc.[28]

---

[23] Wirceburgenses I p. 52-63; CE s.v. Bible Societies; LThK s.v. Bibelgesellschaften.

[24] W. H. Russell, The Bible and Character ch. 1-4; Fabbi, in Biblica 1933 p. 345-6; Lenhart, in EcclR 1939 II p. 193-220.

[25] Russell l.c. ch. 5.

[26] Quod periculum vix oritur ubi instituuntur "Bible Reading Circles" sub sacerdote directore. Cf. Fillion l.c. ch. 48; van Noort, Font. p. 81-2; Zerwick, in VD 1939 p. 347-352.

[27] Fillion l.c. ch. 17-8; Coppens, in EphL 1938 p. 703; Bierbaum p. 73; supra p. 577.

[28] H. Rost, Die Bibel im Mittelalter (1939).

Conclusio

Videmur nobis, Deo favente, praestitisse opus quod suscepimus. Probavimus enim id omne et solum quod probandum initio tractatus statuimus, scil. *D 1792*. Qua in probatione tamen non fuimus contenti uno vel altero argumento, sed ut dogma hoc fundamentale Ecclesiae Catholicae firmissime stabiliatur, attulimus fere omnia argumenta quae afferri poterant; clare etiam pandimus vim apologeticam vel dogmaticam singulorum.

Stat igitur auctoritas suprema magisterii semper vivi Ecclesiae Catholicae in rebus fidei et morum, simulque tironibus Theologiae patent methodi arguendi modo stricte dogmatico.

A.M.D.G.

BIBLIOGRAPHIA

Auctores non-Catholici *asterisco* notantur. *Abbreviationes* quorundam librorum indicantur ad calcem paginae.

Adler, N.—*Das erste christl. Pfingstfest.* Münster 1938
Agius, G.—*Tradition and the Church.* Boston 1928
Algermissen, K.—*Konfessionskunde.* Hannover 1930
Allard, P.—*Ten Lectures on the Martyrs.* London 1907
Allo, E. B., O.P.—*L'Apocalypse.* Paris 1921
Anwander, A.—*Die Religionen der Menschheit.* Herder 1927
Arendzen, J. P.—*The Gospels: Fact, Myth or Legend?* Herder 1923
idem—*Prophets, Priests and Publicans.* London 1926
idem—*Whom do you Say—?* Herder 1927
idem—*Men and Manners in the Days of Christ.* Herder 1928

Baierl, J. J.—*The Theory of Revelation* (2 vols.), Rochester, N. Y. 1927, 1933
Bainvel, J. V.—*De Magisterio vivo et Traditione.* Paris 1905
idem—*De Scriptura sacra.* Paris 1910
idem—*Nature et Surnaturel.* Paris 1920
idem—*De Ecclesia Christi.* Paris 1925[1]
Bardenhewer, O.—*Patrology.* Herder 1908
*Barton, G. A.—*The Apostolic Age.* Phila. 1936
Battifol, P.—*The Credibility of the Gospels.* Longmans 1912
idem—*Le Siège Apostolique* (359-451). Paris 1924
Bea, A., S.J.—*De Pentateucho.* Rome 1933
idem—*De Scripturae s. Inspiratione* (ed. 2). Rome 1935[2]
Belser, J. E.—*Der Epheserbrief.* Herder 1908
idem—*History of the Passion.* Herder 1929
*Benn, A. W.—*The History of English Rationalism* (2 vols.). Longmans 1906
Beraza, B., S.J.—*De Gratia Christi.* Bilbao 1916
Bierbaum, A., O.F.M.—*Anstossiges im Alten Testamente.* Kevelaer 1936
Billot, L., S.J.—*De virtutibus infusis* (ed. 3). Rome 1921
idem—*De immutabilitate Traditionis* (ed. 3). Rome 1922
idem—*De Inspiratione S. Scripturae* (ed. 3). Rome 1922
idem—*De Ecclesia Christi* (2 vols. ed. 5). Rome 1927[3]
Bilz, J.—*Einfuhrung in die Theologie.* Herder 1935
*Bleek, F.—*Einleitung in das N.T.* (ed. 4). Berlin 1886
Bonniot, P. J., S.J.—*Le miracle et ses contrefaçons.* Paris 1887
Bonsirven, J., S.J.—*On the Ruins of the Temple.* London 1931
idem—*Le Judaisme palestinien* (2 vols.). Paris 1935[4]
idem—*Exégèse rabbinique et exégèse paulinienne.* Paris 1939

---

[1]BainvelE
[2]Bea
[3]BillotE.
[4]Bonsirven

Boudou, A., S.J.—*Actes des Apôtres.* Paris 1933
Bougaud, E.—*The Divinity of Christ.* Baltimore 1926
*Bousset, W.—*Kyrios Christos* (ed. 2). Göttingen 1921
Braun, Fr.-M., O.P.—*Où en est le problème de Jésus?* Paris 1932
Brillant, M. (et M. Nédoncelle)—*Apologétique.* Paris 1937[5]
*Brown, W. A.—*The Church: Catholic and Protestant.* N. Y. 1935
*Browne, L.—*Stranger than Fiction.* Macmillan 1925
*Bruce, A. B.—*The Miraculous Elements in the Gospels.* N. Y. 1886
idem—*Apologetics.* N. Y. 1924
Brunsmann-Preuss—*A Handbook of Fundamental Theology* (4 vols.). Herder 1931
Butler, C.—*The Vatican Council* (2 vols.). Longmans 1930

*Cadoux, C. J.—*Catholicism and Christianity.* N. Y. 1929
*Case, S. J.—*The Social Origins of Christianity.* Chicago 1927
idem—*Jesus.* Chicago 1928
idem—*The Historicity of Jesus.* Chicago 1928
idem—*Experience with the Supernatural.* N. Y. 1929
idem—*Jesus through the Centuries.* Chicago 1932
Casey, P. H., S.J.—*The Bible and its Interpreter.* Philadelphia 1900
*Cassels, W.—*Supernatural Religion* (3 vols. ed. 4). London 1874
Ceulemans, F. C.—*Comm. in Mc et L.* Malines 1899
idem—*Comm. in Mt.* Malines 1900
Ceuppens, P. F., O.P.—*De prophetiis messianicis in A. T.* Rome 1935
*Chase, F. H.—*The Credibility of the Acts of the Apostles.* Macmillan 1902
*Cheyne, T. K.—*Founders of O. T. Criticism.* N. Y. 1893
idem—*Bible Problems.* N. Y. 1904
Cladder, H. J., S.J.—*Unsere Evangelien.* Herder 1919
idem—*In the Fulness of Time.* Herder 1925
*Colenso, J. H.—*The Pentateuch and Book of Joshua* (5 vols.). London 1862-1879
*Concordia Cyclopedia. St. Louis 1927
Conway, B. L., C.S.P.—*The Question Box* (ed. 2). N. Y. 1929
Cornely, R., S.J.—*Introd. in S. Scripturam* (3 vols.). Paris 1925
idem—*Comm. in Rom.* Paris 1927
idem—*Comm. in 1 Cor.* Paris 1909
idem—*Comm. in 2 Cor et Gal.* Paris 1909

Dausch, P.—*Die drei älteren Evangelien.* Bonn 1932
*Deissmann, A.—*Licht vom Osten* (ed. 4). Tübingen 1932
idem—*The Philology of the Greek Bible.* London 1908
Deneffe, A., S.J.—*Der Traditionsbegriff.* Münster 1931
Dictionnaire pratique de connaissances religieuses
Dieckmann, H., S.J.—*De Ecclesia* (2 vols.). Herder 1925[6]
idem—*De Revelatione christiana.* Herder 1930[7]
*von Dobschütz, E.—*The Eschatology of the Gospels.* London 1910
*Dodd, C. H.—*The Authority of the Bible.* N. Y. 1929
Donovan, J., S.J.—*The Authorship of St. John's Gospel.* London 1936

---

[5]BN
[6]DieckmannE.
[7]DieckmannR

Dorsch, E., S.J.—*Institutiones Theologiae fundamentalis* (3 vols.). Innsbruck 1916-1927
Duplessy, E.—*Apologétique* (3 vols.). Paris 1924-1927

Ehrhard, A.—*Die Kirche der Märtyrer.* Pustet 1932
Ehrle, Card.—*Die Scholastik und ihre Aufgaben in unserer Zeit* (ed. 2). Herder 1933
*Enslin, M. S.—*Christian Beginnings.* N. Y. 1938
Eymieu, A.—*Two Arguments for Catholicism.* Benziger 1927
van den Eynde, D., O.F.M.—*Les normes de l'enseignement chrétien.* Paris 1933

Falcon, J., S.M.—*La crédibilité du dogme catholique.* Paris 1933
*Farrar, F. W.—*History of Interpretation.* Macmillan 1886
*Fascher, E.—*Die formgeschichtliche Methode.* Giessen 1924
Feder, A., S.J.—*Lehrbuch der geschichtlichen Methode* (ed. 2). Pustet 1924
Felder, H., O.M.Cap.—*Apologetica* (2 vols.). Paderborn 1923[8]
idem—*Christ and the Critics* (2 vols.). Benziger 1924
Festugière, A. J., O.P.—*L'idéal religieux des Grecs et l'Evangile.* Paris 1932
idem—*Le monde gréco-romain au temps de Notre-Seigneur.* Paris 1935
Fillion, L.-Cl., S.S.—*Les miracles de Notre-Seigneur* (2 vols.). Paris 1909
idem—*Les étapes du rationalisme.* Paris 1911
idem—*The Life of Christ* (3 vols.). Herder 1927-1929
idem—*The Study of Scripture.* N. Y. 1926
*Filson, F. V.—*Origins of the Gospels.* N. Y. 1938
Finlay, P., S.J.—*Divine Faith.* Longmans 1917
idem—*The Church of Christ.* N. Y. 1928
Fischer, J.—*Isaias 40-55.* Münster 1916
*Foakes-Jackson, F. J.—*Peter: Prince of Apostles.* N. Y. 1927
idem—*The Rise of Gentile Christianity.* N. Y. 1927
Fonck, L., S.J.—*Der Kampf um die Wahrheit der hl. Schrift.* Innsbruck 1905
idem—*Die Wunder des Herrn.* Innsbruck 1907
idem—*The Parables of the Gospel.* Pustet 1914
Fröbes, J., S.J.—*Lehrbuch der experimentellen Psychologie* (2 vols.). Herder 1923, 1929
Franzelin, J. B., S.J.—*De divina Traditione et Scriptura* (ed. 3). Rome 1882
idem—*De Ecclesia Christi.* Rome 1907

Gächter, P., S.J.—*Summa Introductionis in N.T.* Innsbruck 1938
Gallonio, A.—*Tortures and Torments of the Christian Martyrs.* Paris 1903
Gardeil, A., O.P.—*La crédibilité et l'Apologétique.* Paris 1928
Garrigou-Lagrange, R., O.P.—*De Revelatione* (ed. 3). Rome 1925
Gerster, T. V., O.M.Cap.—*Iesus in ore Prophetarum.* Turin 1934
Goebel, B., O.M.Cap.—*Katholische Apologetik.* Herder 1930
Goldstein, D.—*Campaigning for Christ.* Boston
idem—*Autobiography.* Boston 1936
*Goodspeed, E. J.—*New Chapters in N.T. Study.* Macmillan 1937
idem—*An Introduction to the N.T.* Chicago 1937
Grabmann, M.—*Geschichte der kath. Theologie.* Herder 1933

[8]FelderA.

Granderath, Th., S.J.—*Constitutiones dogmaticae.* Herder 1892
idem—*Geschichte des Vatikanischen Konzils* (3 vols.). Herder 1903-6
Grandmaison, L., S.J.—*Jesus Christ* (3 vols.) N. Y. 1930-4
de Groot, J. V., O.P.—*Apologetica.* Ratisbon 1906

*Harnack, A.—*Geschichte der altchristlichen Literatur* (3 vols.). Leipzig 1893-1904
idem—*History of Dogma* (7 vols.). Boston 1899-1903
idem—*Das Wesen des Christentums.* Leipzig 1901
idem—*The Sayings of Jesus.* N. Y. 1908
idem—*Luke the Physician.* N. Y. 1908
idem—*The Acts of the Apostles.* 1909
idem—*Die Entstehung des N.T.* Leipzig 1914
*Hatch, E.—*The Organization of the Early Christian Churches.* Longmans 1901
idem—*The Influence of Greek Ideas and Usages upon the Christian Church.* London 1890
*Headlam, A. C.—*Miracles of the N.T.* Murray 1915
idem—*The Life and Teaching of Jesus Christ.* London 1923
idem—*The Church of England.* N. Y. 1924
d'Herbigny, M., S.J.—*La Théologie du révélé.* Paris 1921
idem—*Theologica de Ecclesia* (2 vols. ed. 3). Paris 1927-8[9]
Hervé, J. M.—*Manuale Theologiae dogmaticae* (vol. I). Paris 1929
Hettinger, F.—*Revealed Religion* (ed. 2). London 1905
Hofmann, R.—*Die heroische Tugend.* Pustet 1933
Hogan, J. B.—*Clerical Studies.* Boston 1898
*Holtzmann, H. J.—*Einleitung in das N.T.* (ed. 3). Freiburg 1892
Holzmeister, U., S.J.—*Dominus autem Spiritus est.* Innsbruck 1908
idem—*Summa Introductionis in N.T.* Innsbruck 1924[10]
idem—*Chronologia Vitae Christi.* Rome 1933
idem—*Comm. in Epistulas SS. Petri et Judae.* Paris 1937
Höpfl, H., O.S.B.—*Introductio Generalis* (ed. 2). Rome 1926
idem—*De Inspiratione S. Scripturae.* Rome 1923
Höpfl-Gut—*Introductio specialis in N.T.* Rome 1938
van Hove, A.—*La doctrine du miracle.* Paris 1927
Huby, J., S.J.—*The Church and the Gospels.* N. Y. 1931
Humphrey, W., S.J.—*The Sacred Scriptures.* London 1894
*Hunt, J.—*Religious Thought in England* (3 vols.). London 1870-3
Hurter, H., S.J.—*Theologia generalis* (ed. 9). Innsbruck 1896

Iung, N.—*Le magistère de l'Eglise.* Paris 1935

Jacquier, E., S.J.—*La crédibilité des Evangiles.* Paris 1913
idem—*Les Actes des Apôtres.* Paris 1926[11]
Jean, Ch.-F.—*La Bible et les récits babyloniens.* Paris 1933
Jouon, P., S.J.—*L'Evangile de Notre-Seigneur.* Paris 1930
*Julicher, A.—*An Introduction to the N.T.* London 1904
Jungmann, B.—*De vera religione.* Pustet 1901

---

[9]d'HerbignyE
[10]Holzmeister
[11]Jacquier

*Klausner, J.—*Jesus of Nazareth.* London 1929
Knabenbauer, J., S.J.—*Comm. in Mt* (2 vols. ed. 2). Paris 1922
idem—*Comm. in Mc.* Paris 1907
idem—*Comm. in L.* Paris 1926
idem—*Comm. in J.* Paris 1925
idem—*Comm. in Act.* Paris 1928
idem—*Comm. in epistolas Pauli* (2 vols.). Paris 1912
idem—*Comm. in Isaiam* (ed. 2, 2 vols.). Paris 1922-3
idem—*Comm. in Psalmos* (ed. 2). Paris 1930
*Knopf, R.—*Einfuhrung in das N.T.* Giessen 1930
*Kohler, K.—*Jewish Theology.* Macmillan 1928
*König, E.—*Die messianischen Weissagungen.* Stuttgart 1925
Kortleitner, F. X., O.Praem.—*Hermeneutica biblica.* Innsbruck 1923
Kösters, L., S.J.—*The Church: Its Divine Authority.* Herder 1938
idem—*Unser Christusglaube.* Herder 1937

van Laak, H., S.J.—*De religionis revelatione.* Rome 1908
idem—*De Theologia Generatim.* Rome 1910
idem—*De S. Scripturae Inspiratione.* Rome 1910
idem—*De revelatione christiana.* Prati 1911
idem—*Repetitorium.* Rome 1921
idem—*Repetitorium de Inspiratione*
idem—*De motivis credibilitatis*
Lagrange, M.-J., O.P.—*Le Messianisme chez les Juifs.* Paris 1909
idem—*Historical Criticism and the O. T.* (ed. 2). London 1906
idem—*Evangile selon St. Matthieu* (ed. 4). Paris 1927
idem—*Evangile selon St. Marc* (ed. 5). Paris 1929
idem—*Evangile selon St. Luc* (ed. 4). Paris 1927
idem—*Evangile selon St. Jean* (ed. 5). Paris 1936
idem—*Le Judaisme avant Jésus-Christ.* Paris 1931
idem—*Histoire ancienne du canon du N.T.* Paris 1933
idem—*The Gospel of Jesus Christ.* N. Y. 1938
Lahousse, G., S.J.—*Apologie de la Divinité de J.-Chr.* Antwerp 1923
Lamy, Th.J.—*Introductio in Scripturam* (2 vols. ed. 4). Malines 1886
Lang, A.—*Die Loci theologici des M.Canus.* Pustet 1925
Langan, J., S.J.—*Apologetica.* Chicago 1921
Lange, H., S.J.—*De Gratia.* Herder 1929
*Latourette, K. S.—*The First Five Centuries.* Harper 1937
idem—*The Thousand Years of Uncertainty.* Harper 1938
idem—*Three Centuries of Advance.* Harper 1939
Lebreton, J., S.J.—*Histoire du dogme de la Trinité* (2 vols.). Paris 1919, 1928
idem—*La vie chrétienne au premier siècle de l'Eglise.* Paris 1927
idem—*The Life and Teachings of Jesus Christ* (2 vols.). Milwaukee 1935
*Lechler, G. V.—*Geschichte des englischen Deismus.* Stuttgart 1841
*Lecky, W. E. H.—*History of European Morals* (2 vols.). N. Y. 1877
Leclercq, H.—*La vie chrétienne primitive.* Paris 1928
Lépicier, Card., O.S.M.—*Le Miracle.* Paris 1936
Lepin, M., S.S.—*Christ and the Gospel.* Philadelphia 1910
Lercher, L., S.J.—*Instit. Theol. dogmaticae* (vol. I). Innsbruck 1927
Lesourd, P.—*Histoire des Missions Catholiques.* Paris 1937

*Lietzmann, H.—*The Beginnings of the Christian Church.* N. Y. 1937
idem—*The Founding of the Church Universal.* London 1938
*Linton, O.—*Das Problem der Urkirche in der neueren Forschung.* Upsala 1932
*Lightfoot, R. H.—*History and Interpretation in the Gospels.* Harper 1934
Lusseau, H.—*Nature de l'Inspiration.* Paris 1930
Lusseau-Collomb—*Manuel d'Etudes bibliques* (tome IV). Paris 1932

*Machen, J. G.—*The Virgin Birth of Christ.* N. Y. 1930
Marquardt, G., O.F.M.—*Das Wunderproblem.* Munich 1933
Marucchi, O.—*Manual of Christian Archeology.* Paterson, N. J. 1935
Masure, E.—*La Grand' Route Apologétique.* Paris 1939
Mazzella, C., S.J.—*De virtutibus infusis* (ed. 3). Rome 1884
idem—*De religione et Ecclesia* (ed. 3). Rome 1885
Meinertz, M.—*Die Pastoralbriefe.* Bonn 1931
*Meyer, E.—*Ursprung u. Anfänge des Christentums* (3 vols.). Stuttgart 1923-5
*Milligan, G.—*Here and There among the Papyri.* London 1923
*Moffatt, J.—*The Approach to the N.T.* London 1921
*Montefiore, C. G.—*The Synoptic Gospels* (2 vols.). Macmillan 1927
*Moore, G. T.—*Judaism* (3 vols.). Cambridge 1927 sqq.
Mueller, J., S.J.—*De vera religione.* Innsbruck 1922
Muncunill, J., S.J.—*De vera religione.* Barcelona 1909[12]
idem—*De Christi Ecclesia.* Barcelona 1914[13]
idem—*De locis theologicis.* Barcelona 1916[14]
Murillo, L., S.J.—*Paulus et Pauli scripta.* Rome 1926
Murray, P.—*Tractatus de Ecclesia Christi* (3 vols.). Dublin 1860-6

*Noel, C.—*The Life of Jesus.* N. Y. 1937
van Noort, G.—*De vera religione* (ed. 4). Hilversum 1923
idem—*De fontibus revelationis* (ed. 3). Bussum 1920

Olichon, A.—*Les Missions.* Paris 1936
*Orr, J.—*The Ritschlian Theology.* N. Y.
idem—*The Progress of Dogma.* N. Y. 1901
idem—*The Resurrection of Jesus.* London 1908
idem—*Revelation and Inspiration.* London 1910
idem—*The Problem of the O. T.* N. Y. 1917
Otten, B. J., S.J.—*Institutiones dogmaticae* (tomus III). Chicago 1922
Ottiger, I., S.J.—*Theologia fundamentalis* (2 vols.). Herder 1897, 1911
*Otto, R.—*The Idea of the Holy.* Oxford 1925
van den Oudenrijn, M.—*De Prophetiae Charismate.* Rome 1926

Palmieri, D., S.J.—*Tractatus de Romano Pontifice* (ed. 4). Rome 1931
Pesch, C., S. J.—*Praelectiones dogmaticae* (9 vols.). Herder
idem—*De Inspiratione S. Scripturae.* Herder 1925
idem—*Supplementum.* Herder 1926
*Pfleiderer, O.—*Paulinism* (2 vols.). London 1877
idem—*Das Urchristentum.* Berlin 1887
idem—*The Development of Theology.* London 1890

---

[12]Muncunill I
[13]Muncunill II
[14]Muncunill III

Pinard de la Boullaye, H., S.J.—*L'étude comparée des Religions* (2 vols.). Paris 1925
van der Ploeg, J.S., O.P.—*Les chants du Serviteur de Jahvé.* Paris 1936
Plus, R., S.J.—*La sainteté catholique.* Paris 1928
Pohl, W.—*De vera religione.* Herder 1928
Prado, J., C.SS.R.—*Propaedeutica biblica.* Turin 1931
Prat, F., S.J.—*The Theology of St. Paul* (2 vols.). Benziger 1926-7
idem—*Jésus-Christ* (2 vols.). Paris 1933
Prümm, K., S.J.—*Der christl. Glaube u. die altheidnische Welt* (2 vols.). Leipzig 1935
idem—*Christentum als Neuheitserlebnis.* Herder 1939

*Radin, M.—*The Jews among the Greeks and Romans.* Philadelphia 1915
*Rashdall, H.—*Jesus Human and Divine.* London 1922
Reatz, A.—*Jesus Christ.* Herder 1933
Renié, J., S.M.—*Les Evangiles* (ed. 2). Paris 1938
*Riddle, D. W.—*The Martyrs.* Chicago 1931
*Riehm, E.—*Messianic Prophecy.* N. Y. 1891
Romeis, K., O.F.M.—*Die göttliche Offenbarung u. ihr Mittler.* Fulda 1930
*Ropes, J. H.—*The Apostolic Age.* N. Y. 1906
Rosadini, S., S.J.—*Institutiones introd. in N.T.* (3 vols.). Rome
Roslaniec, F.—*"Filius hominis".* Rome 1920
Rousseau, A.—*The Church of Christ.* Milwaukee 1936
Ruffini, E.—*Introductio in S. Scripturam.* Rome 1925

de San, L., S.J.—*De divina Traditione et Scriptura.* Bruges 1903[15]
idem—*De Ecclesia et Romano Pontifice.* Bruges 1906
*Sanday, W.—*The Life of Christ in Recent Research.* N. Y. 1908
idem—*The Criticism of the Fourth Gospel.* Oxford 1921
*Schaff, Ph.—*The Creeds of Christendom* (3 vols. ed. 3). N. Y. 1881-2
idem—*Theological Propaedeutic* (ed. 9). N. Y. 1912
Schanz, P.—*Apologie des Christentums* (3 vols.). Herder 1895-8
Schiffini, S., S.J.—*De vera religione.* Senis 1908
Schmidt, W.—*The Origin and Growth of Religion.* N. Y. 1931
*Schmiedel, P. W.—*The Johannine Writings.* London 1902
Schoepfer, A.—*Geschichte des A. T.* (ed. 6). Innsbruck 1923
Schultes, R., O.P.—*De Ecclesia Catholica.* Paris 1925
*Schürer, E.—*History of the Jewish People* (5 vols.). N. Y. 1891
Schwane, J.—*Dogmengeschichte* (4 vols.). Herder 1882-1895
*Schweitzer, A.—*The Quest of the Historical Jesus.* London 1926
*Scott, E. F.—*The Gospel and its Tributaries.* N. Y. 1930
idem—*The Literature of the N.T.* N. Y. 1933
*Seeberg, R.—*The Fundamental Truths of the Christian Religion.* N. Y. 1908
Sertillanges, A. D.—*Le miracle de l'Eglise.* Paris 1933
Sigge, Th., O.F.M.—*Das Johannesevangelium u. die Synoptiker.* Münster 1935
*Simms, P. M.—*The Bible from the Beginning.* Macmillan 1929
Simón, H., C.SS.R.—*Praelectiones biblicae N.T.* (2 vols.). Marietti 1926-7
Smit, J.—*De Daemoniacis.* Rome 1913

---

[15]de San

*Sohm, R.—*Outlines of Church History.* Macmillan 1909
*Stanton, V. H.—*The Gospels as Historical Documents* (3 vols.). Cambridge 1909, 1920, 1923
Steinmann, A.—*Die Apostelgeschichte.* Bonn 1934
Steinmueller, J. E.—*Some Problems of the O. T.* Milwaukee 1936
*Stephen, L.—*History of English Thought in the 18th Cent.* (2 vols.). N. Y. 1927
Straub, A., S.J.—*De Ecclesia Christi* (2 vols.). Innsbruck 1912
Straubinger, H.—*Lehrbuch der Fundamentaltheologie.* Paderborn 1936
*Streeter, B. H.—*Restatement and Reunion.* Macmillan 1914
idem—*The Four Gospels.* Macmillan 1925
idem—*The Primitive Church.* Macmillan 1929
*Swete, B. H.—*Patristic Study.* Longmans 1904
idem—*An Introduction to the O. T. in Greek.* Cambridge 1914
idem—*The Holy Catholic Church.* Macmillan 1916

Tanquerey, A.—*Synopsis Theol. dogm. fundamentalis* (ed. 24). Paris 1937
*Thorburn, Th.J.—*The Resurrection Narratives and Modern Criticism.* London 1910
idem—*The Mythical Interpretation of the Gospels.* N. Y. 1916
Tillmann, F.—*Das Johannesevangelium.* Bonn 1931
Tixeront, J.—*A Handbook of Patrology.* Herder 1923
de Tonquédec, J.—*Les maladies nerveuses etc.* Paris 1938
*Trench, R.Ch.—*Notes on the Parables of Our Lord.* N. Y. 1859
idem—*Notes on the Miracles of Our Lord.* Macmillan 1870
idem—*Studies in the Gospels* (ed. 3). Macmillan 1874
Tromp, S., S.J.—*De s. Scripturae Inspiratione.* Rome 1936

Vacant, J. M. A.—*Constitutions du Concile du Vatican* (2 vols.). Paris 1895
Vaganay, L.—*An Introduction to the Textual Criticism of the N.T.* London 1937
Vaughan, J. S.—*Concerning the Holy Bible.* London 1904
Vonier, A., O.S.B.—*The Personality of Christ.* Longmans 1916
Vosté, J.-M.—*De divina Inspiratione.* Rome 1932

Walker, L. J., S.J.—*The Problem of Reunion.* London 1920
Walshe, Th.J—*Principles of Catholic Apologetics.* N. Y. 1919
*Warschauer, J.—*Jesus: Seven Questions.* Boston 1928
*Weiss, J.—*Die Schriften des N. T.* (2 vols.). Göttingen 1906-7
*Weizsäcker, C.—*The Apostolic Age* (2 vols.). N. Y. 1894
*Wellhausen, J.—*Prolegomena to the History of Israel.* Edinburgh 1885
*Wernle, P.—*The Sources of our Knowledge of the Life of Jesus.* Boston 1907
Willam, F. M.—*The Life of Jesus Christ.* Herder 1936
Wilmers, W., S.J.—*De religione revelata.* Pustet 1897[16]
idem—*De Christi Ecclesia.* Pustet 1897[17]
idem—*Lehrbuch der Religion* (ed. 8). Münster

---

[16]Wilmers
[17]WilmersE

Wirceburgenses—*Theologia* (vol. I ed. 3). Paris 1880
*Wright, C. J.—*Miracle in History and Modern Thought.* London 1930
Wyser, P., O.P.—*Theologie als Wissenschaft.* Salzburg 1938

*Zahn, Th.—*Einleitung in das N.T.* (2 vols.). Leipzig 1906-7
Zapelena, T., S.J.—*De Ecclesia Christi.* Rome 1932
Zarb, S. M., O.P.—*De Historia Canonis.* Rome 1934
Zorell, F., S.J.—*Lexicon graecum N.T.* Paris 1931

INDEX
RERUM et NOMINUM